57, 148

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.

CHRISTO ET ECCLESIAE

ROBERT TROUP PAINE

TO

HARVARD COLLEGE.

A LEGACY

IN HIS NAME BEING APPLIED

IN PART TO AN ANNUAL INCREASE

OF THE LIBRARY

Received 9 April, 1879.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

http://www.archive.org/details/expositioanatomi03wins

Robert Treat Paine to Harvard College

EXPOSITIO ANATOMICA STRUCTURAE CORPORIS HUMANI

JAC. BENIGNI WINSLOW
IN UNIVERS. PARIS. ANAT. ET CHIR. PROF. SEN. ATQUE MED. DOCTORIS, REGII IN LING. TEUTONICA INTERPRETIS, ACAD. REG. GALL. SCIENT. ALIARUMQUE SOCII.

E GALLICO LATINE VERSA.

CUM FIGURIS AENEIS EARUMQUE EXPLICATIONE.

TOMUS TERTIUS.

CUM PRIVILEGIIS. Johañes Theophil. Eckinhardt

FRANCOFURTI & LIPSIAE
Sumptibus JOAN. GOTHOFR. BAUERI.
M DCC LIII.

1879, April 9.
Paine bequest.

INDEX

Tractatuum, Titulorum atque praecipuarum Materiarum quae in Tertio hujus Operis Tomo continentur.

(Nota. *Primus numerus Paragraphum, & ſecundus Paginam indicat.*)

	Num.	Pag.
DElineatio atque Diviſio hujus Tractatus,	1	1
Aorta in genere, . .	5	2
Diviſio generalis Aortae, . .	8	3
Diſtributio generalis Ramorum Aortae, .	18	5
Arteriae Cardiacae, ſive Coronariae Cordis,	41	10
Arteriae Carotides in genere, .	45	10
Arteria Carotis externa, . .	50	12
Arteria Carotis interna, . .	71	16
Arteriae Subclaviae in genere, Mediaſtinae, Pericardinae, & Tracheales, .	80	19
Arteria Mammaria interna, . .	88	21
Arteria Cervicalis, . . .	91	22
Arteria Vertebralis, Baſilaris, Spinales, Meningea poſterior, & Auditiva interna,	95	23
Arteria Intercoſtalis ſuperior, .	104	26
Canalis ſive Ligamentum Arterioſum, .	108	27
Arteriae Bronchiales, . .	109	27
Arteriae Oeſophageae, . .	114	28
Arteriae Intercoſtales inferiores, .	115	29
Arteriae Axillares, Thoracicae, Scapulares, Humerales, . .	121	30
Arteria Brachialis, . .	131	33
Arteria Cubitalis, . . .	144	36
Continuatio Arteriae Cubitalis, .	152	38

	Num.	Pag.
Arteria Radialis, . . .	160	40
Arteriae Diaphragmaticae, . .	172	43
Arteria Coeliaca, . . .	176	44
Arteria Coronaria Stomachica, .	179	45
Arteria Hepatica, . . .	182	46
Arteria Splenica, . .	190	48
Arteria Meſenterica ſuperior, .	196	49
Arteria Meſenterica inferior, .	208	52
Arteriae Renales, Capſulares, Spermaticae, Lumbares, Sacrae, . .	214	53
Arteriae Iliacae, . .	228	56
Arteriae Crurales, . .	255	63
Nota, ...	285	70

TRACTATUS DE VENIS.

Delineatio & Diſtributio hujus Tractatus,	1	71
Vena Cava ipſiusque Diviſio in genere, .	8	72
Vena Cava ſuperior, . .	18	75
Vena Cava inferior, . . .	33	78
Vena Azygos, & Venae Intercoſtales, .	39	79
Parvae Venae Pectorales internae, .	55	83
Venae Subclaviae, . .	66	86
Venae Jugulares externae, . .	70	87
Vena Jugularis externa anterior, .	72	87
Vena Jugularis externa poſterior, ſive ſuperior, . .	90	91
Vena Jugularis interna, . .	102	94
Vena Vertebralis, . . .	110	96
Vena Axillaris, . .	118	97
Vena Cephalica, . .	122	98
Vena Baſilica, . .	132	101
Vena Cava inferior, . .	143	104
Venae Iliacae, . .	166	109
Vena Hypogaſtrica, . .	174	111
Vena Cruralis, . .	184	113
Vena Saphena, . .	189	114

	Num.	Pag.
Continuatio Venae Cruralis, . .	202	117
Saphena parva, . .	207	118
Vena Poplitea, . .	210	119
Vena Tibialis anterior, . . .	215	120
Vena Tibialis poſterior, . .	220	121
Vena Peronaea, . .	224	122
Vena Portae, . .	227	123
Vena Meſaraïca magna, . .	241	126
Vena Splenica, . .	251	129
Vena Haemorrhoïdalis interna ſive Meſaraïca parva, . . .	262	131

TRACTATUS DE NERVIS.

Delineatio atque Diviſio hujus Tractatus,	1	133
Nervi Medullae Oblongatae, . . .	6	134
Nervi Medullae Spinalis, . .	7	135
Primum Par Nervorum Medullae Oblongatae, ſive Nervi Olfactorii, .	9	137
Secundum Par Nervorum Medullae Oblongatae, ſive Nervi Optici, . . .	14	138
Tertium Par Nervorum Medullae Oblongatae, ſive Nervi Motorii communes Oculorum, ...	16	139
Quartum Par Nervorum Medullae Oblongatae, ſive Nervi Trochleatores, .	25	141
Quintum Par Nervorum Medullae Oblongatae, ſive Nervi Trigemini, .	28	142
Nervus Orbitarius, Nervus Ophthalmicus communiter dictus, . .	34	143
Nervus Maxillaris ſuperior, . .	44	146
Nervus Maxillaris inferior, .	55	148
Nervi Motorii externi, . . .	73	152
Nervi Auditorii, ...	78	154
Nervi Sympathici parvi, ſive Portio dura Nervi Auditorii, . .	84	155

INDEX.

	Num.	Pag.
Nervi Sympathici medii, . .	104	159
Nervi Acceſſorii octavi Paris, . .	143	168
Nervi Hypogloſſi externi, ſive Hypogloſſi magni, . . ,	148	169
Nervi Sub-Occipitales, . .	154	171
Nervi Sympathici magni, ſive Nervi Intercoſtales, . . .	164	173
Nervi Vertebrales in genere, .	165	173
Primum Par Nervorum Cervicalium, .	170	175
Secundum Par Nervorum Cervicalium, . . .	176	176
Tertium Par Nervorum Cervicalium, .	187	179
Quatuor ultima Paria Nervorum Cervicalium in genere, . .	197	181
Nervi Brachiales in genere, .	198	182
Quartum Par Nervorum Cervicalium, .	212	184
Quintum Par Nervorum Cervicalium, .	215	185
Duo ultima Paria Nervorum Cervicalium, . . .	219	186
Nota, . . .	221	186
Nervus Muſculo-Cutaneus, .	222	187
Nervus Medianus, . . .	226	188
Nervus Cubitalis, . , .	231	189
Nervus Cutaneus internus, . .	238	190
Nervus Radialis, . . .	242	191
Nervus Axillaris ſive Articularis, .	253	193
Nervi Dorſales ſive Coſtales, .	255	194
Nervi Lumbares, . .	265	196
Primum Par Nervorum Lumbarium, .	268	196
Secundum Par Nervorum Lumbarium, . . .	278	198
Tertium Par Nervorum Lumbarium, .	285	200
Quartum Par Nervorum Lumbarium, .	289	201
Nervus Obturator, . .	293	202
Quintum Par Nervorum Lumbarium, .	295	202
Nervi Sacri, . . .	297	203
Nervus Cruralis, . . .	308	205
Nervus Iſchiadicus, . .	318	207

Magni

INDEX.

	Num.	Pag.
Magni Nervi Sympathici, Nervi Intercoſtales communiter dicti, .	357	215
Nota, ...	428	230

Tractatus ſynopticus partium Corporis Humani, cum enumeratione Arteriarum, Venarum, atque Nervorum cujuslibet harum partium; atque Hiſtoria generalis Tegumentorum, .	1	231
Explicatio Terminorum Anatomicorum quam maxime genericorum, .	6	233
Os, ...		*ibid.*
Cartilago, ...	7	233
Ligamentum, . . .	8	233
Fibra, ...	9	233
Membrana, . . .	10	234
Vaſa, ...	12	234
Arteria, Vena, Sinus, . . .	14	235
Nervus, ...	16	235
Muſculus, Tendo, . . .	18	236
Glandula, ...	21	236
Pinguedo, Medulla, . . .	24	237
Viſcus, Organum, . . .	26	237
Diviſio generalis Corporis Humani, .	28	238
Partes Capitis externae, . .	33	239
Facies ſive Vultus, . .	39	241
Oculus, . . .	40	241
Auris, . . .	41	242
Naſus, ...	42	242
Os, ...	43	242
Genae, ...	45	242
Mentum, ...	46	243
Partes Colli in genere, . .	66	249
Partes Pectoris, . . .	70	250
Partes Abdominis, . .	78	252
Partes utriusque Extremitatis ſuperioris, .	93	257

INDEX.

	Num.	Pag.
Partes utriusque Extremitatis inferioris, .	99	259
Hiſtoria generalis Tegumentorum, cum iſta Pilorum atque Unguium, .	1	263
Cutis, . . .	5	264
Epidermis, . . .	32	270
Uſus Cutis in genere, . .	47	273
Membrana Adipoſa & Pinguedo, .	67	278
Ungues, . . .	87	283
Pili, ...	96	285
Sic dicta Tegumenta Veterum. .	104	287

EXPO-

EXPOSITIO ANATOMICA STRUCTURAE CORPORIS HUMANI.

TRACTATUS DE ARTERIIS.

COr Sanguinem in duas Arterias generales, quarum una Aorta, ſive Arteria Magna, & altera Arteria Pulmonalis appellatur, propellit.

2. *Aorta* Sanguinem in omnibus Corporis partibus, pro nutritione harum partium, & pro ſecretione diverſorum liquorum peculiarium diſtribuit.

3. *Arteria Pulmonalis* Sanguinem venoſum non niſi per totum textum Vaſorum Capillarium Pulmonum vehit.

4. Quaelibet harum duarum Arteriarum generalium in plures Ramos innumerosque Ramuſ-

culos dividitur. Arteriae Pulmonalis diſtributionem ad peculiarem Pulmonum Hiſtoriam relego, atque hic iſtam Aortae proſequar.

AORTA IN GENERE.

5. QUoniam Cordis Baſis verſus latus dextrum admodum inclinat, & verſus poſteriora parumper vertitur, Aorta mox ex eadem directo, e regione circiter quartae Dorſi Vertebrae egreditur. Directo ex eadem reſpectu Cordis egreditur; aſt reſpectu totius Humani Corporis a ſiniſtro latere verſus dextrum, & ab anteriori retrorſum oblique aſcendit.

6. Statim deinde a dextris ſiniſtrorſum, & ab anterioribus retrorſum, ad altitudinem uſque ſecundae Dorſi Vertebrae plus minusve oblique incurvatur, poſtea Arcum obliquum formans in eodem ſenſu iterum deſcendit. Arcus hujus medium e regione circiter marginis ſive lateris dextri portionis Sterni ſuperioris, & e regione quaſi intervalli extremitatum cartilaginoſarum ſive Articulationum Sternalium duarum priorum Coſtarum conſpicitur.

7. Deinde juxta totam longitudinem & pauxillum verſus latus ſiniſtrum partis anterioris Vertebrarum ad Os Sacrum uſque directe deorſum decurrit. Hoc in loco Aorta bifurca fit, ſive ipſius Truncus generalis diviſione in duos Truncos ſecundarios ſive collaterales, quae Arteriae Iliacae dicuntur, deſinit.

DIVI-

DIVISIO AORTAE GENERALIS.

8. Aorta ab Anatomicis communiter in Aortam Aſcendentem & in Aortam Deſcendentem, quamvis unus idemque Truncus ſit, dividitur. Ab ipſius egreſſu e Cordis Baſi ad finem uſque magnae ipſius Curvaturae ſive Arcus Aorta Aſcendens audit. Reliquum ejusdem Trunci ab hoc Arcu ad Os Sacrum, ſive uſque ubi bifurca fit, uti modo dixi, Aorta Deſcendens ſalutatur.

9. Aorta Deſcendens inſuper in Portionem ſuperiorem & in Portionem inferiorem ſubdividitur, dum id, quod ſupra Diaphragma reperitur, Aortae Deſcendentis Portio ſuperior vocatur; atque id, quod a Diaphragmate uſque ubi bifurca fit ſequitur, Portio inferior appellatur.

10. Aorta Aſcendens praecipue in portione Thoracis, in Capite, atque in extremitatibus ſuperioribus diſtribuitur. Portio ſuperior Aortae deſcendentis reliquo Thoracis proſpicit. Portio inferior praecipue in Abdomine & in Extremitatibus inferioribus diſpergitur.

11. Totus Truncus generalis Aortae immediate ex tota ſua longitudine plures Ramos ſive Arterias progenerat, quae deinde in diverſos Ramuſculos deſinunt. Hi Rami tanquam Trunci peculiares aliorum diverſorum Ramuſculorum conſiderari poſſunt. Pluresque horum Ramuſculorum itidem pro parvis Truncis aliorum minorum Ramuſculorum haberi poſſunt.

12. Rami qui ex toto Aortae Trunco immediate oriuntur, Primitivi ſive Capitales vocari

 poſſunt,

poſſunt, quorum quidam magis minusve craſſi, atque quidam parvi ſive tenues exiſtunt.

13. Craſſi Rami Capitales Aortae ſequentes ſunt: duae Arteriae Subclaviae, duae Arteriae Carotides, una Arteria Coeliaca, una Arteria Meſenterica ſuperior, duae Arteriae Renales, Arteriae Emulgentes olim dictae; una Arteria Meſenterica inferior, & duae Arteriae Iliacae.

14. Parvos praecipue conſtituunt Arteriae Coronariae Cordis, Arteriae Bronchiales, Arteriae Oeſophageae, Arteriae Intercoſtales, Arteriae Diaphragmaticae inferiores, Arteriae Spermaticae, Arteriae Lumbares, & Arteriae Sacrae.

15. Hae Arteriae ſive Rami Capitales quoad maximam partem pares exiſtunt. Ordinarie non niſi Arteria Coeliaca, duae Arteriae Meſentericae, quaedam Arteriae Oeſophageae, Arteria Bronchialis, & quandoque Arteria Sacra impares ſunt.

16. Ramuſculi cujuslibet Rami Capitalis reſpectu ipſorum Trunci peculiaris impares ſunt; aſt cum Ramuſculis ſimilium Ramorum Capitalium alterius lateris pares ſunt. Inter Ramos impares non niſi Arteria Sacra, quando ſolitaria eſt, atque Arteriae Oeſophageae, quarum Ramuſculi tamen quandoque pares reperiuntur, referuntur.

17. Antequam omnes has Arterias peculiares, quarum plurimae nominibus propriis gaudent, ſpecialius pertractem, haud abſonum, imo admodum neceſſarium erit, ut compendium diſpoſitionis atque diſtributionis primariorum Ramorum

rum Arterioſorum tradam, quo ideam generaliorem nobis formare poſſimus, ad quam omnia, quae eorundem diſtributionem in ſpecie concernunt, referre queamus: cognovi enim, quod methodus ordinaria, iter omnium Ramuſculorum Vaſorum horum ſpecialius deſcribendi, antequam praecipuorum Ramorum idea generalis in medium prolata fuerit, Tyronibus multum negotii faceſſerit.

DISTRIBUTIO GENERALIS RAMORUM AORTAE.

18. Aorta in ſuo exortu duas parvas Arterias, quae ad Cor ipſiusque Auriculas tendunt, producit. Arteriae Coronariae Cordis vocantur. Una anterius & altera poſterius diſtribuitur. Quandoque tres reperiuntur.

19. Aorta ex Arcus ſui ſive curvaturae parte ſuperiore ordinarie tres, quandoque quatuor craſſos Ramos Capitales ſe invicem quam proxime inſequentes progignit. Quando quatuor adſunt, duo intermedii Arteriae Carotides, una dextra & altera ſiniſtra, vocantur; atque duo extimi Arteriae Subclaviae, una dextra & altera ſiniſtra appellantur.

20. Quodſi tres Rami tantum reperiuntur, quemadmodum frequentius accidit, primus, Truncus communis admodum brevis Arteriae Subclaviae dextrae, atque Arteriae Carotidis dextrae exiſtit; ſecundus Carotidem ſiniſtram, atque tertius Arteriam Subclaviam ſiniſtram conſtituit.

Raro duo Trunci communes quatuor harum Arteriarum ibidem reperiuntur.

21. Ortus Subclaviae ſiniſtrae Aortam Aſcendentem terminat. Quatuor Ramos inveni, quorum tres priores ordinarii erant, & quartus peculiarem Arteriae Vertebralis ſiniſtrae Truncum conſtituebat.

22. Notandum eſt, quod hi craſſi Rami, qui ex Arcu ſive curvatura Aortae aſcendunt, oblique diſpoſiti ſint, ita ut primus, qui in latere dextro eſt, reliquis anterius magis ſitus ſit; atque ultimus, qui ſiniſtrum latus occupat, poſterius magis locetur. Primus atque ſecundus, ſive medius, plerumque in medio Arcus reperiuntur, & ultimus trium humillimus exiſtit. Quandoque primus e medio curvaturae pullulat. Haecce diſpoſitio ab Arcus obliquitate dependet.

23. Arteriae Carotides recta verſus Caput aſcendunt, & quaelibet, antequam illud attingat, in duas, unam externam, & alteram internam, dividitur. Externa praecipue ad partes Capitis externas, & ad Duram Matrem ſive primum Cerebri involucrum ſeſe confert. Interna per Canalem oſſeum Oſſis Petroſi Cranium intrat, & in Cerebro mediantibus infinitis Ramuſculis diſtribuitur.

24. Arteriarum Subclaviarum quaelibet in latere ſuo retro & infra Claviculas lateraliter & fere transverſim ſecedit : unde etiam Subclaviae vocantur. Siniſtra brevior eſſe videtur, & oblique magis quam Dextra excurrit.

25. Ar-

25. Arteria Subclavia cujuslibet lateris in margine ſuperiore primae Coſtae, inter Inſertiones inferiores primi Muſculi Scaleni finitur, ubi e Pectore egrediens nomen Arteriae Axillaris aſſumit.

26. Arteria Subclavia in toto hocce decurſu Truncum communem iſtius lateris dextri ſimul comprehendendo, Mammariam internam, Mediaſtinam, Pericardinam, Diaphragmaticam minorem ſive Diaphragmaticam ſuperiorem, Thymicam, & Trachealem dat.

27. Thymica atque Trachealis utriusque lateris quibusdam in ſubjectis tantum Rami parvi cujusdam Trunci communis, a Trunco communi Subclaviae Dextrae atque Carotidis Dextrae oriundi exiſtunt.

28. Quoad maximam partem parvae Arteriae exiſtunt, quae modo ſeparatim, modo ex parte ſeparatim, ex parte conjunctim oriuntur.

29. Arteria Subclavia inſuper Mammariam Internam, Vertebralem, Cervicales, & quandoque Intercoſtales ſuperiores ſubminiſtrat.

30. Arteria Axillaris, quae non niſi continuatio Subclaviae ab ipſius exitu ad Axillam uſque exiſtit, praecipue Mammariam externam, ſive Thoracicam ſuperiorem, Thoracicam inferiorem, Scapulares externas, Scapularem internam, atque Humeralem ſive Muſcularem &c. foenerat. Deinde iter ſuum mediantibus diverſis Ramuſculis, & ſub diverſis nominibus per totum Brachium ad apices uſque Digitorum continuat.

31. Portio ſuperior Aortae Deſcendentis Ar-

terias Bronchiales largitur, quae aut ex parvo Trunco communi, aut ſeparatim, & quandoque non immediate ex Aorta oriuntur. Deinde Oeſophageas, quae pro Mediaſtinis poſterioribus haberi poſſunt, producit; & denique poſterius Intercoſtales, quandoque omnes, quandoque Inferiores octo aut novem numero praebet.

32. Minores Arteriolae anteriores, quas modo nominavi, ordinarie ab initio ſimplices & impares exiſtunt, aſt ſtatim poſt earum ortum dextrorſum atque ſiniſtrorſum dividuntur.

33. Portio Aortae Deſcendentis inferior, Diaphragma tranſiens, Arterias Diaphragmaticas inferiores ſive Phrenicas, quae quandoque non immediate ab Aorta proveniunt, ſubminiſtrat. Plures deinde Ramos verſus anteriora, poſteriora & lateraliter emittit.

34. Rami anteriores ſunt Arteria Coeliaca, quae Ventriculo, Hepati, Lieni, Pancreati, &c. proſpicit. Meſenterica ſuperior, quae praecipue in Meſenterio, in cunctis fere Inteſtinis tenuibus, & in portione Inteſtinorum craſſorum, quae in latere dextro ſita eſt, diſtribuitur; Meſenterica inferior, quae Inteſtinis craſſis lateris ſiniſtri proſpicit, atque Arteriam Haemorrhoïdalem internam producit; & tandem Arteriae Spermaticae, una dextra & altera ſiniſtra.

35. Rami poſteriores Arterias Lumbares, quarum plura paria reperiuntur, atque Sacras conſtituunt: hae non ſemper ex Trunco Aortae ortum ſuum ducunt.

36. Ra-

36. Rami laterales ſunt Arteriae Capſulares atque Adipoſae, quarum ortus ſaepius variat; Arteriae Renales, olim Arteriae Emulgentes dictae; & denique Arteriae Iliacae, quae Truncum Aortae terminant atque Furcam conſtituunt.

37. Arteria Iliaca utriusque lateris communiter in externam ſive anteriorem, & in internam ſive poſteriorem dividitur.

38. Iliaca interna etiam Arteria Hypogaſtrica vocatur. Ramuſculos ſuos in Viſceribus in Pelvi contentis, & in partibus vicinis tam internis quam externis diſtribuit.

39. Iliaca externa, quae vera continuatio Trunci Iliaci eſt, atque ſola nomen hocce meretur, ad Inguen ſeſe confert, quo ex Abdomine ſub Ligamento Tendinoſo Fallopii egredi queat. Arteriam Epigaſtricam, quae Muſculum Rectum Abdominis petit, antea largitur. Poſt ſuum exitum nomen Arteriae Cruralis acquirit, ſuper Femur deſcendit, & in plures Ramos & Ramuſculos in tota Extremitate inferiore ad apicem uſque Pedis diſtribuitur.

40. Poſt hocce compendium omnes Ramos capitales aut primitivos Aortae, ab ipſorum ortu uſque ad eorundem diviſionem, atque diviſionem eorundem Ramuſculorum in omnibus partibus Corporis & in diverſis Viſceribus atque Organis ſpecialius deſcribam.

ARTERIAE CARDIACAE,
ſive
CORONARIAE CORDIS.

41. Arteriae Coronariae Cordis, quae Arteriae Cardiacae quoque vocari poſſunt, ex Aorta immediate poſt ipſius e Corde exitum oriuntur. Duae numero ſunt, quarum una ſuperius magis quam anterius, & altera inferius magis quam poſterius, ſecundum naturalem Cordis in homine ſitum locata eſt.

42. Verſus duo latera Trunci Arteriae Pulmonalis, quam ab initio amplectuntur, egrediuntur; & poſtquam deinde circum Cordis Baſin inſtar ſpeciei coronae repſere, unde Coronariae vocantur, quaelibet earum ſupra veſtigia ſuperficialia unionis Ventriculorum Cordis, ab ipſius Baſi ad ipſius apicem uſque excurrit.

43. Sibi mutuo Ramos communicationis praebent, qui deinceps Cordis ſubſtantiae immerguntur, quemadmodum in Deſcriptione peculiari hujus Organi fuſius videre licet.

44. Tertia quandoque reperitur, quae poſterius magis e Trunco Aortae ortum ducit; quaeque ſuper Facie poſteriore ſive inferiore Cordis diſtribuitur.

ARTERIAE CAROTIDES IN GENERE.

45. Hae Arteriae communiter non niſi poſt Subclavias demonſtrantur. Conſulto earundem Deſcriptionem ſtatim trado, ne iſta Arteriarum Pecto-

Pectoris, quae partim a Subclaviis, & partim ab Aorta Deſcendente proveniunt, nimis interrumpatur.

46. Duae numero ſunt, quarum una Carotis Dextra, altera Carotis ſiniſtra appellatur. Una prope alteram ex Curvatura ſive Arcu Aortae, Siniſtra immediate, & Dextra ordinarie ex Trunco Subclaviae ejusdem lateris, quemadmodum ſuperius jam innuimus, oritur.

47. Utraque ad latus Aſperae Arteriae, inter ipſam atque Venam Jugularem internam, uſque ad altitudinem Laryngis circiter, absque ulla Ramuſculorum diſtributione aſcendit. Hucuſque Trunci Carotidum, ſive Carotides generales, communes, primitivae vocari poſſunt. Quilibet horum Truncorum deinde ſequentem in modum in Ramos dividitur.

48. Poſtquam Carotis communis altitudinem Laryngis circiter attigit, in duos craſſos Ramos ſive in duas Carotides peculiares dividitur, quarum una Carotis externa, altera Carotis interna audit, quoniam prima praecipue partibus Capitis externis proſpicit, & altera Cranium intrat, ubi in Cerebro diſtribuitur.

49. Carotis externa anteriorem, & interna poſteriorem locum occupat. Imo externa interius magis & Laryngi propior quam interna exiſtit, quae magis ab eodem diſtat, & extrorſum magis ſita eſt. Hoc ipſarum denominationi communi, quae ab earundem diſtributione deſumta eſt, nihil derogat.

AR-

ARTERIA CAROTIS EXTERNA

50. Carotis externa minus craſſa eſt, & nihilominus ob directionem ſuam continuatio quaſi Trunci Carotidum eſſe videtur. Inter Angulum externum Maxillae inferioris atque Glandulam Parotidem, cui in tranſitu proſpicit, ſenſim extrorſum vergit. Ante Aurem deinde aſcendit, atque in Temporibus finitur.

51. In hocce trajectu plures Ramos de ſe ſpargit, qui admodum commode in anteriores ſive internos, & in poſteriores ſive externos dividi poſſunt. Primarii horum Ramorum Carotidis ſequentes ſunt.

52. Primus Ramus anterior ſive internus ex ipſo ortu hujus Carotidis, in latere interno exurgit. Ab initio parumper flectitur, & poſtquam Glandulis Jugularibus vicinis, Pinguedini, atque Cuti Ramulos ſubminiſtravit, transverſim excurrit, & in Glandulis Thyroïdeis, Muſculis reliquisque Laryngis partibus diſtribuitur. Ego eandem Arteriam Laryngeam, ſive Gutturalem ſuperiorem voco. Quosdam etiam Ramulos Pharyngi atque Muſculis Hyoïdeis praebet.

53. Secundus Ramus anterior ſive internus ſupra Cornu vicinum Oſſis Hyoïdis excurrit, Muſculos Hyoïdeos & Gloſſos, Glandulasque Sublinguales petit, ante Cornu deinde Oſſis Hyoïdis procedit, & in Linguam ſe inſinuat, unde nomen Arteriae Sublingualis accipit. Arteria quoque Ranina vocatur.

54. Tertius Ramus ſive Arteria Maxillaris inferior

ferior ad Glandulam Maxillarem, ad Muſculos Stiloïdeos, ad Muſculum Maſtoïdeum, ad Glandulam Parotidem, imo etiam ad Glandulas Sublinguales, ad Muſculos Pharyngis atque Flexores Capitis minores ſeſe confert.

55. Quartus Ramus internus, quem Arteriam Maxillarem externam appello, anterius ſupra Muſculum Maſſeterem, & ſupra medium Maxillae inferioris ad latus Menti excurrit, unde nomen Arteriae Mentalis accepit. Deinde infra apicem Muſculi Triangularis Labiorum repit, eique, uti etiam Muſculo Buccinatori atque Muſculo Quadrato Menti proſpicit.

56. Ramulum peculiarem admodum tortuoſum producit, qui in Commiſſura Angulari duorum Labiorum, juxta longitudinem portionis ſuperioris atque portionis inferioris Muſculi Orbicularis ſerpendo, atque ſuperius & inferius cum pari Arteria alterius lateris communicando dividitur, unde ſpecies Arteriae Coronariae Labiorum exurgit.

57. In latere Narium poſtea aſcendit, ubi in Muſculis, Cartilaginibus, reliquisque Naſi partibus diſpergitur, unde quosdam adhuc Ramulos deorſum mittit, qui cum Arteria Coronaria Labiorum communicationem alunt. Magnum tandem Oculi Angulum attingit, atque in Muſculo Orbiculari Palpebrarum in Muſculo Superciliari & in Muſculo Frontali, in quo terminatur, in Ramuſculos dividitur. In trajectu hocce Arteria Angularis audit.

58. Quin-

58. Quintus Ramus e regione Condyli Maxillae inferioris oritur. Admodum magnus exiſtit. Ego Arteriam Maxillarem internam eundem voco. Retro Condylum excurrit, & poſtquam Ramulum peculiarem inter Muſculos Pterygoïdeos miſit, in tres potiſſimum Ramulos magis extenſos dividitur.

59. Primus horum trium Ramulorum per Rimam Orbitariam inferiorem, ſive Rimam Spheno-Maxillarem, poſtquam Muſculis Periſtaphylinis atque Membranae Glanduloſae Narium poſteriorum per Foramen Spheno-Palatinum proſpexit, ad Orbitam ſeſe confert. Ramulum huncce Arteriam Spheno-Maxillarem nomino.

60. Ramulus hic inferius atque lateraliter in partibus in Orbita contentis diſtribuitur, & parvum Ramulum ſecundarium per extremitatem Rimae Orbitariae ſuperioris, ſive Rimae Sphenoïdalis remittit, qui Cranium intrat, in Dura Matre diſtribuitur, atque ibidem cum altera Durae Matris Arteria, quae per Foramen Spinoſum Oſſis Sphenoïdis intrat, communicationem alit.

61. Alium inſuper Ramulum ſecundarium emittit, qui aperturam poſteriorem Canalis Orbitarii tranſit, & poſtquam Sinui Maxillari atque Dentibus proſpexit, per Foramen Orbitarium inferius egreditur, & in Gena cum Arteria Angulari communicat.

62. Secundus Ramulus quinti Rami in Canalem Maxillae inferioris repit, & in Alveolis atque Dentibus diſtribuitur. Per Foramen Mentale ex eodem

eodem egreditur, & in Muſculis vicinis, cum Ramulis Arteriae Maxillaris externae communicans, terminatur.

63. Tertius Ramulus Maxillaris internae inter Carotidem externam atque Carotidem internam aſcendit, Foramen Spinoſum Oſſis Sphenoïdis tranſit, & in Dura Matre per plures Ramuſculos, qui antrorſum, ſurſum & retrorſum extenduntur, quorumque ſuperiores cum iſtis alterius lateris ſuper Sinu longitudinali Durae Matris communicant, diſtribuitur.

64. Arteria haec Durae Matris, quae Arteria Spheno-Spinoſa vocari poteſt, quo ab iſtis, quas Dura Mater aliunde accipit, diſtinguatur, quandoque ex Trunco Carotidis externae retro originem Arteriae Laryngeae ſive Gutturalis ſuperioris naſcitur; & quandoque a primo trium Ramulorum Maxillaris internae, immediate antequam Rimam Spheno-Maxillarem intret, producitur.

65. Sextus Ramus anterior ſive internus parvus eſt, & in Muſculum Maſſeterem ſeſe confert.

66. Primus Ramorum externorum ſive poſteriorum Arteria Occipitalis audit. Ante Venam Jugularem internam oblique excurrit, & poſtquam Muſculo Stilo-Hyoïdeo, Stilo-Gloſſo atque Digaſtrico proſpexit, inter Apophyſin Stiloïdeam atque Apophyſin Maſtoïdeam juxta longitudinem Sulci Maſtoïdei repit, ſeque ad Muſculos atque Tegumenta Occiput contegentia, per plures fluctuantes flexus retrorſum aſcendendo confert.

67. Me-

67. Mediante Ramulo deſcendente cum Arteria Vertebrali, atque cum Cervicali, uti jam monuimus, communicat. Cum Ramis quoque poſterioribus Arteriae Temporalis verſus verticem Capitis communicationem alit. Foramini Maſtoïdeo Ramulum ſuppeditat.

68. Secundus Ramus externus ſtatim in Aure externa mediantibus multis parvis Ramulis in utroque latere diſtribuitur, quorum plurimi ad interiora penetrant, atque Cartilaginibus, Meatui, Membranae Tympani atque Auri internae proſpiciunt.

69. Truncus Carotidis externae deinde ſupra Zygoma, inter Angulum Maxillae inferioris atque Glandulam Parotidem excurrens, aſcendit, atque Arteriam Temporalem format, quae in Ramulum anteriorem, medium & poſteriorem dividitur.

70. Ramulus anterior Arteriae Temporalis ſeſe ad Muſculum Frontalem vicinum confert, cum Arteria Angulari communicat, & Arteriolam quandoque ſubminiſtrat, quae Apophyſin internam Oſſis Malae in Orbitam uſque perfodit. Ramulus medius ex parte ad Muſculum Frontalem, ex parte ad Muſculum Occipitalem excurrit. Poſterior Occiput petit, & cum Arteria Occipitali communicat. Hi Ramuli Tegumentis quoque proſpiciunt.

ARTERIA CAROTIS INTERNA.

71. Carotis interna a Trunco Carotidis generalis

ralis ſive communis pullulans, ſtatim parvam curvaturam inſtituit, quaſi ſola Ramum hujus Trunci, ſive Ramulum Caudicis Carotidis externae conſtitueret. Quandoque pauxillum extrorſum incurvatur, deinde magis minusve introrſum reflectitur, atque retro Carotidem externam vicinam excurrit.

72. Paulo magis poſterius quam eadem haec Carotis externa ſita eſt, & absque ullis Ramuſculis ordinariis uſque ad orificium inferius magni Canalis Apophyſis Petroſae Oſſis Temporum aſcendit. Ab initio ab inferioribus directe ſurſum ibi intrat, atque ſtatim juxta conformationem Canalis inflectitur, cujus reliquum horizontaliter, a productione Durae Matris inveſtita, percurrit.

73. In fine hujus Canalis denuo ab inferiori ſurſum inflectitur, quoniam, quo Cranium per Inciſuram quandam Oſſis Sphenoïdis intret, aſcendit: atque hic ingreſſa a poſteriori antrorſum incurvatur, & ad latus Sellae Sphenoïdeae tertiam inflexionem inſtituit, atque ſtatim poſtea mediante quarta curvatura infra Apophyſin Clinoïdeam anteriorem Sellae Sphenoïdeae reflectitur.

74. Dum Canalem Oſſeum, quo Cranium intret, derelinquit, ſtatim Ramulum per Rimam Sphenoïdalem ad Orbitam atque ad Oculum mittit. Alium adhuc in parva a priori diſtantia per Foramen Opticum ablegat; & hoc mediante cum Carotide externa communicationem alit.

75. Carotis interna denique infra Baſim Cere-

bri latus Infundibuli, in parva a pari lateris oppoſiti Carotide interna diſtantia petit; ibique communiter in duos magnos Ramos primarios, unum anteriorem, & alterum poſteriorem dividitur.

76. Ramus anterior, ab illo alterius lateris ab initio parumper diſcedens, verſus anteriora infra Cerebrum excurrit; poſtea ſtatim eidem appropinquat, quatenus mediante Anaſtomoſi ſive communicatione, in intervallo Nervorum Olfactoriorum, ſeſe cum eodem unit. Deinde poſtquam Arteriolas quasdam quae Nervos hoſce comitantur, ſubminiſtravit, parem ſuum deſerit, atque in duos aut tres Ramulos dividitur.

77. Primus horum Ramulorum ad Lobum anteriorem Cerebri tendit: alter, qui quandoque duplex exiſtit, ſupra Corpus Calloſum invertitur, quod, uti etiam Falx Durae Matris atque Lobus Cerebri medius, ab eodem Ramuſculos recipit. Tertius, qui in quibusdam Ramulum peculiarem conſtituit, & in aliis non niſi Gemellus ſecundi eſt, ad Lobum poſteriorem Cerebri ſeſe confert. Tanquam tertius Ramus primarius, quique tunc medium trium primariorum conſtitueret, conſiderari poſſet.

78. Ramus poſterior ab initio cum Arteria Vertebrali ejusdem lateris communicat, poſteaque in plures Ramulos, qui inter gyros ſuperficiales Cerebri repunt, diviſus, ſupra hoſce gyros, atque inter illos, ad fundum uſque omnium Sulcorum in diverſos ſenſus Ramulos diſpergit.

79. Omnes

79. Omnes hi Ramuſculi a Pia Matre inveſtiuntur, inter cujus duplicaturam diſtribuuntur, atque quamplurima Reticula Capillaria formant; poſtea in ſubſtantiam Cerebri internam ſeſe inſinuant, &, ut ita dicam, in eadem obliterantur. Ramus primarius anterior, aeque uti medius, ſimiles quoque Ramuſculos producit; atque Ramus hicce anterior in ſpecie Ramulum ſupra Corpus Calloſum ablegat.

ARTERIAE SUBCLAVIAE in genere;

MEDIASTINAE, PERICARDINAE, ET TRACHEALES.

80. Arteriae Subclaviae, quoniam retro Claviculas ſitae ſunt, & praeter propter earundem directionem transverſam ſequuntur, ita appellatae ſunt. Duplices ſunt, una dextra, altera ſiniſtra, atque ex Arcu ſive curvatura Aortae in quolibet latere Carotidis ſiniſtrae oriuntur, quae ordinarie medium inter easdem locum occupat; duae Carotides enim quandoque ſeparatim ex hacce curvatura pullulant, tuncque Subclavia dextra ad latus Carotidis dextrae, atque Subclavia ſiniſtra ad latus Carotidis ſiniſtrae exurgit. Supra medium utriusque primae Coſtae Verae, inter inſertiones anteriores Muſculi Scaleni, terminantur, aut potius nomen mutant.

81. Subclavia dextra, quando Carotidem dextram producit, in origine ſua ſiniſtra craſſior eſt,

atque ſemper anterius magis atque magis ſuperius quam ſiniſtra, ob obliquitatem Arcus Aortae, oritur; unde quoque Subclavia ſiniſtra dextra multo brevior exiſtit, atque magis oblique excurrit. Ceterum ambae eundem fere in modum diſtribuuntur, atque Deſcriptio unius cum iſta alterius convenit.

82. Subclavia dextra, quae e duabus longiſſima eſt, ſtatim parvas Arterias ad Mediaſtinum, Thymum, Pericardium atque Aſperam Arteriam &c. ſub nominibus Arteriarum Mediaſtinarum, Thymicarum, Pericardinarum atque Trachealium mittit. Hae parvae Arteriae ſaepius ex ipſa Subclavia, & quidem modo ſeparatim, modo per parvos Truncos communes egrediuntur. Quandoque Ramuli Mammariae internae, praecipue Mediaſtina, exiſtunt.

83. Deinde Subclavia dextra, in diſtantia circiter magni transverſi digiti a ſuo exortu, ſaepius Carotidem communem ejusdem lateris progenerat. In diſtantia poſtea parvi circiter digiti transverſi ab hacce Carotide quatuor ordinarie Ramos magis notabiles emittit, qui ſunt Arteria Mammaria interna, Arteria Cervicalis, Arteria Vertebralis; & quandoque etiam Arteriam quandam Intercoſtalem ſeparatim ad priores Coſtas Veras ablegat, quae Arteria Intercoſtalis ſuperior vocatur.

84. Arteria Thymica cum Mammaria interna communicat, eamque quandoque ex parte anteriore media Trunci communis Subclaviae atque Caroti-

Carotidis oriri videmus. Thymus quoque Ramulos a Mammaria interna atque Intercoſtali ſuperiore accipit. Id quod etiam reſpectu Mediaſtinae atque Pericardinae notandum eſt.

85. Arteria Pericardina fere uti Thymica oritur, atque ſupra Pericardium ad Diaphragma uſque, cui etiam parvos Ramuſculos impertitur, deſcendit.

86. Arteria Mediaſtina quandoque immediate poſt Thymicam naſcitur, atque praecipue in Mediaſtino diſtribuitur.

87. Arteria Trachealis, quae quoque Gutturalis inferior vocari poteſt, a Subclavia ſerpentino tractu juxta longitudinem Aſperae Arteriae uſque ad Glandulas Thyroïdeas atque Laryngem repens aſcendit. Arteriolas in utroque latere de ſe ſpargit, quarum una partem Scapulae ſuperiorem petit.

ARTERIA MAMMARIA INTERNA.

88. Anterius & pauxillum inferius a Subclavia prope mediam Claviculae partem ortum ducit, & ad latus Sterni in diſtantia circiter digiti transverſi ab hoc Oſſe retro extremitates Portionum cartilaginoſarum Coſtarum Verarum deſcendit.

89. In decurſu ſuo Ramulos Thymo, Mediaſtino, Pericardio, Pleurae atque Muſculis Intercoſtalibus ſubminiſtrat. Transverſim per hos Muſculos, inter Coſtarum Cartilagines, ad Pectoralem majorem, ad Portiones Muſculares vicinas, ad Mammam, ad Pinguedinem ſive Corpus adipoſum & ad Cutim quosdam ablegat.

90. Mediantibus pluribus horum Ramulorum cum Mammaria externa & cum aliis Arteriis Thoracicis, praecipue in parte craſſiore Pectoralis majoris, imo etiam cum Arteriis Intercoſtalibus communicat, atque Anaſtomoſes format. In latere tandem Epiphyſis Xiphoïdeae e Pectore egreditur, atque in Muſculo Recto Abdominis, pauxillum infra partem ſuperiorem hujus Muſculi terminatur. Hoc in loco mediantibus pluribus parvis Ramuſculis revera cum Arteria Epigaſtrica communicationem alit. Peritonaeo & portionibus anterioribus Muſculorum Obliquorum atque Transverſorum Abdominis Ramulos in tranſitu ſuppeditat.

ARTERIA CERVICALIS.

91. Arteria Cervicalis ſuperius e Subclavia oritur, atque ſtatim in duas dividitur, quae quandoque ſeparatim, quandoque e parvo Trunco communi prodeunt. Una harum Arteriarum anterior eſt, atque e duabus maxima exiſtit. Altera poſterior eſt.

92. Cervicalis anterior retro Carotidem ejusdem lateris repit, atque in Muſculis Coraco-Hyoïdeo, Maſtoïdeo, Cutaneo, Sterno-Hyoïdeo, Sterno-Thyroïdeo, in Glandulis Jugularibus, in Arteria Aſpera, in Muſculis Pharyngis, in Bronchiis, in Oeſophago, atque in reliquis illis Muſculis anterioribus, qui Collum & Caput movent, diſtribuitur. Intercoſtalem quoque ſuperiorem ſuppeditare viſa eſt.

93. Cer-

93. Cervicalis poſterior quandoque parum poſt Vertebralem, & quandoque ex ipſa Vertebrali ortum ducit. Infra Apophyſin Transverſam ultimae Vertebrae Colli, & quandoque per Foramen peculiare hujus Apophyſis tranſit. Supra Muſculos Vertebrales Colli diverſis ſerpentinis inflexionibus retrorſum aſcendit, atque mediantibus ſimilibus inflexionibus iterum deſcendit.

94. Cum Ramulo Arteriae Occipitalis deſcendente, & cum alio Arteriae Vertebralis inflexionis Ramulo ſupra ſecundam Vertebram communicationem alit. Muſculis Scalenis, Muſculo Angulari Scapulae, Trapezio, Glandulis Jugularibus, atque Tegumentis proſpicit.

ARTERIA VERTEBRALIS, BASILARIS, SPINALES, MENINGEA POSTERIOR, ET AUDITIVA INTERNA.

95. Arteria Vertebralis poſterius & pauxillum ſuperius e Subclavia, ex oppoſito fere Mammariae internae atque Cervicalis egreditur. Cuncta Vertebrarum Colli Foramina transverſa perforando aſcendit, & in hocce trajectu parvos Ramulos per Inciſuras laterales earundem Vertebrarum ad Medullam Spinalem ipſiusque Involucra mittit. Muſculis quoque Vertebralibus aliisque Muſculis vicinis quosdam largitur.

96. Per Foramen transverſum ſecundae Vertebrae pergens, ordinarie curvaturam obliquitati hujus Foraminis peculiari, de quo in Tractatu de Offi-

bus Siccis (n. 479.) dictum fuit, proportionatam efficit. Foramine hocce ſuperato, & antequam per Foramen transverſum primae Vertebrae excurrit, majorem adhuc, & in ſenſum prioris contrarium curvaturam inſtituit. Tandem poſtquam Foramen transverſum primae Vertebrae tranſiit, tertiam curvaturam inſtituit, quae inflexio notabilis ab anteriori retrorſum eſt, dum per Inciſuram ſuperiorem & poſteriorem primae hujus Vertebrae decurrit.

97. Ex ultima hacce inflexione parvus Ramus pullulat, qui in partibus externis poſterioribus Occipitis in Ramulos dividitur, & cum Arteria Cervicali atque Arteria Occipitali communicat. Poſtquam ad Foramen magnum Occipitale pervenit, Cranium, Duram Matrem perforando, intrat. Arteria Occipitalis poſterior ad diſtinctionem alterius, quae lateraliter excurrit, vocari poteſt.

98. In ſuo in Cranium introitu parti poſteriori Medullae Oblongatae, Corporibus Olivaribus atque Corporibus Pyramidalibus plures parvos Ramuſculos largitur, qui in lateribus quoque poſterioribus quarti Ventriculi Cerebri diſtribuuntur, atque Plexum Choroïdeum Cerebelli producunt.

99. Supra Apophyſin deinde Baſilarem Oſſis Occipitis progreditur, & pedetentim verſus Vertebralem alterius lateris ad extremitatem uſque hujus Apophyſis vertitur, ubi Arteriae Vertebrales in Truncum communem coëunt, qui Arteria

teria Baſilaris, ſive Truncus unitus duarum Vertebralium vocari poteſt.

100. Arteria Baſilaris infra craſſam Protuberantiam transverſalem Medullae Oblongatae verſus anteriora repit, atque huic Protuberantiae partibusque Medullae Oblongatae vicinis Ramuſculos ſuppeditat. Verſus extremitatem Apophyſis Baſilaris denuo quandoque in duos Ramos laterales dividitur, quorum quilibet cum Ramo poſteriore Carotidis internae vicinae communicat, & in Lobo Cerebri poſteriore terminatur.

101. Arteriae Spinales duae ſunt, una anterior, altera poſterior, & ambae ſoboles duarum Vertebralium exiſtunt, quarum quaelibet ſtatim poſt ſuum in Cranium introitum parvum Ramulum emittit. Duo parvi Ramuli ſibi invicem occurrunt, atque mediante ſua unione Arteriam Spinalem poſteriorem formant. Eaedem Vertebrales infra Apophyſin Baſilarem ſive Proceſſum Oſſis Occipitis progredientes, parvum Ramulum adhuc retrorſum mittunt. Hi duo alii parvi Ramuli itidem ſibi invicem occurrunt, atque unione ſua Arteriam Spinalem anteriorem componunt. Duae Arteriae Spinales juxta longitudinem partis anterioris atque partis poſterioris Medullae Spinalis deſcendunt, & mediantibus parvis Ramuſculis transverſis cum iſtis, quae ab Arteriis Intercoſtalibus atque Lumbaribus huc ablegantur, communicationem alunt.

102. Arteria Auditiva interna in quolibet latere a Trunco hocce readunato, qui Arteria Ba-

ſilaris vocari poteſt, procedit. Ad Organum Auditus tendit, atque poſtquam pluribus parvis Ramulis Membranae Arachnoïdeae proſpexit, Nervum Auditivum comitatur.

103. Arteria Meningea poſterior inde quoque oritur, quae retrorſum ſupra Os Occipitale & ſupra Os Petroſum ad Duram Matrem ſeſe confert. Lobis quoque Cerebri vicinis proſpicit.

ARTERIA INTERCOSTALIS SUPERIOR.

104. Quando haecce Arteria non a Trunco Aortae Deſcendentis provenit, ordinarie inferius e Subclavia oritur, & ſupra faciem internam duarum, trium aut quatuor ſuperiorum Coſtarum Verarum, prope earundem Capitula deſcendit, & ad quamlibet Coſtam Ramum mittit, qui juxta totam longitudinem earundem marginis inferioris repit, atque Muſculos Intercoſtales partemque Pleurae vicinam irrigat.

105. Hi Rami ſive Arteriae Intercoſtales peculiares per intervalla mediantibus parvis Ramulis, qui ab una ad alteram ſupra Muſculos Intercoſtales aſcendunt atque deſcendunt, inter ſe communicationem alunt.

106. Eaedem hae Arteriae Intercoſtales Muſculo inſuper Sterno-Hyoïdeo, Subclavio, Sternali, Muſculis Vertebralibus atque Corporibus Vertebrarum Ramulos ſubminiſtrant. Ad majorem atque minorem Pectoralem &c. quoque, Muſculos Intercoſtales perforando, Ramulos mittunt, & tandem, per Inciſuras quatuor priorum

rum Vertebrarum, Medullae Spinali ejusque Involucris proſpiciunt.

107. Arteria Intercoſtalis ſuperior communis, alias immediate e Subclavia pullulans, quandoque a Cervicali procedit. Quandoque ex Aorta Deſcendente, modo per Arteriolas ſeparatas, modo per parvum Truncum communem, qui ſupra Coſtas oblique aſcendens dividitur, ortum ducit. Hae Arteriae Intercoſtales ſuperiores denique interdum ab Arteria Bronchiali vicina, & interdum a pluribus Arteriis Bronchialibus proficiſcuntur.

CANALIS, ſive LIGAMENTUM ARTERIOSUM.

108. Canalis Arterioſus ordinarie in Foetu atque parvulis Infantibus tantummodo reperitur, atque ex Aorta Deſcendente immediate poſt Subclaviam ſiniſtram oritur. In Adultis ordinarie admodum conſtrictus atque plane obſtructus eſt, & non niſi inſtar ſpeciei Ligamenti admodum brevis, quod una extremitate Aortae, atque altera Arteriae Pulmonali annectitur, apparet; ita ut non niſi Ligamenti Arterioſi nomen mereatur.

ARTERIAE BRONCHIALES.

109. Arteriae Bronchiales quandoque a parte anteriore Aortae Deſcendentis ſuperioris, quandoque a prima Arteria Intercoſtali, & quandoque ab Arteria quadam Oeſophagea procedunt. Interdum in utroque latere pro quolibet Pulmone ſepa-

ſeparatim naſcuntur; interdum ſolitarie aut e parvo quodam Trunco communi oriuntur, qui dextrorſum atque ſiniſtrorſum verſus Furcam Aſperae Arteriae, quo Bronchiorum Ramos ſequatur, dividitur.

110. Arteria Bronchialis lateris ſiniſtri ſaepiſſime Aortae ſoboles eſt, dum iſta lateris dextri ab Intercoſtali ſuperiori ejusdem lateris, ob Aortae ſitum procedit. Alia quoque invenitur, quae poſterius ex Aorta, prope Arteriam Intercoſtalem ſuperiorem, atque altius adhuc quam Bronchialis anterior pullulat.

111. Anno 1719. communicationem admodum manifeſtam inter Ramulos Venae Pulmonalis ſiniſtrae atque Ramulos Arteriae Oeſophageae, quae a prima Arteria Intercoſtali ſiniſtra, conjunctim cum Bronchiali ejusdem lateris prodibat, vidi.

112. Bronchialis ad vicinam Cordis Auriculam parvum Ramum ablegat, qui cum Arteria Coronaria communicat.

113. Anno 1719. aut 1720. communicationem Arteriae Bronchialis ſiniſtrae cum Vena Azygos inveni. Praeterea Anno 1721. menſe Aprili Ramulum Arteriae Bronchialis ſiniſtrae cum Corpore hujus Venae anaſtomoſin alere reperi.

ARTERIAE OESOPHAGEAE.

114. Ordinarie duae aut tres numero ſunt, & quandoque unica tantum reperitur. Anterius ex Aorta Deſcendente oriuntur, atque in Oeſophago &c. diſtribuuntur. Superior harum Arteriarum

rum unam ex Arteriis Bronchialibus quandoque procreat.

ARTERIAE INTERCOSTALES INFERIORES.

115. Communiter ſeptem aut octo in quolibet latere reperiuntur. Quandoque numerum hunc ad decem uſque in quolibet latere excedunt; id quod accidit, quando ſuperiores etiam ex Aorta Deſcendente procedunt, atque tunc ſuperiores oblique ſurſum aſcendunt, quemadmodum occaſione Intercoſtalium ſuperiorum modo annotavi.

116. Juxta longitudinem partis poſterioris Aortae Deſcendentis ad Diaphragma uſque per paria oriuntur, & in utroque latere ſupra Corpora Vertebrarum transverſim excurrunt. Iſtae lateris dextri retro Venam, quae Azygos dicitur, ſeſe conferunt. Ambae deinde Muſculos Intercoſtales, juxta totam longitudinem marginis inferioris Coſtarum, uſque verſus Sternum petunt.

117. Ramulos ad Pleuram, ad Muſculos Vertebrales, ad iſtos qui Coſtas exterius contegunt, & ad Portiones ſuperiores Muſculorum Abdominis mittunt. Cum Arteriis Epigaſtricis atque Lumbaribus communicationem alunt.

118. Cum alias per paria ex Aorta immediate progrediantur, parvi quandoque Trunci ex eadem exurgunt, qui deinde dividuntur aut bifurci fiunt, quo quilibet Coſtis vicinis Intercoſtales ſubminiſtret.

119.

119. Antequam juxta longitudinem Coſtarum excurrunt, quaelibet inter Apophyſes transverſas in utrumque latus Ramulum ad Muſculos Vertebrales, atque alium, qui in Canalem Spinae Dorſi ſeſe confert, ablegat. Quilibet Ramulus eundem intrans ad minimum in duas Arteriolas dividitur, quarum una Concavitatem partis anterioris Canalis, atque altera iſtam partis poſterioris transverſim legit. Ambae pares Arteriolas lateris oppoſiti oſculantur, atque cum iis anaſtomoſes formant, ita ut Annuli quaſi Arterioſi exinde effingantur, qui mediantibus aliis parvis Ramuſculis adhuc communicationem inter ſe alunt. Cum Arteriis Lumbaribus idem fere contingit.

120. Quaelibet deinceps Arteria Intercoſtalis peculiaris, poſtquam verſus medium Coſtae aut ultra pervenit, in duos Ramos primarios dividitur, quorum unus internus eſt, atque alter verſus exteriora penetrat. Iſtae quae Coſtas Spurias comitantur, ab iisdem paulo poſt, dum una poſt alteram, per gradus quaſi, deorſum incurvatur, ſecedunt, atque ſupra Muſculos Abdominales expanduntur. In aliis inſuper vicinis Muſculis, imo in iis Diaphragmatis, fere uti Phrenicae ordinariae diſtribuuntur. Cum Lumbaribus quoque, & quandoque cum Ramulis Hypogaſtricarum communicant.

ARTERIAE AXILLARES, THORACICAE, SCAPULARES, HUMERALES.

121. Arteria Subclavia e Pectore immediate ſupra

ſupra primam Coſtam per receſſum Muſculi Scaleni egreſſa, nomen Axillaris, ob ſuum infra Axillam decurſum, accipit.

122. In hocce tranſitu ab initio ex parte ſua interna parvum Ramum ad Faciem internam primae Coſtae mittit. Deinde quatuor aut quinque Ramos primarios, Thoracicam ſcilicet ſuperiorem ſive Mammariam externam, Thoracicam inferiorem, Muſcularem ſive Scapularem externam, Scapularem internam atque Humeralem ablegat.

123. Arteria Thoracica ſuperior ſive Mammaria externa ſupra partes Thoracis laterales ſerpentino ductu Coſtasque decuſſando deſcendit. Ramulos duobus Muſculis Pectoralibus atque Mammis, Muſculo Subclavio, Serrato majori, Latiſſimo Dorſi, Portionibus ſuperioribus Coraco-Brachiaei atque Bicipitis ſubminiſtrat.

124. Hi Ramuli quandoque ex parte ſeparatim proveniunt, atque quidam eorum inter Muſculum Deltoïdem & Pectoralem majorem cum Vena Cephalica deſcendit, cui quaſi agglutinatus eſt, imo mediante extremitate ſua ſeſe in Tunicam hujus Venae inſinuat, acſi ibidem Anaſtomoſis inter eosdem eſſet. Quandoque quidam ibidem reperitur, qui inter Muſculum Brachiaeum atque Anconaeum internum deſcendit, quique Ramo cuidam Arteriae Radialis ſeſe aſſociat.

125. Arteria Thoracica inferior juxta longitudinem Coſtae inferioris Scapulae ad Muſculum Sub-Scapularem, Rotundum majorem, Rotundum minorem, Infra-Spinatum, Latiſſimum Dorſi,

Dorſi, Serratum majorem atque Intercoſtales vicinos ſe confert. Cum Scapularibus communicationem alit.

126. Arteria Scapularis externa per Inciſuram Coſtae ſuperioris Scapulae excurrit, quo Muſculos Supra-Spinatos & Infra-Spinatos, Rotundum majorem atque Rotundum minorem, & Scapulae cum Oſſe Humeri Articulationem attingat.

127. Arteria Scapularis interna ex Axillari verſus Axillam oritur, atque retrorſum excurrit, quo in Muſculo Sub-Scapulari diſtribui queat, Ramulos etiam ad Serratum majorem, ad Glandulas Axillares & ad Rotundum majorem ablegat, in quibus diverſimode Ramos diſpergit. Infra-Spinatis etiam atque portionibus ſuperioribus Muſculorum Anconaeorum proſpicit.

128. Arteria Humeralis ſtatim inferius & pauxillum anterius e Trunco Axillaris naſcitur. Ab anteriori retrorſum inter Caput Oſſis Brachii ſive Humeri atque Rotundum majorem ſeſe confert, quo Articulationem amplectatur, atque partem poſteriorem Muſculi Deltoïdis, in quo diſtribuitur, attingat.

129. In hacce inflexione plures Ramulos portionibus ſuperioribus Muſculorum Anconaeorum, Ligamento quod Articulationem Capitis Oſſis Humeri circumdat, imo etiam Oſſi ipſi per plura Foramina immediate infra magnam Tuberoſitatem hujus Capitis ſubminiſtrat. Cum Arteria Scapulari communicationem alit.

130. E regione ortus Arteriae hujus Humeralis,

lis, Axillaris aliam minorem emittit, quae in ſenſum contrarium excurrit, & inter Caput Oſſis atque apicem communem Bicipitis atque Coraco-Brachiaei repit. In decurſu ſuo Vaginae atque Stillicidio Bicipitis, ac Perioſtio Ramulos ſuppeditat, atque praecedenti ſive magnae Humerali obviam fit.

ARTERIA BRACHIALIS.

131. Poſt hoſce Ramos Arteria Axillaris immediate retro Tendinem Pectoralis majoris excurrit. Ibidem nomen ſuum mutat, atque Arteria Brachialis vocatur. Juxta longitudinem partis internae Brachii ſupra Muſculos Coraco-Brachiaeum atque Anconaeum internum, juxta longitudinem Marginis interni Bicipitis, retro Venam Baſilicam, parvos Ramulos in utroque latere ad Muſculos vicinos, ad Perioſtium atque ad Os mittens, deſcendit.

132. Ab Axilla ad medium Brachii uſque non niſi Pinguedine atque Cute contegitur; poſtea ſub Muſculum Bicipitem ſeſe abſcondit; atque quo magis deſcendit, eo magis verſus anteriora excurrit, dum a Condylo interno parumper recedit, ita tamen, ut non ad medium uſque Plicae Brachii accedat.

133. In deſcenſu ab Axilla ad hunc locum uſque, plures Ramulos ad Muſculum Infra Spinatum, ad Rotundum majorem, ad Rotundum minorem, ad Sub-Scapularem, ad Latiſſimum Dorſi atque ad Serratum majorem, ad Muſculos

vicinos, ad Tegumenta, imo etiam ad Nervos mittit. Infra hancce Plicam Cubiti ſive Intervallum duorum Condylorum, in duos Ramos primarios dividitur, quorum unus Arteria Cubitalis, & alter Arteria Radialis appellatur.

134. E parte ſua ſuperiore interna Ramulum peculiarem producit, qui poſteriora verſus vergens deſcendit, atque Muſculos Anconaeus tranſit, quo anteriora verſus Condylum externum repetat, ubi cum Ramulo Arteriae Radialis communicationem alit.

135. Immediate infra Inſertionem Rotundi majoris, alium Ramulum largitur, qui ſeſe etiam circum Os Brachii ab interiori extrorſum & a poſteriori introrſum confert, a poſteriori antrorſum inter Muſculum Brachiaeum atque Anconaeum externum, quibus in decurſu ſuo proſpicit, oblique deſcendit, atque deinde Condylum externum petit, ubi cum Ramulo praecedenti unitur, atque cum Ramulo quoque Arteriarum Brachii anterioris communicat, ita ut triplex inde Anaſtomoſis exurgat.

136. In diſtantia transverſi circiter digiti infra ſecundum huncce Ramulum, Arteria Brachialis tertium emittit, qui verſus Condylum internum deſcendit, & cum aliis Ramis Arterioſis Brachii anterioris communicationem alit, quemadmodum ex ſequentibus pateſcet.

137. In medio Brachii, imo etiam parumper inferius, eo in loco ubi Arteria Brachialis ſeſe abdere, & a Bicipite contegi incipit, Ramulum de ſe ſpargit, qui in Perioſtio diſtribuitur, & in Os Brachii,

Brachii, inter Muſculum Brachiaeum atque Anconaeum internum penetrat.

138. In diſtantia circiter pollicis magis inferius Ramulum ſuppeditat, qui, poſtquam Muſculo Anconaeo interno Ramuſculos praebuit, ſupra Condylum internum deſcendit, & cum aliis Ramulis Brachii anterioris etiam communicat, de quibus in ſequentibus ſermo erit.

139. Poſtquam Arteria Brachialis partem Brachii mediam emenſa fuit, Ramulum adhuc peculiarem emittit, qui retro Condylum internum cum notabili Nervo ſeſe confert, & poſtquam Muſculos huic Condylo inſertos peragravit, cum Ramulo Arteriae Cubitalis, qui Plicam Brachii amplectitur, communicat.

140. Quandoque paulo magis inferius adhuc Ramulum peculiarem producit, qui ante eundem hunc Condylum excurrit, itidemque cum Ramulo, qui ab Arteria Cubitali ſuperiora repetit, communicat. Hi tres Ramuli peculiares, qui ita in Brachio invicem communicant, Arteriae Collaterales vocantur.

141. Poſtquam Truncus communis Arteriae Brachialis Plicam Brachii attigit, cum Vena atque Nervo immediate ſub Aponevroſin Muſculi Bicipitis repit, atque infra Venam Medianam excurrit, Ramuloſque in utrumque latus ad Muſculos vicinos mittit.

142. Poſtquam ſpatium magni circiter digiti transverſi ultra hancce Plicam emenſus eſt, per Furcam in duos primarios Ramos dividitur, quo-

rum unus Arteria Cubitalis, atque alter Arteria Radialis ſalutatur, quemadmodum jam innuimus. Cubitalis interius ſive poſterius ſita eſt, atque Radialis exterius aut anterius decurrit.

143. Ex hacce Furca Brachialis in utrumque latus Ramulos ad Muſculum Supinatorem longum, ad Pronatorem Rotundum, ad Pinguedinem & ad Cutem mittit. Raro accidit, ut loco hujus Furcae Arteria Brachialis in ſuo ortu in duos magnos Ramos, qui juxta longitudinem Brachii deſcendunt, & mediante eorundem continuatione in Brachio anteriore Cubitalem atque Radialem formant, dividatur.

ARTERIA CUBITALIS.

144. Arteria Cubitalis inter Os Cubiti atque partes ſuperiores Muſculorum Pronatoris Rotundi, Sublimis, Palmaris atque Radiaei interni ſeſe immergit. Os deinceps relinquit, atque juxta totam longitudinem inter Muſculum Sublimem & Muſculum Cubitaeum internum ad Carpum uſque repit, quo Ligamentum Transverſum internum, ſive craſſum Ligamentum Carpi attingat. In hocce decurſu plures inflexiones ſerpentinas efficit, atque plures Ramos de ſe ſpargit.

145. Parvum ſtatim producit, qui ſeſe introrſum confert, quo Condylum internum attingat, ubi iterum, inſtar ſpeciei Recurrentis, aſcendit, quo mediantibus pluribus parvis Ramulis cum Arteriis Brachii Collateralibus, de quibus ſuperius dixi, inprimis cum tertia harum Collateralium com-

communicet. Paulo inferius alium parvum ablegat, qui parum iterum aſcendit, & poſtquam Articulationem fere circumdedit, cum ſecunda earundem Collateralium, inter Olecranum atque Condylum internum communicat.

146. Arteria Cubitalis deinde inter Capita Oſſis Cubiti atque Oſſis Radii Ligamentum Interoſſeum petit, ubi duos Ramos primarios ſubminiſtrat, quos Arterias Interoſſeas Brachii anterioris, unam internam, & alteram externam, voco.

147. Arteria Interoſſea externa ſtatim Ligamentum Interoſſeum in diſtantia trium circiter transverſorum digitorum infra Articulationem perforat. Mox poſtea Ramulum emittit, qui, inſtar Recurrentis iterum verſus Condylum externum Brachii ſub Muſculo Cubitaeo externo & Anconaeo minore, in iisdem, & in Supinatore brevi ſeſe diſtribuens, aſcendit. Ramulus hic cum Arteriis Collateralibus Brachii ejusdem lateris communicationem alit.

148. Poſtea Arteria Interoſſea externa juxta longitudinem Faciei externae Ligamenti deſcendit, & in Muſculo Cubitaeo externo, in Extenſore communi Digitorum & in Extenſoribus propriis Pollicis, Indicis atque Digiti Annularis diſtribuitur. In hocce decurſu cum Ramulis quibusdam internis Interoſſeae internae communicat.

149. Quando tandem ad extremitatem inferiorem Oſſis Cubiti pervenit, cum Ramo Interoſſeae internae unitur, quae hoc in loco ab interiori extrorſum repſit, & cum illa in convexi-

tate Carpi & in Dorſo Manus diſtribuitur, communicationem cum Arteria Radiali & cum Ramulis Rami cujusdam interni Arteriae Cubitalis alens, de qua poſtea ſermonem inſtituemus.

150. Ob haſce communicationes Arteria Interoſſea externa ſpeciem Arcus irregularis format, ex quo Ramuli pro Muſculis Interoſſeis externis, & pro partibus lateralibus externis Digitorum pullulant.

151. Arteria Interoſſea interna Ligamento Interoſſeo agglutinata uſque infra Muſculum Pronatorem Rotundum deſcendit, inter quem atque Pronatorem Quadratum Ligamentum perforat, & partem externam ſive convexam Carpi atque Dorſum Manus attingit, ubi cum Interoſſea externa, Radiali atque Ramis internis Cubitalis, uti modo dixi, communicat.

CONTINUATIO ARTERIAE CUBITALIS.

152. Poſt ortum Interoſſearum Arteria Cubitalis inter Muſculos Sublimem, Profundum & Cubitaeum internum, juxta longitudinem Oſſis Cubiti, in partibus vicinis in Ramuſculos ſeſe dividens, inferiora petit. Quandoque infra Interoſſeam internam Ramulum ablegat, qui inter Muſculum Flexorem Pollicis, Muſculum Radiaeum internum atque Sublimem, in iisdem ad Carpum uſque ſeſe diſtribuens, deſcendit, ubi infra craſſum Ligamentum Annulare, ſive Ligamentum Transverſum internum repit, & in Manum ſeſe confert, ubi cum Ramulis Arteriae Radialis communicationem alit.

153.

153. Arteria Cubitalis deinde ſupra Ligamentum Transverſum internum Carpi, ad latus Oſſis Piſiformis excurrit, Cuti, Muſculo Palmari, Muſculo Metacarpiaeo proſpicit, & infra Aponevroſin Palmarem tandem repit. Hoc in loco Ramulum Hypothenari minimi Digiti, atque alium, qui verſus Pollicem inter Tendines Flexorum Digitorum atque Baſes Oſſium Metacarpi excurrit, ſubminiſtrat.

154. Alium adhuc Ramulum producit, qui inter tertium & quartum Os Metacarpi repit, & ad Dorſum Manus uſque penetrat, ubi cum Arteria Interoſſea externa communicat; & tandem, poſtquam Muſculis Interoſſeis proſpexit, cum Radiali communicationem alit, atque cum illa Arcum Arterioſum in Cavo Manus, & quidem ſequentem in modum format.

155. Poſtquam Cubitalis ad diſtantiam circiter duorum parvorum digitorum transverſorum ultra Ligamentum Transverſum internum Carpi pervenit, Arcum format, cujus convexitas Digitos reſpicit. Arcus hic Palmaris ordinarie e convexitate ſua tres quatuorve Ramulos emittit. Primus ad partem lateralem internam poſteriorem minimi Digiti, ad ipſius extremitatem uſque tendit. Ramulus hic quandoque continuatio ſive Ramus iſtius eſt, qui Hypothenarem petit.

156. Tres reliqui Arcus Palmaris Ramuli verſus Interſtitia quatuor Oſſium Metacarpi ſeſe conferunt, verſus quorum Capitula quilibet in duos Ramulos dividitur, qui juxta totam longitudi-

nem duarum partium lateralium internarum cujuslibet Digiti, a latere anteriore minimi Digiti uſque ad latus poſterius Indicis incluſive excurrunt. Hae Arteriae Digitales occurſu ſuo ſive unione in apicibus Digitorum communicationem inter ſe alunt.

157. Arcus Palmaris Arteriae Cubitalis quandoque in Ramulum anteriorem in Digito maximo deſinit; tuncque communicationem peculiarem cum Radiali, quae defectum huncce ſupplet, efficit.

158. Arcus hic ex parte ſua concava quoque, verſus ſecundam Pollicis Phalangem, Ramulum parti laterali internae ejusdem hujus Digiti ſubminiſtrat; atque deinceps verſus Capitulum primi Oſſis Metacarpi, cum Arteria Radiali communicans, finitur, poſtquam Ramulum lateri anteriori Indicis, atque alium lateri vicino Pollicis largita eſt; qui Ramuli in apicibus horum Digitorum cum paribus Ramulis vicinis, uti iſti reliquorum Digitorum, inter ſe communicant.

159. Arcus Palmaris etiam in decurſu ſuo parvos Ramuſculos Muſculis Interoſſeis, Lumbricalibus, Palmari, partibus vicinis atque Tegumentis ſubminiſtrat.

ARTERIA RADIALIS.

160. Arteria Radialis ab initio parvum Ramulum producit, qui inſtar Recurrentis iterum verſus Plicam Brachii aſcendit, ſeſeque circum Condylum externum retrorſum vertit, ubi cum Ramulis

mulis vicinis Trunci Arteriae Brachialis, inprimis cum prima Collaterali hujus lateris communicat.

161. Juxta longitudinem partis internae Radii deſcendit, atque inter Supinatorem Longum & Pronatorem Rotundum ac Tegumenta, & hiſce Muſculis, Muſculo Sublimi, Profundo atque Supinatori brevi Ramulos largiens repit. Deinde verſus extremitatem Radii ſerpentino ductu repit, & Flexoribus quoque Pollicis atque Pronatori Quadrato proſpicit.

162. Ipſam deinde Radii extremitatem petit, ubi Cuti, praecipue verſus marginem Oſſis anteriorem, ſeſe appropinquat, atque iſtam Arteriam, quam tactu ordinarie explorare ſolemus, conſtituit.

163. In extremitate Radii Ramulum ablegat, qui ad Muſculum Thenarem ſeſe confert, & poſtquam cum Arcu Palmari Arteriae Cubitalis communicavit, atque Ramulos quosdam Cutaneos pro Cavo Manus produxit, unum juxta totam longitudinem partis lateralis internae Pollicis mittit.

164. Poſtquam huncce Ramulum ſubminiſtravit, Radialis inter primam Pollicis Phalangem atque Tendines ejusdem Digiti repit, quo Interſtitium Baſium primae Phalangis Pollicis atque primi Oſſis Metacarpi attingat, ubi verſus Cavum Manus ſeſe vertit.

165. Ex hacce inflexione ſtatim Ramum ad partem lateralem externam Pollicis mittit, qui poſtquam ad extremitatem Pollicis pervenit, ibidem per parvum Arcum occurſus cum Ramo, ad partem lateralem internam ejusdem Digiti excurrente communicat.

166. In decurſu ſuo Ramos extrorſum ablegat, qui magis minusve transverſim inter duo priora Metacarpi Oſſa atque duos Tendines Muſculi Radiaei externi repunt, & cum Ramo oppoſito Cubitalis communicationem alit, quatenus cum illa Muſculis Interoſſeis externis, Tegumentis convexitatis Manus atque iſtis Carpi proſpicit.

167. Radialis denique Muſculum Semi-Interoſſeum Indicis verſus Baſin primi Oſſis Metacarpi tranſiens, atque infra Tendines Flexorum Digitorum repens, finitur, ubi cum Arcu Palmari Cubitalis unitur aut anaſtomoſin format.

168. Alium Ramum ſubminiſtrat, qui juxta longitudinem partis anterioris primi Oſſis Metacarpi excurrit, atque convexitatem Indicis petit, ubi in Tegumentis evaneſcit.

169. In trajectu hocce Ramulum parti laterali internae Indicis ſubminiſtrat, qui in apice ejusdem Digiti Ramulo oppoſito, ab Arcu provenienti, occurrit. Alium adhuc parvum largitur, qui Muſculos Interoſſeos internos decuſſat, & quandoque ſpeciem parvi Arcus irregularis format, qui Arteriolas communicationis ad magnum Arcum Palmarem ablegat.

170. Accidit ut Arcus Palmaris Arteriae Cubitalis Digitum Maximum attingat; tunc Radialis juxta longitudinem partis internae ſive concavae primi Oſſis Metacarpi rependo finitur; atque quando ad Capitulum hujus Oſſis pervenit, in duos Ramulos dividitur.

171. Unus horum Ramulorum juxta longitudinem partis lateralis internae anterioris Indicis excurrit. Alter inter Tendines Flexores hujus Digiti atque Os Metacarpi repit, & poſtquam cum Ramulo Cubitali Digiti maximi communicavit, juxta longitudinem partis lateralis poſterioris Indicis excurrit, atque in extremitate ſua primo Ramulo occurrit & cum eodem unitur.

ARTERIAE DIAPHRAGMATICAE.

172. Diaphragmatica ſiniſtra ordinarie e Trunco Aortae Deſcendentis, in ipſius inter Crura parvi Muſculi ſive Muſculi inferioris Diaphragmatis trajectu oritur. Diaphragmatica dextra quandoque ex Arteria Lumbari vicina, aſt ſaepiſſime ex Arteria Coeliaca pullulat. Quandoque ambae, tam dextra quam ſiniſtra, ex parvo Trunco communi proficiſcuntur, qui ex Aorta naſcitur. Arteriae hae etiam Phrenicae audiunt.

173. Fere ſemper in plures Ramuſculos diviſae in concavitate ſive Facie inferiore Diaphragmatis, & raro in convexitate, ſive Facie ſuperiore conſpiciuntur. Parvos Ramulos ad Glandulas Supra-Renales, quae communiter Capſulae Atrabilares dicuntur, ablegant; qui Ramuli quandoque cum Arteriis Capſularibus, quae aliunde oriuntur, anaſtomoſin formant.

174. Parvos quoque Ramulos Pinguedini Renes contegenti, quaeque Membrana Adipoſa vocatur, ſubminiſtrant; unde hi parvi Ramuli Arteriae Adipoſae appellantur. Adipoſae etiam imme-

mediate ex Trunco Aortae ad latus Arteriae Meſentericae ſuperioris proveniunt.

175. Praeter has Diaphragmaticas primitivas ſive primarias, ſecundariae quoque reperiuntur, quae ab Intercoſtalibus, Mammariis internis, Mediaſtinis, Pericardinis atque a Coeliaca, quemadmodum in Expoſitione Arteriarum modo dictarum videre eſt, oriuntur.

ARTERIA COELIACA.

176. Anterius & parumper ſiniſtrorſum ex Aorta Deſcendente, immediate poſt ipſius per parvum Muſculum ſive Muſculum inferiorem Diaphragmatis trajectum, e regione circiter Cartilaginis quae inter ultimam Vertebram Dorſi atque primam Lumborum eſt, oritur. Truncus Coeliacae admodum brevis exiſtit. Statim poſt ſuum ortum in latere dextro duas parvas Arterias Diaphragmaticas gignit, quarum quandoque una tantum in latere dextro reperitur, atque deinceps verſus duo latera diſtribuitur. Cum reliquis Diaphragmaticis a Mammariis & Intercoſtalibus procedentibus communicationem alunt. Siniſtra Ramulos ad orificium ſuperius Ventriculi & ad Capſulam ſive Glandulam Supra-Renalem vicinam mittit. Iſta, quae in latere dextro exiſtit, Capſulae ſui lateris atque Pyloro proſpicit.

177. Mox poſtea Ramum mediocrem largitur, qui communiter Arteria Coronaria Stomachica, Arteria Gaſtrica, ſive Arteria Gaſtrica ſuperior vocatur; & immediate poſtea in duos craſſos Ramos

mos dividitur, unum dextrum, qui Arteria Hepatica dicitur, & alterum ſiniſtrum, qui Arteria Splenica vocatur, quae illarum maxime notabilis eſſe videtur.

178. Coeliaca quandoque illico in parva a ſua origine diſtantia in hos tres Ramos, inſtar Tripodis fere dividitur. Truncus Coeliacae fere directe ex Aorta egreditur, & hi tres Rami in ſuo exortu revera ad angulos in hocce Trunco brevi, inſtar trium Radiorum in Cardine a ſe invicem diſcedunt. Id quod occaſionem, ut Truncus hicce brevis Cardo Coeliacae nominetur, ſubminiſtravit.

ARTERIA CORONARIA STOMACHICA.

179. Mox ad portionem ſiniſtram Ventriculi, parumper ultra ipſius Orificium ſuperius ſeſe confert, atque Ramulos circum hoc Orificium & ad cuncta Ventriculi latera emittit; qui Ramuli cum iſtis, qui juxta totam longitudinem fundi Ventriculi uſque verſus Pylorum excurrunt, communicationem alunt.

180. Deinde ad latus dextrum ejusdem Orificii ſe confert, juxta longitudinem parvae curvaturae Ventriculi fere verſus Pylorum uſque excurrit, ubi cum Arteria Pylorica communicat, atque verſus Lobulum Hepatis, eidem parvos quosdam Ramuſculos praebendo, ſeſe vertit.

181. Poſtea infra Canalem ſive Ligamentum Venoſum procedit, atque Lobum ſiniſtrum Hepatis petit; ubi prope initium dicti Canalis ſeſe immer-

immergit. In tranſitu parvos quosdam Ramuſculos partibus vicinis Diaphragmatis atque Epiploï praebet.

ARTERIA HEPATICA.

182. Poſt ſuum e Coeliaca exitum ad partem ſuperiorem internam Pylori Venam Portae comitatur, atque duos Ramulos peculiares, unum parvum qui Arteria Pylorica dicitur, & unum magnum qui Arteria Gaſtrica dextra ſive Gaſtrica magna vocatur, producit.

183. Arteria Pylorica in Pyloro in Ramuſculos dividitur, unde Pyloricae nomen accepit. Ipſius Ramuli in partibus vicinis Ventriculi diſtribuuntur, atque cum iſtis Gaſtricae dextrae communicationem alunt. Pylorica in Pyloro cum Coronaria Stomachica anaſtomoſin formando finitur.

184. Poſtquam Gaſtrica dextra ultra & retro Pylorum pervenit, ſtatim Ramulum notabilem qui Arteria Duodenalis ſive Arteria Inteſtinalis dicitur, de qua in ſequentibus dicemus, quaeque quandoque a Trunco ipſo Hepaticae provenit, emittit. Gaſtrica dextra juxta longitudinem portionis dextrae magnae curvaturae Rentriculi, Ramulos ad duo portionis vicinae Ventriculi latera ablegans, repit.

185. Hi Ramuli cum iſtis Pyloricae atque cum iſtis Coronariae Stomachicae, cumque aliis communicant, qui ſupra portionem vicinam Epiploï expanduntur, atque Arteriae Gaſtro-Epiploïcae dextrae vocantur, quae cum Arteria Meſenterica

ſupe-

ſuperiore communicationem alunt. Poſtea Gaſtrica dextra cum Gaſtrica ſiniſtra, quae Ramus Arteriae Splenicae eſt, unitur.

186. Arteria Duodenalis ſive Inteſtinalis juxta longitudinem Duodeni In latere Pancreatis, utrique, uti etiam portioni vicinae Ventriculi Ramulos ſubminiſtrans, excurrit. Quandoque Gaſtrica haec ex Arteria Meſenterica ſuperiore oritur, & quandoque duplex exiſtit.

187. Poſtquam Arteria Hepatica Pyloricam atque Gaſtricam dextram ſubminiſtravit, retro Ductum Hepaticum verſus Veſiculam Felleam ſeſe confert, atque eidem inprimis duos Ramulos, quae Arteriae Cyſticae dicuntur, atque alium, qui Arteria Biliaris vocatur, qui in magnum Lobum Hepatis ſe immergit, largitur.

188. Denique Arteria Hepatica in ſciſſuram Hepatis intrat, ſeſeque Venae Portae aſſociat. Cum hacce Vena in Vaginam Membranaceam, quae Capſula Gliſſonii dicitur, ſeſe inſinuat, eamque ubique in Hepate per totidem Ramuſculos, qui Arteriae Hepaticae propriae appellari poſſunt, comitatur.

189. Ante ipſius in Hepar introitum Membranae externae hujus Viſceris atque ipſi Capſulae parvos Ramulos dat. Arteriae Gaſtricae uti etiam Hepaticae propriae, Ramuſculis ordinariis deficientibus, quandoque ex Arteria Meſenterica ſuperiore pullulant.

ARTE-

ARTERIA SPLENICA.

190. Statim poſt ſuum ex Coeliaca ortum ſiniſtrorſum infra Ventriculum atque infra Pancreas excurrit, atque Lienem petit. Juxta longitudinem Pancreatis parti poſteriori Faciei inferioris hujus Glandulae agglutinatur, eique plures Ramulos, quae Arteriae Pancreaticae dicuntur, praebet.

191. Verſus Pancreatis extremitatem, infra Portionem Ventriculi ſiniſtram, Arteria Splenica Ramum primarium, qui Arteria Gaſtrica ſiniſtra ſive Gaſtrica parva vocatur, de ſe ſpargit. Haecce Gaſtrica a latere ſiniſtro dextrorſum juxta longitudinem portionis ſiniſtrae magnae curvaturae Ventriculi repit, Ramulos qui cum iſtis Coronariae Stomachicae communicationem alunt, ad utrumque hujus portionis Ventriculi latus ablegans.

192. Eadem Gaſtrica in extremitate Pancreatis ad minimum unum Ramulum adhuc ablegat, qui cum reliquis Arteriis Pancreaticis communicat. Epiploo quoque quosdam ſub nomine Arteriarum Gaſtro-Epiploïcarum ſiniſtrarum ſubminiſtrat. Cum Gaſtrica dextra deinde unitur atque communicat, haeque duae Gaſtricae occurſu ſuo Gaſtrò-Epiploïcas medias producunt.

193. Ex his omnibus eluceſcit, quod Arteria Coronaria Stomachica, Pylorica, Inteſtinalis, duae Gaſtricae, Gaſtro-Epiploïcae, Epiploïcae, & per conſequens Hepatica atque Splenica, imo etiam Meſenterica cunctae communicationem inter ſe alant.

194.

194. Arteria Splenica poſtea, inflexu modo magis, modo minus tortuoſo, verſus Lienem progreditur; & antequam illum attingit, craſſae Extremitati ſive magno Ventriculi Angiportui duos aut tres Ramulos, qui communiter Vaſa Brevia dicuntur, atque alium Ramulum Epiploo, qui Arteria Epiploïca vocatur, largitur.

195. Poſtquam Splenica ad Lienem pervenit, in quatuor ſive quinque Ramulos dividitur, qui, poſtquam parvos quoſdam partibus vicinis Ventriculi atque Epiploï dedere, ſeſe in Viſcus hoc immergunt.

ARTERIA MESENTERICA SUPERIOR.

196. Anterius ex Aorta Deſcendente inferiore in parva infra Coeliacam diſtantia oritur. Fere magis e latere dextro provenit, atque ſtatim verſus ſiniſtrum incurvatur.

197. Parvum in ſuo ortu Ramum largitur, qui per parvam Furcam in Facie inferiore Capitis Pancreatis inque parte vicina Inteſtini Duodeni diſtribuitur, & cum Arteria Duodenali per parvos Arcus atque Areolas ſive Maculas communicat.

198. Supra Duodenum deinde, inter hoc Inteſtinum atque magnam Venam Meſaraïcam excurrit, inter duas Meſenterii Laminas repit, ſeſeque per trajectum obliquum a latere ſiniſtro dextrorſum & a ſuperiori deorſum, pedetentim & gradatim incurvans, verſus extremitatem Inteſtini Ilii procedit. Hacce curvatura ſpeciem Arcus admodum longi format, ex cujus convexitate ſive magna curvatura quamplurimi Ramuli progerminant.

199. Rami convexitatis hujus Arcus Arteriae Meſentericae ad ſedecim aut octodecim, plus minusve, exurgunt, & omnes fere ab ultima tertia Duodeni parte Inteſtinis Tenuibus impenduntur. Rami priores admodum breves ſunt, & reliquorum longitudo magis magisque atque proportionate ad iſtos uſque, qui medium Arcus occupant, augetur. Rami medium hocce ſequentes ad ultimos uſque ſenſim longitudine decreſcunt.

200. Omnes hi Rami Inteſtinis appropinquantes ſtatim per Arcus reciprocos, & deinde per Rhombos, Areolas ſive Maculas variae figurae inter ſe communicant, e quibus infiniti parvi Ramuli proficiſcuntur, qui Canalem Inteſtinalem ubique inſtar Reticuli Annularis amplectuntur.

201. Quo longiores Rami fiunt, eo magis Arcus hi & hi Rhombi ſive Maculae multiplicantur, & quo magis ad Canalem Inteſtinalem accedunt, eo magis eorundem magnitudo ſive extenſio imminuitur.

202. Rami priores convexitatis Arcus admodum breves ſunt. Pancreati atque Meſocolo proſpiciunt, & cum Duodenali communicationem alunt. Omnium ultimus Appendicem Vermiformem dotat, atque Portionem Arcus ad Coli Caput mittit.

203. Rami concavitatis Arcus ſaepiſſime duos tantum aut tres notabiles, raro plures, conſtituunt. Ante hos Ramos mox parvus Ramulus abſcedit, qui ad Duodenum ſeſe confert, atque Arteriolas quasdam ad Pancreas ablegat.

204. Primus Ramus primarius concavitatis Arcus

cus ad Meſocolum verſus portionem Coli dextram ſeſe confert. Antequam idem attingat, in duos Ramulos dividitur, quorum maximus juxta totam longitudinem partis ſuperioris Coli aſcendit, ubi famoſam iſtam communicationem cum Meſenterica inferiore format. Ramulus hic Arteria Colica ſuperior vocari poſſet. Alter Ramulus hujus Rami prioris juxta longitudinem portionis dextrae Coli deſcendit.

205. Poſtquam ſecundus Ramus primarius concavitatis Arcus viam quandam per Meſenterium emenſus fuit, in tres Ramulos dividitur, quorum primus ad partem inferiorem portionis dextrae Coli tendit, ubi cum ſecundo Ramulo prioris Rami communicat. Secundus Ramulus ad initium Coli, ubi cum praecedenti communicationem alit, atque ad Caput hujus Inteſtini, quod Coecum vocant, ſeſe confert.

206. Tertius Ramulus ſecundi Rami primarii, poſtquam cum Ramulo praecedenti communicavit, parvum quoque ad Coecum, ad Appendicem Vermiformem & ad Extremitatem Ilii mittit. Communicationem deinde cum extremitate Arcus ſive Trunci curvati Arteriae Meſentericae ſuperioris alit.

207. Cunctae hae communicationes, veluti in diſtributione Ramorum convexitatis Arcus per Arcus atque per Maculas fiunt. In genere Truncus omneſque Rami Arteriae Meſentericae ſuperioris juxta Meſenterii plicas atque juxta Inteſtinorum gyros ordinantur, & in itinere ſuo Me-

ſenterii Laminis, ipſius Subſtantiae Celluloſae atque Glandulis Meſentericis Ramulos praebent.

ARTERIA MESENTERICA INFERIOR.

208. Anterius ex Aorta Deſcendente inferiore, transverſum circiter digitum aut plus ſupra ipſius Furcam, & infra Arterias Spermaticas promanat. Poſtquam duos transverſos digitos aut ultra progreſſa fuit, in tres & quandoque in quatuor Ramos dividitur, qui quo magis iter ſuum proſequuntur, admodum notabiliter a ſe invicem ſecedunt.

209. Poſtquam Ramus ſuperior aut primus pollicem circiter, absque ut Ramuſculos largiatur, emenſus eſt, in duos Ramulos primarios diſcerpitur, quorum primus juxta longitudinem portionis ſiniſtrae Coli aſcendit, atque communicationem iſtam duarum Arteriarum Meſentericarum, de qua ſuperius diximus, format. Ramulus hic Arteria Colica ſiniſtra appellari poteſt. Poſtquam ſecundus Ramulus cum primo communicavit, ſupra eandem Coli portionem inferiora petit.

210. Ramus medius non minorem viam indiviſus percurrit, & deinde in duos Ramulos dividitur. Unus ſupra Coli extremitatem, per Arcus cum ſecundo Ramulo Rami ſuperioris communicationem alens, iterum aſcendit, & alter ſupra eandem hujus Inteſtini extremitatem deſcendit.

211. Quando alius adhuc Ramus medius adeſt, tunc ad primum flexum duplicis Coli curvaturae per ſimilem diſtributionem, & per ſimilem communicationem a ſuperiori deorſum ſeſe confert.

212. Ramus inferior ad ſecundum Coli flexum,

xum, ſive uno Ramo medio deficiente ad ambos flexus accedit, atque Ramulum quoque surſum ablegat, qui cum praecedenti communicat.

213. Alium Ramulum admodum notabilem, qui Arteria Haemorrhoïdalis interna dicitur, deorſum mittit, quae retro Inteſtinum Rectum deſcendit, ibidem per plures Ramuſculos diſtribuitur, atque cum Arteriis Hypogaſtricis communicationem alit.

ARTERIAE RENALES, CAPSULARES, SPERMATICAE, LUMBARES, SACRAE.

214. Arteriae Renales, Arteriae Emulgentes communiter dictae, ordinarie duae numero ſunt, atque lateraliter ex Aorta Deſcendente inferiore, immediate infra Arteriam Meſentericam ſuperiorem, una in latere dextro, & altera in ſiniſtro egrediuntur. Iſta lateris dextri magis retrorſum ſita eſt, atque iſta lateris ſiniſtri, ob Venam Cavam, quae in latere dextro Aortam inter & Renem reperitur, longior exiſtit.

215. Penitus indiviſae ordinarie, & per viam fere horizontalem Renes adeunt, in quos per plures Ramulos ſeſe immergunt, qui poſtquam per depreſſiones Renum ingreſſi ſunt, in Subſtantia Renum interna Arcus formant.

216. Ex his Arcubus quamplurimi alii parvi Ramuli verſus circumferentiam ſive ſuperficiem Renum externam exeunt. In quolibet latere quandoque plures adſunt; quandoque augmentum hoc in uno tantum latere conſpicitur. Hi Ramuli ſupernumerarii ſaepius immediate ex Aor-

ta ortum ducunt , atque in partem Renis ſuperiorem aut inferiorem intrant.

217. Arteria Renalis dextra ordinarie retro Venam Cavam atque Venam Renalem alterius lateris excurrit. Arteria ſiniſtra mox retro Venam Sociam, & poſtmodum ante eandem procedit. Ramulos quandoque Capſulis Renalibus & Pinguedini Renum, imo ipſi etiam Diaphragmati largiuntur.

218. Arteriae Capſularum Supra-Renalium, quae Arteriae Capſulares appellari poſſunt, quandoque ex Aorta ſupra Arterias Renales oriuntur, atque Arterias Adipoſas ſubminiſtrant, quae ad Renum Pinguedinem tendunt. Quandoque ex Trunco Coeliacae progerminant. Iſta lateris dextri ſaepiſſime ex Arteria Renali ejusdem lateris proxime ipſius originem prodit. Siniſtra ordinarie ex Aorta ipſa ſupra Renalem progreditur.

219. Arteriae Spermaticae ordinarie duae, quandoque plures numero ſunt. Admodum graciles exiſtunt, atque anterius ex Aorta Deſcendente inferiore, una prope alteram, transverſum circiter digitum infra Arterias Renales, modo magis ſuperius, modo magis inferius, inter duas Meſentericas, uno verbo, inter Renales atque Meſentericas inferiores egrediuntur. Quandoque una magis ſuperius aut magis lateraliter quam altera ſita eſt.

220. Statim ad Membranam Renum communem parvos Ramulos, qui Arteriae Adipoſae dicuntur, ablegant. Deinde ſupra Muſculos Pſoas ante

ante Ureteres, inter duas Peritonaei Laminas ſive Folia deſcendunt.

221. Plures Ramulos admodum notabiles in utrumque latus Peritonaeo, inprimis partibus Meſenterio vicinis praebent; & cum Arteriis Meſentericis, uti etiam cum Adipoſis, communicationem alunt. Arteriolas quoque Ureteribus ſuppeditant.

222. In Viris deinceps per Aperturas Muſculorum Abdominis Aponevroticas in Peritonaei Vaginam tranſeunt, atque in Teſticulis & Epididymibus diſtribuuntur, ubi cum Ramulo Arteriae Iliacae externae communicant.

223. In ſexu ſequiori ex Abdomine non egrediuntur, ſed ibidem in Ovariis atque Utero diſtribuuntur, & cum Ramulis Arteriae Hypogaſtricae verſus fimbriatas Tubarum Fallopii extremitates communicationem alunt.

224. Arteriarum Lumbarium quinque aut ſex paria & ultra numero, fere uti Intercoſtales, ex Aorta Deſcendente inferiore oriuntur.

225. In ſuperiores & in inferiores dividi poſſunt. Superiores parvos Ramulos partibus Diaphragmati vicinis atque Muſculis Intercoſtalibus largiuntur: imo etiam Semi-Intercoſtalium vices gerunt. Quandoque paria ex parvo Trunco communi, & non ſeparatim prodeunt.

226. In utrumque latus in Muſculis Pſois, in Quadratis aut Triangularibus, in Transverſis & in Obliquis Abdominis diſtribuuntur. Ultimos hos perforant, atque Hypogaſtricae externae

 fiunt.

fiunt. Ad Muſculos Vertebrales, ad Corpora Vertebrarum tendunt, & per Inciſuras Vertebrarum laterales pro Membranis &c. in Canalem Spinae intrant, ibique Annulos fere uti Intercoſtales formant. Nervis quoque Arteriolas praebent.

227. Arteriae Sacrae ordinarie ex parte poſteriore extremitatis Aortae Deſcendentis inferioris, ſive potius ex ipſius Furca prodeunt. Saepius inde ſuperius magis, aut ex Lumbaribus, quandoque inferius magis, aut ex Iliacis oriuntur. Duae, tres aut quatuor numero ſunt; quandoque unica tantum adeſt. In Oſſe Sacro, & in partibus Peritonaeo vicinis, in Inteſtino Recto, in Pinguedine &c. in Ramuſculos dividuntur, & per Foramina Oſſis Sacri anteriora in Canalem hujus Oſſis intrant, in quo in utroque latere diſtribuuntur. Arteriolas quoque craſſis Nervorum Funiculis, qui ibidem includuntur, quique inde per eadem Foramina exeunt, ſubminiſtrant. In Textum quoque Oſſis Sacri interius ſeſe inſinuant.

ARTERIAE ILIACAE.

228. Aorta Deſcendens inferior e regione ultimae Vertebrae Lumbaris, & quandoque ſuperius magis terminatur, ubi Furcam efficit, atque lateraliter in duos craſſos Ramos, unum dextrum, alterum ſiniſtrum, qui Arteriae Iliacae dicuntur, dividitur. Quaelibet Truncos communes duarum aliarum Arteriarum ejusdem nominis conſtituit. Furca haec anterius & in latere ſiniſtro ſimilis Furcae Venae Cavae ſita eſt.

229. Quo magis Arteriae Iliacae communes ſive

ſive Primitivae deſcendunt, eo magis a ſe invicem ſecedunt, atque verſus partem anteriorem inferiorem Oſſium Ilii, absque ulla notabili Ramuſculorum diſtributione, in ſpatio trium circiter transverſorum digitorum oblique decurrunt, quibusdam Arteriolis exceptis, quae ad Os Sacrum tendunt, quarumque quaedam per Foramina ſuperiora hujus Oſſis intrant, ibique uti Sacrae diſtribuuntur; imo aliae tranſeunt, & per foramina poſteriora ad Muſculos vicinos &c. egrediuntur. In decurſu ſuo Peritonaeo adhuc, Tunicis Venarum, Pinguedini, Ureteribus, retro quos hae Iliacae communes excurrunt, parvas Arteriolas praebent.

230. Iliaca primitiva dextra ſtatim ante Venae Iliacae ſiniſtrae originem excurrit, quo Venam Iliacam dextram comitetur, ante quam uſque verſus exitum ex Abdomine deſcendit, ubi haecce Arteria magis interna fit. Iliaca primitiva ſiniſtra ante Venam ejusdem nominis deſcendit, atque etiam verſus latus hujus Venae internum ex Abdomine egrediens locatur.

231. Quaelibet harum Iliacarum primitivarum in diſtantia circiter trium digitorum transverſorum a ſua origine in duas ſecundarias, unam externam & anteriorem, alteram internam & poſteriorem dividitur. Prior Arteria Iliaca externa vocatur. Externa nullo peculiari nomine inſignitur. Interna Hypogaſtrica quoque appellatur, quae in adultis atque Juventute ſuperata ſaepius non niſi Ramus alterius eſſe videtur; in parvis enim infan-

 tibus,

tibus, & in Foetu inprimis, Hypogaſtrica Truncus, atque altera ejusdem Ramus quaſi eſſe videtur.

232. Iliaca peculiaris externa utriusque lateris ſuper Muſculum Iliacum ad Ligamentum Fallopii tendinoſum uſque oblique deſcendit, infra quod ex Abdomine egreditur. Parvum tantum numerum Arteriolarum in hacce via uſque verſus ſuum ex Abdomine exitum, Peritonaeo ſcilicet atque partibus maxime vicinis largitur. Infra Ligamentum tendinoſum excurrentes, & immediate ante ipſarum exitum ex Abdomine, quaelibet ipſarum duos notabiles Ramulos, unum internum, alterum externum emittit.

233. Ramulus internus Arteria Epigaſtrica ſalutatur. Anterius ex extremitate Iliacae externae, immediate ante ipſius tranſitum infra Ligamentum tendinoſum exurgit. Inde transverſim per Aponevroſin Muſculi Transverſi, verſus partem poſteriorem Muſculi Recti Abdominis oblique iterum aſcendit, quem in diſtantia circiter duorum aut trium digitorum transverſorum ſupra Os Pubis attingit.

234. Arteria Epigaſtrica poſtea juxta longitudinem Faciei poſterioris ſive internae hujus Muſculi ſuperiora petit, ſeſe ſupra Aponevroſes Muſculorum vicinorum &c. in Ramuſculos dividens, tandemque per plures parvos Ramuſculos cum Mammaria interna revera Anaſtomoſin efficiens evaneſcit. Cum Intercoſtalibus quoque inferioribus, quae ſupra Muſculos Abdominis expanduntur, communicationem alit.

235. Arteria haec Epigaſtrica quandoque etiam duos Ramulos peculiares ſubminiſtrat, quorum unus per Foramen Ovale Pelvis cum peculiari Nervo excurrit, ſeſeque ad Muſculos Tricipites &c. confert. Alter Ramulus cum Arteria Spermatica ad Teſticulos uſque deſcendit, ubi cum illa Anaſtomoſin efficit.

236. Ramulus externus Iliacae externae lateraliter e latere externo hujus Arteriae infra Ligamentum Fallopii egreditur, Labium internum Oſſis Ilii petit, ubi communiter in duos dividitur, atque pro Muſculo Transverſo & ſupra Obliquum Abdominis in Ramuſculos finditur, ac cum Arteria vicina Lumbari communicat.

237. Praeter hos duos Ramulos, Iliaca externa alium adhuc parvum e latere interno infra Ligamentum tendinoſum praebet, qui ad Vaginam Funiculi Vaſorum Spermaticorum tendit; & quandoque alium parvum e latere externo de ſe ſpargit, qui ad Os Ilii ſeſe confert.

238. Poſtquam Arteria Iliaca interna ſive Hypogaſtrica, magnum circiter digitum transverſum, introrſum atque retrorſum progreſſa eſt, pedetentim a poſteriori antrorſum, & pauxillum verſus latus externum oblique incurvatur. Poſtmodum coarctatur, atque ſub nomine Arteriae Umbilicalis, quam ceu veram Trunci Arteriae Hypogaſtricae continuationem conſiderare poſſumus, terminatur.

239. Arteria Umbilicalis ad latus Veſicae aſcendit; & poſtquam eidem, uti etiam partibus Peritonaeo

tonaeo vicinis &c parvos Ramulos praebuit, anguſtior fit, atque in Adultis ſupra partem Veſicae mediam, cui in tranſitu Ramulos largitur, plane coalita invenitur. Matrici atque partibus vicinis utriusque ſexus proſpicit. Poſtea inſtar Speciei Ligamenti ad Umbilicum uſque aſcendit, ubi Arteriae Umbilicali alterius lateris ſeſe aſſociat. Nomen hoc ab ipſius in Foetu uſu accepit.

240. Curvatura Arteriae Hypogaſtricae ordinarie ex convexitate ſua quatuor aut quinque Ramos praecipuos, ſibi invicem admodum propinquos, producit. Quandoque ſeparatim inde naſcuntur, quandoque quidam ex parvo Trunco communi oriuntur; & quandoque iſte qui in ſubjecto quodam primus eſt, in alio Ramulum Rami primarii conſtituit; ita numerus, diſpoſitio, origo atque diſtributio horum Ramorum in diverſis ſubjectis variat. Unde eosdem per peculiaria nomina in Arteriam Iliacam parvam, Glutaeam, Iſchiadicam, Pudendam communem ſive Pudendam Hypogaſtricam, & in Obturatricem diſtinguo.

241. Parva Iliaca ſive horum Ramorum poſtrema, quae ſaepius Ramulus tantum Rami Glutaei exiſtit, inter duos ultimos Nervos Lumbares excurrit, & in duos Ramulos dividitur, quorum unus in Canalem Oſſis Sacri per ultima magnorum ipſius Foraminum internorum ſive anteriorum intrat; alter Ramulus retro Muſculum Pſoam, cui Ramulos dat, & retro Nervum Cruralem excurrit, & in Muſculo Iliaco & ſupra partem internam mediam Oſſis Ilii diſtribuitur, ubi per

Fora-

Foramen peculiare, & quandoque per plura in Os ipſum penetrat.

242. Arteria Glutaea ordinarie admodum notabilis, & interdum Ramorum Hypogaſtricorum craſſiſſima eſt. Ex ſui initio quandoque Parvam Iliacam, & quandoque parvum Ramulum producit, qui pro Oſſe Sacro, & pro partibus huic Oſſi annexis inde abſcedit. Truncus deinde Arteriae Gluteae e Pelvi cum Nervo Iſchiadico per partem ſuperiorem magnae Inciſurae Oſſis Innominati, infra Muſculum Pyriformem, quo Radiorum inſtar in Muſculo Glutaeo majori & medio diſtribuatur, egreditur.

243. In tranſitu Ramulos quosdam Oſſi Sacro, Coccygi, Muſculo Pyriformi, Muſculis Ani, partibus vicinis Inteſtini Recti, Haemorrhoïdalem internam peculiarem formans, praebet. Imo Veſicae partibusque vicinis proſpicit, tandemque admodum longum Ramulum producit, qui Nervum Iſchiadicum inferiora verſus comitatur.

244. Arteria Iſchiadica ſtatim Muſculo Pyriformi, Quadrigeminis, Oſſi Sacro &c. imo etiam Faciei internae, atque Texto interno Oſſis Iſchii Ramulos dat. Infra Muſculum Quadratum Ramulum inſuper mittit, qui ad Articulationem Femoris ſeſe confert.

245. Supra Nervum Iſchiadicum oblique decurrit, cum eodem magnam Inciſuram poſteriorem Oſſis Ilii tranſit eique Arteriolas largitur, quae in parte hujus Nervi interiore diſtribuuntur. Supra Faciem tandem externam Oſſis Ilii Radiorum inſtar

iterum

iterum aſcendit, atque in Texto interno hujus Oſſis, & in Muſculis Glutaeis, inprimis in Medio atque in Minore diſtribuitur.

246. Pudenda communis ſive Arteria Pudenda Hypogaſtrica, quae communiter Pudenda interna vocatur, quandoque Trunco cum Glutaea communi oritur. Duos Ramulos primarios producit. Primus cum Glutaea atque Iſchiadica per magnam Inciſuram Oſſis Ilii egreditur, atque ſtatim in duos alios Ramulos ſecundarios dividitur.

247. Primus Ramulus primarius retro Spinam Iſchii excurrit, inter duo Ligamenta Oſſi Iſchio atque Oſſi Sacro annexa repit, & per Faciem internam Tuberoſitatis Oſſis Iſchii, ad originem uſque Corporis Cavernoſi ejusdem lateris excurrit. Ibi in plures dividitur, quarum una ad Sphincterem Ani tendit, atque nomen Arteriae Haemorrhoïdalis externae aſſumit.

248. Reliqui parvi Ramuli Tegumenta vicina, Caput Cavernoſum ſive Bulbum Urethrae atque Corpus Cavernoſum irrigant. Ultimus ſive potius extremitas primi Ramuli a poſteriori antrorſum ſupra Collum Femoris excurrit, & cum Ramo Arteriae Cruralis communicat.

249. Secundus Ramulus primarius, qui Arteria Pudenda externa communiter dicitur, unionem Veſicae atque Inteſtini Recti petit, in Viris ad Veſiculas Seminales, ad Collum Veſicae, ad Proſtatas, & ad partes vicinas Inteſtini Recti ſeſe confert.

250. Deinde ſub Os Pubis, ad latus Venae notabilis, quae directe infra Symphyſin hujus Oſſis

Oſſis eſt, excurrit, atque juxta longitudinem Penis inter hancce Venam atque Nervum, ſeſe in decurſu ſuo in Corporibus Cavernoſis diſtribuens, atque cum Pudenda parva, quae ab Arteria Crurali venit, communicans, progreditur.

251. Secundus hic Pudendae magnae Ramulus quandoque ſeparatim ex Hypogaſtrica, inprimis in ſexu ſequiori ortum ducit, in quo per plures Ramuſculos in lateribus Uteri diſtribuitur, & cum Arteriis Spermaticis verſus Fimbrias Tubae Fallopii, & in partibus Vaginae vicinis &c. communicationem alit.

252. Arteria Obturatrix Muſculos Obturatores, unde nomen hoc accepit, perforat, atque e Pelvi per partem ſuperiorem Ligamenti, quod Foramen magnum Ovale Oſſis Innominati occupat, egreditur. Antequam exit, parvum Ramulum ablegat, qui ſupra Symphyſin Oſſis Ilii cum Oſſe Pubis excurrit, quo ſe ad Glandulas Inguinales atque ad Tegumenta conferat.

253. Muſculos tranſiens in Muſculo Pectinaeo atque in Tricipite dividitur & diſtribuitur. Ramulum inſuper ablegat, qui cum Ramulo Arteriae Iſchiadicae communicat, qui ad Articulationem Femoris tendit, atque Arteriolas in Foramina Colli hujus Oſſis mittit.

254. Deinde Arteria Hypogaſtrica in Arteriam Umbilicalem, quemadmodum antea dictum fuit, deſinit.

ARTERIAE CRURALES.

255. Iliaca ex Abdomine inter Ligamentum tendi-

tendinoſum Fallopii atque Tendinem Muſculi Pſoae ſupra unionem Oſſis Ilii cum Oſſe Pubis egreditur, ubi nomen ſuum mutat, atque Arteria Cruralis nuncupatur.

256. Mox tres parvos Ramulos ſubminiſtrat. Primus Pudenda parva externa vocatur, quae ſupra Venam Cruralem ad Cutim atque Ligamentum Penis, ad Glandulas Inguinales excurrit, & cum Pudenda interna communicationem alit. Secundus ad Muſculum Pectinaeum ſeſe confert. Tertius partem ſuperiorem Muſculi Sartorii petit. Hi Ramuli quoque Tegumentis anterioribus vicinis proſpiciunt.

257. Arteria Cruralis deinde ſupra Caput Femoris deſcendit, ſupra Venam Cruralem inflectitur, atque ad latus internum hujus Venae, in diſtantia circiter trium transverſorum digitorum a ſuo ex Abdomine exitu locatur. A ſua origine ad hunc locum uſque Pinguedine atque Cute tantum, Muſculo Pectinaeo atque primae Tricipitis portioni ibidem incumbens, contegitur.

258. Eo in loco ubi ſitum ſuum mutat ſive inflectitur, tres Ramos notabiles, unum externum, unum medium, atque unum internum, ablegat atque producit. Hi tres Rami magis minusve poſterius, quandoque unica origine, id eſt, uno Trunco communi admodum brevi, quandoque duobus &c. proveniunt.

259. Ramus externus exterius aut ſuperius ad Muſculos Cruraeum, Vaſtum externum, Gracilem anteriorem, iſtum Faſciae Latae atque Glutaeum medium

medium ſeſe confert. Ramulum ſurſum verſus apicem Trochanteris majoris mittit, qui Ramulus cum primo Ramulo primario Pudendae magnae atque Iſchiadicae, quemadmodum jam innuimus, communicationem alit.

260. Ramus medius ſupra partem internam Femoris inter Muſculos Tricipitis deſcendit, iisque Ramulos largitur, quorum unus ſecundum horum Muſculorum perforat, & in parte inferiore Muſculi Glutaei majoris, in Muſculis Semi-Nervoſo, Semi-Membranoſo, in Bicipite & in Tegumentis vicinis diſtribuitur.

261. Ramus internus retrorſum ſupra Quadrigeminos verſus Trochanterem majorem excurrit, & poſtquam Ramulum dedit, qui in Articulationem Femoris ſeſe confert, deſcendit atque ad Muſculos hoc Os poſterius contegentes plures Ramulos mittit, quorum unus ad latus Lineae Aſperae in Os ipſum penetrat.

262. Poſtquam Arteria Cruralis tres hos Ramos ſubminiſtravit, inter Sartorium, Vaſtum internum atque Tricipitem, Ramulos ad partes vicinas de ſe ſpargens, deſcendit. Sartorio ad partem inferiorem Femoris uſque contegitur, ubi in parte inferiore ultimi Tricipitis, & per ipſum paulo ſupra Condylum vicinum ſeſe retrorſum vertit. Deinceps nomen Arteriae Popliteae accipit, & juxta longitudinem cavitatis Poplitis a Vena ejusdem nominis comitata deſcendit.

263. Arteria Poplitea in cavitate Poplitis non niſi Tegumentis contegitur. In utrumque latus

Ramos ablegat, qui ſupra Condylos iterum aſcendunt, atque cum Ramuſculis inferioribus Arteriae Cruralis invicem communicant.

264. Articulationi Genu Ramulos praebet, quorum unus ad minimum inter Ligamenta Cruciata tranſit. Deſcendendo Muſculis Gemellis majoribus ſive Gaſtrocnemiis atque Muſculo Popliteo Ramos largitur. Poſtquam retro Caput Tibiae pervenit, duos Ramulos, in quolibet latere unum, de ſe ſpargit.

265. Primus ſive internus horum Ramulorum deſcendit, atque Caput Tibiae anterius amplectitur, inter Ligamentum laterale internum atque Os excurrit, & poſt plures Ramuſculos parvum Ramum ſubminiſtrat, qui ſuperiora petit, & cum Arteriis, quae Condylos Femoris amplectuntur, communicationem alit.

266. Secundus Ramulus ſive externus ſupra Caput Fibulae excurrit, & inter Caput Tibiae atque Ligamentum laterale externum Genu repit. Articulationem ad Ligamenta Rotulae uſque amplectitur, dum cum Ramis qui Condylos Femoris circumdant, atque cum Ramo primi Ramuli ſive Ramuli interni communicat.

267. Poplitea immediate poſt originem horum duorum Ramulorum, & antequam finiatur, Arteriolam deorſum ſupra Faciem poſteriorem Ligamenti Interoſſei, prope Tibiam, mittit, cui per Foramen peculiare paulo ſupra partem mediam Oſſis ſeſe inſinuat.

268. Poplitea ſeſe in duos ſtatim Ramos primarios

rios dividendo terminatur, quorum unus inter Capita Tibiae atque Fibulae ſeſe confert, a poſteriori antrorſum per,aut potius ſupra Ligamentum Interoſſeum excurrit, & nomen Arteriae Tibialis anterioris accipit. Alter Ramus praecipue in duos alios, unum internum, qui major eſt, quique Arteria Tibialis poſterior vocatur, alterum externum atque minorem, qui Arteria Peronaea poſterior dicitur, dividitur.

269. Poſtquam Arteria Tibialis anterior inter Caput Tibiae atque Caput Fibulae iter fecit, parvos Ramos ſurſum & ad latera mittit. Ii, qui ſuperiora petunt, cum lateralibus Popliteae, qui Articulationem amplectuntur, communicant. Iſti, qui lateraliter excurrunt, ad partes vicinas ſeſe conferunt. Arteria Tibialis anterior deinde juxta longitudinem Faciei anterioris Ligamenti Interoſſei verſus latus externum Tibiae, inter Muſculum Tibiaeum anteriorem atque Muſculum Extenſorem Pollicis deſcendit.

270. Poſtquam duas tertias circiter partes in latere Tibiae emenſa eſt, anterius ſupra Tibiam, infra Ligamentum Annulare commune, & infra Muſculum Extenſorem Pollicis ſeſe confert, atque Articulationem Pedis petit. In decurſu in dextrum & ſiniſtrum latus Ramulos de ſe ſpargit, qui lateraliter cum Arteria Tibiali poſteriore, atque Peronaea poſteriore communicationem alunt; ita ut haec duo Oſſa ab iisdem circumdentur.

271. Poſtquam Articulationem Pedis attigit, Ramos producit, qui inter Aſtragalum atque Calcaneum repunt, & in Articulatione Pedis atque in Oſ-

ſibus Tarſi diſtribuuntur. Hic locorum ubique frequentes in omnes ſenſus communicationes inveniuntur.

272. Poſtquam Plicam Pedis ſupergreſſa eſt, in utrumque adhuc latus Ramulos ſpargit, qui cum Ramis lateralibus Tibialis poſterioris & cum Peronaea poſteriore communicationem alunt, ita ut omnes hi Ramuſculi Circulos quaſi forment, qui Tarſum circumdant.

273. Poſtea Arteria Tibialis anterior juxta longitudinem convexitatis Pedis ad Interſtitium uſque primi atque ſecundi Oſſis Metatarſi procedit, inter quorum Capitula craſſum Ramulum ablegat, qui Muſculos Interoſſeos ſuperiores inferius perforat, ſeſeque cum extremitate Tibialis poſterioris, Arcum cum eadem Arterioſum, qui Arcus Plantaris dicitur, infra Plantam Pedis formando, unit.

274. Supra reliqua Oſſa Metatarſi adhuc duos aut tres Ramulos notabiles ablegat, qui Muſculos Interoſſeos atque Tegumenta &c. petunt. Hi Ramuli inter ſe invicem communicant.

275. Arteria Tibialis anterior tandem in duos praecipue Ramulos deſinit, quorum unus Muſculo Thenari atque lateri interno Pollicis proſpicit; alter in latere Pollicis externo, & in latere interno ſecundi Digiti Pedis dividitur.

276. Arteria Tibialis poſterior, quae quoque Arteria Suralis audit, inter Muſculos Solaeos, Tibiaeum poſteriorem, Flexorem longum communem Digitorum Pedis, atque Flexorem proprium Pollicis, Muſculis hiſce, Tibiae, imo etiam Medul-

lae

lae hujus Oſſis per ſpeciem Canalis Oſſei in ſua parte poſteriore & fere ſuperiore proſpiciens, deſcendit.

277. Retro Malleolum internum deinde ſeſe confert, cum Tibiali anteriore, quae a vicinis Venis circumdatur, communicans, & infra Plantam Pedis inter Faciem concavam Calcanei atque Muſculum Thenarem excurrit, ubi in duos Ramulos, unum magnum ſive externum, & unum parvum ſive internum dividitur.

278. Ramulus magnus ſive Arteria Plantaris externa per Faciem concavam Calcanei oblique infra Plantam Pedis, uſque ad Baſin quinti Oſſis Metatarſi excurrit, & poſtmodum ſpeciem Arcus verſus Pollicem uſque format. Hic cum Tibiali anteriore communicat, quae Muſculos Interoſſeos ſuperiores in Interſtitio primi atque ſecundi Oſſis Metatarſi, quemadmodum dictum eſt, perforavit.

2̄79. Convexitas hujus Arcus duobus lateribus cujuslibet trium ultimorum Digitorum Pedis, & lateri externo ſecundi Digiti Pedis, parvos Arcus communicationis in apice & quandoque in medio cujuslibet Digiti, uti in Manu formans, largitur, Concavitas Arcus partibus vicinis proſpicit.

280. Poſtquam parvus Ramulus, ſive Arteria Plantaris interna ſupra medium Plantae Pedis pervenit, in duos alios dividitur, quorum unus Pollicem petit, & cum Ramulo Tibialis anterioris communicationem alit; alter in primis Phalangibus reliquorum Digitorum Pedis ſequentium diſtribuitur, & cum Ramuſculis quos hi Digiti Pedis ab Arcu Plantari recipiunt, communicat.

281. Arteria Peronaea juxta longitudinem Faciei poſterioris Fibulae, inter Muſculum Solaeum atque Muſculum Flexorem Pollicis deſcendit, quibus uti & portionibus vicinis in decurſu Ramulos praebet.

282. Poſtquam ultra duas tertias Fibulae partes pervenit, Ramulum notabilem emittit, qui inter Tibiam atque Fibulam deorſum ſeſe immergit, inter earundem extremitates a poſteriori antrorſum, per ſive infra Ligamentum Interoſſeum excurrit, & in Tarſo, Tegumentis proſpiciens, diſtribuitur.

283. Arteria Peronaea denique iter ſuum continuat, & ſupra partem poſteriorem Fibulae ad Calcaneum uſque deſcendit, ubi inter Aſtragalum atque Tendinem Achillis Arcum communicationis cum Arteria Tibiali poſteriore format.

284. Poſtea extrorſum ſe confert, & paulo infra Malleolum externum cum Arteria Tibiali anteriore per Arcum communicationem alit, e quo plures parvi Ramuſculi ad vicinas partes tendunt.

NOTA.

285. Non hic de Anaſtomoſibus Cutaneis, quae ubique conſpiciuntur, quaeque in Foetu pulcherrimae ſunt, mihi ſermo eſt. Ita etiam deſcriptionem peculiarem communicationis admodum frequentis & quam maxime notabilis Arteriolarum circum Perioſtium, quae communicatio Reticulum admodum ſubtile, atque ſpeciem Retis mirabilis conſtituit, hic praetermitto.

EXPO-

EXPOSITIO ANATOMICA STRUCTURAE CORPORIS HUMANI.

TRACTATUS DE VENIS.

SAnguis in cunctis Corporis partibus per duas ſpecies Arteriarum, Aortam ſcilicet atque Arteriam Pulmonalem diſtributus, per tres ſpecies Venarum, quas Anatomici Venam Cavam, Venam Portae, & Venam Pulmonalem ſalutarunt, ex iisdem revehitur.

2. Vena Cava Sanguinem ex omnibus Corporis partibus a tractibus Aortae refluum, iſto qui ab Arteriis Coronariis Cordis revehitur excepto, Auriculae Cordis dextrae infundit. Sanguinem hunc ex cunctis Arterioſis Ramuſculis partim directe, partimque indirecte reducit.

3. Vena Portae Sanguinem ex Viſceribus Abdominis fluctuantibus a tractibus Arteriae Coelia-

cae & duarum Arteriarum Meſentericarum reducem excipit, quique poſtea per tractus hujus Venae in Venas Hepaticas, & ex his in Venam Cavam pergit.

4. Vena Pulmonalis Sanguinem ex Pulmonibus ab Arteriae Pulmonalis tractibus refluum Sinui Pulmonali, qui Auricula Cordis ſiniſtra vocatur, tradit.

5. Hiſce tribus Venis duae adhuc aliae, iſtae ſcilicet quae Cordi ejuſque Auriculis peculiares ſunt, & Sinus Durae Matris addi poſſent.

6. Duobus modis Hiſtoria decurſus generalis Venarum deſcribi poteſt. Ab earundem in diverſis Corporis humani partibus Extremitatibus initium facere, atque earundem Truncis ad Cor uſque, Sanguinis curſum ſequentes finire poſſumus. A magnis etiam Truncis initium fieri & Ramuſculis atque Extremitatibus, ſecundum diviſiones & ſubdiviſiones horum Surculorum, finis imponi poteſt.

7. Ultima ex his duabus methodis commodiſſima eſt, multumque, ut prima, quando id neceſſarium ducetur, adhiberi poſſit, adjuvat. Unde ego etiam eandem elegi.

VENA CAVA
EJUSQUE
DIVISIO IN GENERE.

8. COmmuniſſime de Vena Cava in genere loquuntur, acſi in ſua origine unica tantum

tum eſſet, aut acſi unico tantum Trunco communi gauderet: interim duae magnae Venae exiſtunt, quae ex dextra Cordis Auricula inſtar duorum Truncorum ſeparatorum, & in ſenſum contrarium in eadem fere linea perpendiculari poſitorum egrediuntur; unus ſuperius, qui Vena Cava ſuperior dicitur, & alter inferius, qui Vena Cava inferior vocatur.

9. Dicere poſſemus, haſce duas Venas ſpecie continuitatis, ſive parva portione Trunci communis, marginibus Auriculae dextrae annexa gaudere, fere acſi tres quartae partes circumferentiae magni tubi recti mediante magna inciſura ablatae, atque marginibus hujus inciſurae margines parvae cujusdam Veſicae apertae applicati fuiſſent.

10. Auricula quoque dextra ceu Truncus Muſculoſus harum duarum craſſarum Venarum conſiderari, & Sinus Venae Cavae appellari poſſet; id quod magis adhuc Auriculae ſiniſtrae, cum nomine Sinus Pulmonalis conveniret.

11. Vena Cava ſuperior praecipue in Thorace, in Capite & in Extremitatibus ſuperioribus, & valde parum infra Diaphragma diſtribuitur.

12. Vena Cava inferior praecipue in Abdomine & in Extremitatibus inferioribus & valde parum ſupra Diaphragma diſpergitur.

13. Veteres ſuperiorem Venam Cavam Aſcendentem, atque inferiorem Deſcendentem, habito ad ſolos Tubos, eorumque in Truncos & Ramos diviſionem reſpectu vocabant. Plures Recentiorum eadem nomina retinuerunt, aſt ſenſu contra-

rio illa applicuerunt, quoniam eadem Sanguinis curſui aptare voluerunt, qui per Venam Cavam ſuperiorem deſcendit, & per inferiorem aſcendit.

14. Quo ambiguitas hic in Judicio, quod de Vulneribus aut aliis Morbis, in iſto de apertura Cadaverum, ſimilibusque aliis caſibus ferimus, evitetur, diſtinctio in Venam Cavam ſuperiorem & in Venam Cavam inferiorem retineri debet.

15. Truncus cujuslibet harum duarum Venarum Cavarum in genere, fere uti Arteriae, certum numerum Ramorum praecipuorum ſive primariorum de ſe ſpargit, qui deinde in Ramuſculos diverſis modis abeunt. Quilibet Truncus poſtmodum in Furcam, id eſt, in diviſionem in duos Truncos ſecundarios deſinit, quorum quilibet ſimiliter Ramos principales ſive primarios gignit, qui iterum in quamplurimos parvos Truncos, Ramulos atque Ramuſculos abeunt.

16. Hae Venae hoc inſuper cum Arteriis commune habent, quod maxima Ramorum primariorum pars, uti etiam Trunci ſecundarii pares ſint. Ramuſculi cujuslibet horum Truncorum ſecundariorum in ſpecie impares exiſtunt; aſt Trunci ſecundarii Rami cum iſtis ſimilis Trunci ſecundarii pares ſunt. Ex his Truncus ſecundarius qui Vena Azygos dicitur, & quaedam aliae parvae Venae, de quibus in ſequentibus ſermo erit, excipi debent.

17. Antequam cunctas has Venas, quarum plurimae peculiaribus nominibus gaudent, ſpecialius deſcribam, ideam generalem de earundem diſtri-

diſtributione, cum enumeratione earundem praecipuorum Ramuſculorum, quemadmodum in Tractatu de Arteriis feci, & eadem ex ratione tradam. A Vena Cava ſuperiore incipio. Nullus hic mihi de Venis Cordis Coronariis ſermo eſt; non enim immediate alii cuidam Venae implantantur, quemadmodum in Tractatu de Pectore videbimus.

VENA CAVA SUPERIOR.

18. Vena Cava ſuperior ab Auricula Cordis dextra, directe fere duos circiter transverſos digitos Pericardio ad hunc uſque locum incluſa aſcendit, in quo ad latus dextrum Trunci Aortae, ſed pauxillum magis anterius locatur.

19. In ſuo e Pericardio exitu parumper ſiniſtrorſum inclinat, & latitudine unius circiter pollicis aſcendit, uſque dum e regione circiter & retro Cartilaginem primae Coſtae Verae, & paulum altius, quam curvatura ſive Arcus Aortae pervenit. Hic in Furcam ſive diviſionem in duos craſſos Ramos, ceu in duos Truncos ſecundarios, quorum unus dextrorſum, & alter ſiniſtrorſum excurrit, definit.

20. Hi duo Rami Venae Subclaviae vocantur, quoniam retro & quaſi infra Claviculas, ambae in eundem fere ſenſum locatae, exiſtunt. Non aequaliter longae ſunt, quoniam ipſe Venae Cavae ſuperioris Truncus non in medio Pectoris, ſed in latere dextro ſitus eſt; unde Vena Subclavia Siniſtra in eodem latere cum Subclavia dextra oritur,

oritur, & conſequenter hacce Subclavia longior eſt.

21. Truncus Venae Cavae ſuperioris a ſuo e Pericardio exitu ad Furcam ſuam uſque anterius plures parvos Ramos gignit, qui quibusdam in ſubjectis ſeparatim, in aliis per parvos Truncos communes oriuntur. Hi parvi Rami ſunt Mediaſtina, Pericardina, Diaphragmatica ſuperior, Thymica, Mammaria interna & Trachealis, quarum ultimae ſaepius retro Furcam prodeunt.

22. Omnes hi parvi Rami Trunci Venae Cavae ſuperioris Dextri cognominantur. Eorundem pares, qui Siniſtri vocantur, non ex Trunco, ob ſitum ſuum lateralem, ſed ex Subclavia ſiniſtra pullulant.

23. Poſterius parumper ſupra Pericardium, Truncus Venae Cavae ſuperioris craſſum Ramum primarium, *qui Vena Azygos, id eſt, impar dicitur, ablegat, qui juxta longitudinem lateris dextri Corporum Vertebrarum Dorſi uſque pauxillum infra Diaphragma deſcendit. Vena Azygos in utrumque latus plurimas Venarum Intercoſtalium atque Venarum Lumbarium ſuperiorum ſubminiſtrat.

24. Duae Venae Subclaviae lateraliter in utrumque latus excurrunt, atque e Pectore egreſſae inter primam Coſtam atque Claviculam immediate ante Inſertionem anteriorem Muſculi Scaleni finiuntur.

25. Vena Subclavia dextra, quae e duabus breviſſima eſt, ordinarie quatuor Ramos primarios praebet, Jugularem ſcilicet externam, Jugularem

larem internam, Vertebralem & Axillarem, quae continuatio potius quam Ramus Subclaviae dextrae exiſtit.

26. Cum Vena Subclavia ſiniſtra, ob rationem ſuperius indicatam, dextra longior ſit, primo parvas Venas ſiniſtras cum iſtis Trunci Venae Cavae ſuperioris pares, Mediaſtinam ſcilicet, Pericardinam, Diaphragmaticam ſuperiorem, Thymicam, Mammariam internam, atque Trachealem largitur.

27. Poſt cunctas haſce parvas Venas quae Siniſtrae cognominantur, alium parvum Ramum, qui Vena Intercoſtalis ſuperior ſiniſtra dicitur, & quatuor magnos cum iſtis Subclaviae dextrae pares, Jugularem ſcilicet externam, Jugularem internam, Vertebralem atque Axillarem, cunctas Siniſtras cognominatas generat.

28. Venae Jugulares externae praecipue in partibus Juguli, Colli atque Capitis externis diſtribuuntur, imo etiam verſus Brachium parvam Venam, quae Vena Cephalica dicitur, mittunt, quae aliam majorem ejusdem nominis formare juvat.

29. Venae Jugulares internae ad partes Colli atque ad iſtas Capitis internas ſeſe conferunt, & cum Sinubus Durae Matris coëunt. Pluribus in locis cum externis communicationem alunt.

30. Venae Vertebrales Foramina Apophyſium Transverſarum Vertebrarum Colli, Ramos ad Collum atque ad Occiput ablegantes, tranſeunt.

Sinus

Sinus Venoſos harum Vertebrarum formant, atque cum Durae Matris Sinubus communicant.

31. Venae Axillares non niſi Venarum Subclaviarum continuatio, ab earundem exitu e Pectore uſque infra Axillas exiſtunt. Venas Mammarias externas, Thoracicas, Scapulares ſive Humerales, & in quolibet Brachio Ramum producunt, qui cum iſto Venae Jugularis externae Venam Brachii Cephalicam format.

32. Vena denique cujuslibet lateris Axillaris in Venam Brachii praecipuam, quae Vena Baſilica dicitur, deſinit, quae cum Vena Cephalica per plures Ramuſculos in cunctis Brachii, Brachii anterioris, atque Manus partibus diſtribuitur.

VENA CAVA INFERIOR.

33. Parva tantum Venae Cavae Inferioris portio in Pericardio includitur: anterius ejusdem altitudo ibidem unam lineam ad ſummum, atque poſterius duas aut tres adaequat. Mox Diaphragma perforat, cui Venas Diaphragmaticas inferiores ſive Venas Phrenicas praebet.

34. Statim retro Hepar per magnam ipſius Inciſuram excurrit, Viſcerique huic plures Ramos, qui Venae Hepaticae dicuntur, ſubminiſtrat.

35. In hocce decurſu paulum oblique incedit, dum ſeſe verſus Spinam Dorſi atque verſus Aortam inferiorem vertit, cujus Truncum atque Ramuſculos deinde in Abdomine ad Os Sacrum uſque, Arteria Coeliaca atque duabus Arteriis Meſentericis exceptis, comitatur.

36. Ve-

36. Vena Cava inferior itaque in utroque latere, ſecundum diſtributionem Arteriarum, Venas Adipoſas, Venas Renales, Venas Spermaticas, Venas Lumbares, Venas Sacras generat. Poſtquam Truncus tandem Os Sacrum attigit, nomen Venae Cavae inferioris deponit, & in Furcam uti Aorta inferior, duas Venas Iliacas formans, deſinit.

37. Poſtquam Venae Iliacae Venas Hypogaſtricas cum omnibus earundem ad Viſcera Pelvis & ad quasdam partes vicinas, tam externas quam internas, Ramuſculis dederunt, ex Abdomine infra Ligamentum Tendinoſum Fallopii egrediuntur. In exitu nomen ſuum mutant, & Venae Crurales ſalutantur.

38. Quaelibet Venarum Cruralium per magnum Ramuſculorum numerum in tota Corporis extremitate inferiore diſtribuitur, poſtquam ex ſua origine Ramum notabilem, qui Vena Saphena dicitur, praebuit, quae juxta totam longitudinem hujus extremitatis cum pluribus Ramuſculis ad Pedem uſque fertur, quemadmodum fuſius in ſequentibus videbimus.

VENA AZYGOS, ET VENAE INTERCOSTALES.

39. Vena Azygos, id eſt, Vena ſine Pari, Vena admodum notabilis eſt, quae poſterius ex Trunco Venae Cavae ſuperioris ſupra & prope Pericardium oritur.

40. Mox ſupra originem Pulmonis dextri recurvatur, Arcumque format, qui magna ejus-

dem

dem lateris Pulmonalia Vaſa amplectitur, quemadmodum Arcus Aortae iſta lateris ſiniſtri circumdat, hacce cum differentia, quod Azygos fere directe recurvetur, Curvatura Aortae vero obliqua exiſtat.

41. Inde juxta Vertebrarum Dorſi lateris dextri longitudinem, ad latus Aortae & ante Arterias Intercoſtales deſcendit. Poſtmodum retro Diaphragma repit, & per Anaſtomoſin admodum manifeſtam, modo cum Vena Renali ſive Emulgente, modo cum Vena quadam Lumbari vicina, modo immediate cum Trunco Venae Cavae inferioris, modo alia ratione terminatur.

42. Valdopere craſſam atque craſſo Venae Cavae inferioris Trunco ſimilem a Diaphragmate ad ortum Venarum Renalium ſive Emulgentium uſque eandem vidi. Vera Vena Cava inferior in tote hocce decurſu admodum anguſta erat, atque ſpeciem Azygos ordinariae tantum prae ſe ferebat.

43. Vena Azygos ſtatim ex Arcus ſui vertice duas aut tres parvas Venas emittit, quarum una ad Aſperam Arteriam, reliquae partim ad Aſperam Arteriam, partimque ad Bronchia, ſub nomine Venarum Bronchialium, quae Ramuſculos Arteriae Bronchialis comitantur, ſeſe conferunt.

44. Azygos deinde ex extremitate Arcus ſui ordinarie parvum duarum aut trium parvarum Venarum Truncum communem, quae Venae Intercoſtales ſuperiores dextrae dicuntur, ablegat, quae Sanguinem e tribus prioribus Muſculorum Intercoſtalium Ordinibus, atque e parte Pleurae vicina revehunt.

45. Ve-

45. Venae hae Intercoſtales Ramulos per Muſculos Intercoſtales, ad Muſculos Serratum poſteriorem ſuperiorem, Serratum majorem &c. mittunt, poſtea juxta longitudinem Intervallorum Coſtarum repunt, & cum Venis Mammariis communicationem alunt.

46. Parvi quoque Rami poſterius ex hiſce Venis erumpunt, qui Muſculos Vertebrales atque Canalem Spinae adeunt, ubi cum Circulis ſive Sinubus Venoſis, qui Sanguinem ex Medulla Spinali revehunt, communicant.

47. Azygos ſtatim deinde in deſcenſu ſuo Venas Intercoſtales inferiores ſiniſtras, unam ſcilicet pro quolibet Muſculorum Intercoſtalium Ordine ſubminiſtrat. Venae hae juxta longitudinem marginis inferioris Coſtarum excurrunt, & fere uti ſuperiores per Muſculos Intercoſtales Ramos retrorſum atque ad latus Pectoris externum ablegant.

48. Venae hae Intercoſtales inferiores cum Venis Thoracicis communicationem alunt. Quoad maximam partem quoque cum Vena Mammaria interna communicant. Et denique omnes hae Intercoſtales plus minusve mediantibus Ramuſculis transverſis perpendicularibus verſus extremitatem Coſtarum poſteriorem inter ſe communicationem alunt.

49. Azygos Venas quoque Intercoſtales ſiniſtras, raro omnes, praebet; ſuperiores enim ſaepiſſime ex Vena Subclavia ſiniſtra &c. pullulant, quemadmodum in Hiſtoria hujus Venae

videbimus. Venae Intercoſtales inferiores lateris ſiniſtri, ſex aut ſeptem numero, plus minusve, frequentiſſime ex ipſo Azygos Trunco proveniunt, inter Aortam atque Vertebras, parvas Venas Capillares Subſtantiae harum Vertebrarum largientes, excurrunt, & fere eosdem Ramuſculos & communicationes, quas lateris dextri Venae efficiunt, atque Oeſophago etiam proſpiciunt.

50. Venae hae Intercoſtales quandoque ex parvo Trunco communi oriuntur, qui Trunci Azygos ſoboles eſt, & poſtquam inter Aortam atque Vertebras excurrit, deorſum incurvatur, & ad latus ſiniſtrum Vertebrarum deſcendendo lateraliter Intercoſtales gignit. Parvus hicce Truncus communis quibusdam in ſubjectis, Intercoſtales producens, ſuperius & inferius in Furcam abit. In aliis duo parvi Trunci communes reperiuntur.

51. Tandem in latere ſiniſtro quandoque ſecunda Azygos integra conſpicitur, quae mox ex Arcu Azygos ordinariae pullulat, atque in latere ſiniſtro, quemadmodum altera in dextro, diſtribuitur. Hoc pluribus modis variat.

52. Poſtquam Azygos infra ultimam ſive duodecimam Coſtam pervenit, craſſum Ramulum generat, qui extrorſum incurvatur, Abdominis Muſculos perforat, inter eorundem Plana in Ramuſculos dividitur, & cum ſimilibus ultimae aut duarum ultimarum Venarum Intercoſtalium Ramuſculis communicationem alit.

53. Quan-

53. Quandoque Venam Diaphragmaticam inferiorem largitur, atque ſupra primam aut ſupra duas priores Apophyſes Transverſas Vertebrarum Lumbarium Ramum deorſum ablegat, qui priores Venas Lumbares dextras format.

54. Hae ultimarum Venarum Intercoſtalium atque priorum Lumbarium communicationes reciprocae admodum irregulariter inſtar Rhomborum, Areolarum, Reticulorum &c. formantur. Azygos quandoque mediante extremitate ſua, ſive immediate, ſive mediate cum Vena Adipóſa, imo etiam cum Vena Spermatica communicat.

PARVAE VENAE PECTORALES INTERNAE.

55. Parvae Venae ſunt, quae in latere dextro & ſiniſtro retro Sternum atque in vicinia per paria inveniuntur, Venae ſcilicet Diaphragmaticae ſuperiores ſive Pericardio Diaphragmaticae, Venae Mediaſtinae, Venae Mammariae internae, Venae Thymicae, Venae Pericardinae & denique Venae Gutturales ſive Tracheales.

56. Cunctas has parvas Venas in Dextras & in Siniſtras dividunt. Utraeque fere eodem modo relative diſtribuuntur; aſt alterarum ortus ſive origo ab iſta alterarum differt: id quod a Furcae Venae Cavae ſuperioris inaequalitate dependet.

57. Vena Mediaſtina dextra ex Trunco Venae Cavae ſuperioris anterius, & paulum ſupra ortum Venae Azygos egreditur; Mediaſtina ſiniſtra a Subclavia procedit.

58. Vena Diaphragmatica ſuperior ſive Pericardio-Diaphragmatica dextra anterius ex Furcae radice, prope Venam Mediaſtinam pullulat. Per plures Ramulos in parte ſuperiore, anteriore & poſteriore Pericardii diſtribuitur, & cum iſtis quos Diaphragmatica ſiniſtra huc mittit communicationem alit. Nervum Diaphragmaticum comitatur. Siniſtra a Subclavia ſiniſtra infra ortum Mammariae exurgit.

59. Mammaria interna dextra anterius e Trunco Venae Cavae ſuperioris infra & prope Angulum ipſius Furcae gignitur. Juxta longitudinem marginis vicini interni ſive poſterioris Sterni excurrit, & ſupra extremitates Cartilaginoſas Coſtarum dextrarum cum Arteria ejusdem nominis deſcendit. Poſtquam prope Diaphragma pervenit, eidem Ramum largitur, qui uſque ad ipſius Planum tendinoſum repit, & cum Diaphragmaticis ordinariis communicationem alit.

60. Poſtea Mammaria haec parvos Ramos Mediaſtino praebet, & plures Ramulos inter Coſtas ad Tegumenta mittit. Illi horum Ramulorum, qui inter & infra Cartilagines ultimarum Coſtarum Verarum excurrunt, ſupra faciem internam ſive poſteriorem Muſculorum Rectorum Abdominis deſcendunt, inter eorundem Fibras carnoſas in Ramuſculos dividuntur, & revera cum Venis Epigaſtricis per plures parvos Ramuſculos communicationem alunt.

61. Vena Mammaria interna ſiniſtra anterius ex Vena Subclavia ſiniſtra, e regione circiter

Carti-

Cartilaginis ſive extremitatis anterioris primae Coſtae Verae naſcitur.

62. Vena Thymica dextra e Furca ipſa egreditur, quando ſeparatim oritur. Quando ibidem deſideratur, Thymo, a quo nomen ſuum mutuatur, a Vena Gutturali aut alia Vena vicina proſpicitur. Saepius non niſi ad partem Thymi inferiorem decurrit. Thymica ſiniſtra a Subclavia ſiniſtra circiter e regione Sterni oritur.

63. Vena Pericardina dextra ex origine potius Venae Subclaviae dextrae quam e Trunco Venae Cavae ſuperioris oriri videtur. Hoc multum variat. Ad partem Pericardii ſuperiorem partesque vicinas ſeſe confert. Siniſtra quandoque ex Subclavia vicina ante Mammariam, & quandoque ex Mammaria, aut ex Diaphragmatica ſuperiore ejusdem lateris procedit.

64. Gutturalis ſive Trachealis dextra ex Furcae parte ſuperiore ſupra Mammariam vicinam, quandoque magis poſterius, & quandoque ex ipſa Subclavia originem ducit. In Glandulis Thyroïdeis, in Aſpera Arteria, in Muſculis Sterno-Hyoïdeis, in Thymo & in Glandulis Bronchialibus diſtribuitur. Per Ramos laterales plus minusve tortuoſos cum Vena Jugulari interna, & quandoque per Ramulum cum parva Vena, quam Jugularis interna Glandulae Thyroïdeae praebet, communicat. Gutturalis ſiniſtra ex parte ſuperiore ſive poſteriore Subclaviae ſiniſtrae prope originem ſuam oritur.

65. Minimae omnium harum Venarum Pecto-

 ralium

ralium internarum non ſemper ſeparatim generantur. Quandoque parvo Trunco communi, praecipue iſtae lateris dextri gaudent. Mammaria interna cunctarum harum parvarum Venarum quam maxime notabilis exiſtit.

VENAE SUBCLAVIAE.

66. Vena Subclavia dextra admodum brevis eſt, quemadmodum ab initio hujus Tractatus diximus, ipſiusque tranſitus admodum obliquus exiſtit, ita ut altius quam ſiniſtra aſcendere videatur. Quatuor ſtatim craſſos Ramos, quemadmodum antea dixi, Venam ſcilicet Vertebralem, quae earundem prima atque poſtrema eſt, Venam Jugularem internam, Venam Jugularem externam, atque Venam Axillarem de ſe ſpargit.

67. Vena Subclavia ſiniſtra e contra a Furca fere non aſcendere videtur, quoniam transverſim magis atque longius quam dextra excurrit. Hocce trajectu ortum trium craſſarum Arteriarum, quae ex Aortae curvatura aſcendunt, abſcondit. Poſtquam parvas Venas Pectorales emiſit, quatuor etiam magnos Ramos uti dextra ſubminiſtrat, atque Ductum inſuper Thoracicum recipit.

68. Ante magnam ſuam diviſionem parvum adhuc Truncum pro Venis Intercoſtalibus ſuperioribus lateris ſiniſtri; quarum quandoque ſex numero ſunt, largitur, quae cum Intercoſtalibus inferioribus, & cum Ramulo Azygos communicationem alunt. Parvus hicce Truncus Intercoſtalis communis Venam quoque Brachialem ſiniſtram praebet.

69. Utra-

69. Utraque Vena Subclavia prope partem mediam Claviculae Ramum, qui Vena Cephalica dicitur, largitur, quae ſuperficialis inter Muſculum Deltoïdem atque Pectoralem majorem deſcendit, Brachiumque, quemadmodum in ſequentibus videbimus, attingit.

VENAE JUGULARES EXTERNAE.

70. Quaelibet ex Vena Subclavia vicina, quandoque ex Axillari, & quandoque ex harum duarum Venarum unione oritur. Diverſo quoque modo easdem in dextro & ſiniſtro latere provenire videmus; exempli gratia dextra a Vena Subclavia vicina procedit, dum ſiniſtra a Vena Jugulari interna ſui lateris venit. Quaelibet inter Muſculum Cutaneum, eandem contegentem, atque Sterno-Maſtoïdeum, quem decuſſat, aſcendit.

71. Quandoque in earundem origine duplices exiſtunt. Quando ſimplices ſunt, quaelibet poſtea in duas dividitur, quarum una anterior & altera poſterior ſive potius ſuperior eſt. Anterior Jugulum atque Faciem verſus Angulum Maxillae inferioris aſcendendo petit. Poſterior ad Tempora & Occiput ſeſe confert.

VENA JUGULARIS EXTERNA ANTERIOR.

72. Vena haec ſaepe Ramus Venae Jugularis internae eſt. Quandoque ex utriusque Jugularis communicationibus reciprocis oritur, ita ut neutri plus attribui poſſit. Raro Venae Axillaris ſoboles eſt.

73. Verſus partem Maxillae inferioris lateralem, inter Angulum hujus Maxillae atque Mentum, ceu Vena quaedam Maxillaris aſcendit. In itinere ſuo plures Ramos verſus anteriora, poſteriora, atque interiora, ſive antrorſum, retrorſum & introrſum mittit.

74. Poſterius dat 1°. in latere partis ſuperioris Laryngis magnum Ramum, qui cum Jugulari interna communicationem alit. Ramus hic cum craſſo Ramo admodum brevi Venae Jugularis externae poſterioris communicat, de quo in ſequentibus dicam. 2°. Parvum Ramum, qui itidem ibidem communicationem alit, qui vero quandoque deeſt. 3°. Alium parvum Ramum parumper infra Maxillam inferiorem, qui cum Vena Jugulari externa poſteriore communicat.

75. Anterius plures Ramos ſubminiſtrat, qui ad Muſculos Laryngis, ad Muſculos Sterno-Hyoïdeos, ad Thyro-Hyoïdeos atque ad Tegumenta tendunt. Ramos adhuc communicationis cum Vena Jugulari externa anteriore alterius lateris infra Laryngem largitur.

76. Paulum ſuperius, e regione Cartilaginis Thyroïdeae, Ramum transverſum ſubminiſtrat, qui ante partem inferiorem Muſculorum Sterno-Maſtoïdeorum excurrit, & cum Jugulari alterius lateris, quamvis non ſemper cum pari hujus Venae Ramo, communicationem alit.

77. Rami transverſi ſuperiores & inferiores in quolibet latere per Ramos plus minusve perpendiculares invicem communicant, & parvum Ramulum

lum Muſculo Quadrato Menti, Muſculo Cutaneo, atque Tegumentis praebent.

78. Anterius denique prope Maxillam craſſum Ramum verſus Symphyſin Maxillae ablegat, qui Ramus, poſtquam Glandulis Maxillaribus proſpexit, in Muſculo Digaſtrico, Mento atque Labio inferiore diſtribuitur.

79. In eodem loco interius craſſum Ramum ſubminiſtrat, qui Glandulis Sublingualibus proſpicit, verſus Oſſis Hyoïdis Cornua deſcendit, quo cum Ramis Jugularis internae communicet, atque Linguae Ramulos, qui Venae Raninae dicuntur, impertitur. Parvum etiam Ramum, qui ſupra Muſculum Triangularem Labii aſcendit, commiſſuram duorum Labiorum attingit, & in vicinia diſtribuitur, ſubminiſtrat.

80. Idem Ramus, qui Venas Raninas largitur, Ramulum quoque praebet, qui ad partes laterales Septi Palati ſeſe confert, quo in Amygdalis atque in Uvula diſtribuatur, atque Ramuſculos pro Membrana Fornicem Palati inveſtiente, verſus anteriora ablegat. Alius etiam Ramulus inde abſcedit, qui Muſculum Pterygoïdeum internum, Muſculos Periſtaphylinos, uti etiam Cephalopharyngeos petit.

81. Truncus deinde Jugularis externae anterioris ſuper Muſculum Triangularem aſcendit, ubi nomen Venae Angularis accipit, quae tortuoſa eſt, ſerpentino ductu ab Angulo Maxillae inferioris uſque ad magnum Angulum ſive Angulum Oculi internum excurrit, & in itinere Ramos in

utrumque latus ad Muſculos & Tegumenta mittit.

82. Rami hi communicationem inter ſe alunt, unus praecipue, qui infra Zygoma retro Os Malae excurrit, atque Rimam Orbitariam inferiorem ſive Rimam Spheno-Maxillarem petit, atque parvus Ramulus, qui juxta longitudinem portionis inferioris Muſculi Orbitarii excurrens, parvum Angulum ſive Angulum Oculi externum attingit, ubi cum Ramis Temporalibus atque Frontalibus communicationem alit.

83. Notandum hic eſt, quod infra Maxillae inferioris Angulum magna inter Venam Jugularem externam & internam communicationum varietas, magnaque in diſtributione harum Venarum varietas obſervetur.

84. Omnes fere Ramuſculi qui in hoc loco a Jugulari externa procedunt, quo ſupra partem ſuperiorem Juguli & ſupra Faciem quibusdam in ſubjectis diſtribuantur, in aliis ortum ſuum a Jugulari interna habent. Quandoque una tantum portio horum Ramuſculorum a Jugulari externa, atque altera ab interna oritur.

85. Poſtquam Truncus Venae Angularis ad Oſſa Naſi pervenit, Ramum de ſe ſpargit, qui Cartilagines Naſi laterales percurrit, atque in Naribus diſtribuitur. Alium adhuc ablegat, qui ſerpendo ſupra Labium ſuperius deſcendit.

86. In magno Angulo ſive Angulo Oculi interno idem Truncus plures Ramos, praecipue ſequentes ſubminiſtrat. Primus ſupra Radicem Naſi

Naſi ſe confert atque cum pari alterius lateris communicat, unde parvae Venulae per Foramina Oſſium propriorum Naſi excurrunt.

87. Secundus Ramus ſupra Frontem aſcendit. Vena Frontalis, & Veteribus Praeparata vocatur. In utrumque latus diſtribuitur, atque cum ſua pari lateris oppoſiti, quando adeſt, communicat.

88. Tertius Ramus ſerpentino ductu incedit, in Orbitam ad latus Trochleae Cartilaginoſae ſeſe confert, & cum Durae Matris Sinubus mediante Sinu Orbitario Oculi communicat.

89. Quartus Ramus juxta longitudinem Muſculi Superciliaris, & juxta longitudinem partis ſuperioris Muſculi Orbicularis excurrens, parvum Angulum ſive Angulum externum Oculi petit, quo cum Vena Temporali, & cum iſta, quae juxta longitudinem portionis inferioris Muſculi Orbicularis Oculi excurrit, cum qua Vena hoc modo circulum quaſi efficit, communicationem alat.

VENA JUGULARIS EXTERNA POSTERIOR,
ſive
SUPERIOR.

90. Verſus Glandulam Parotidem atque partem inferiorem anteriorem Auris aſcendit. In hocce trajectu in utrumque latus plures Ramos de ſe ſpargit, quorum quam maxime notabiles ſequentes ſunt.

91. Ex

91. Ex ſua origine poſterius Ramum praecipuum cum Ramuſculis ad Muſculos Scapulam atque Brachii Articulationem contegentes mittit; communiter Vena Muſcularis vocatur: Vena Supra-Humeralis appellari poſſet.

92. Paulum ſuperius Venam Cervicalem ſubminiſtrat, quae ad Muſculos Vertebrales Colli ſeſe confert. Hae Duae Venae, Humeralis ſcilicet atque Cervicalis, per plures Areolas ſive Maculas Venoſas inter ſe communicant, atque diverſis modis in Ramuſculos dividuntur.

93. Ramuſculi hi & communicationes ex parte Muſculo Trapezio conteguntur. Mediantibus quibusdam Ramis cum Vena Occipitali, imo etiam cum Venae Intercoſtalis ſuperioris Ramulo, qui primum Muſculorum Intercoſtalium perforat, communicationem alunt.

94. Proxime, aſt exterius magis, parvam quandoque Venam Cephalicam, quae inter Muſculum Pectoralem majorem atque Deltoïdem deſcendit, quemadmodum (n. 69.) diximus, ſubminiſtrat, ſeſeque cum Vena Cephalica Brachii, de qua in ſequentibus ſermo erit, unit.

95. Venam Occipitalem retrorſum mittit, quae ſuper Occiput diſtribuitur, & quandoque Vertebralis aut Axillaris &c. ſoboles eſt. Parvum adhuc Ramulum ablegat, qui per Foramen Maſtoïdeum poſticum in Cranium intrat, & in unum ex Sinubus lateralibus Durae Matris deſinit. Hic Ramulus quandoque aliunde provenit.

96. Poſtquam e regione Glandulae Parotidis uſque

uſque pervenit, communicationes cum Jugulari externa anteriore infra Angulum Maxillae inferioris format. Poſtea Glandulam Parotidem inter Angulum Maxillae inferioris atque Condylum tranſit, moxque craſſum atque brevem Ramum dat, qui cum Ramo communi Jugularis internae atque Jugularis externae anterioris communicationem alit.

97. Quandoque plures Rami ſunt, qui unam aut duas lineas emenſi invicem readunantur, atque, Areolas ſive Maculas admodum anguſtas, quas Nervi tranſeunt, formantes, craſſum illum brevem Ramum praeſentant.

98. Ante Aurem deinde excurrit, & nomen Venae Temporalis aſſumit, quae in Temporibus atque partibus Capitis lateralibus, verſus Occiput & verſus Frontem diſtribuitur. Vena Temporalis duplici quandoque origine gaudere videtur, cujus ſecunda a Jugulari interna provenit.

99. Vena Temporalis unius lateris ſuperius cum Vena Temporali alterius lateris, anterius cum Vena Frontali, & poſterius cum Vena Occipitali communicat. E regione Auris craſſum Ramum de ſe ſpargit, cujus Ramulus infra marginem inferiorem Zygomatis excurrit, atque recurrit, quo cum Ramulo ab eadem Jugulari proficiſcente, parumper infra Condylum Maxillae, Inſulam quaſi irregulariter rotundam formans, communicationem alat.

100. Retro Condylum Maxillae Ramos de ſe ſpargit, qui in Muſculo Temporali, in partibus

tibus vicinis Maxillae ſuperioris & in parte interiore Maxillae inferioris, fere eodem modo uti Arteriae diſtribuuntur.

101. Unus horum Ramorum ab exteriori introrſum inter Apophyſin Condyloïdeam atque Apophyſin Coronoïdeam, quo itidem in Muſculo Temporali & in Muſculis Pterygoïdeis diſtribuatur, excurrit. In decurſu Maſſeteri Ramulum largitur.

VENA JUGULARIS INTERNA.

102. Vena Jugularis interna craſſiſſima omnium Venarum ad Caput tendentium exiſtit. Obſervandum tamen eſt, quod non adeo craſſa ſit, quam poſt Injectiones Anatomicas apparet.

103. Retro Muſculum Maſtoïdeum & retro Muſculum Homo-Hyoïdeum, quem decuſſat, aſcendit. Juxta longitudinem partis lateralis Vertebrarum Colli, Muſculum Longum Colli legens, excurrit, atque Foſſulam Foraminis Laceri Baſis Cranii attingit.

104. Statim parvos Ramos ablegat, qui ad Glandulas Thyroïdeas ſeſe conferunt. In diſtantia circiter duorum digitorum transverſorum verſus ſuperiora Ramum mediocrem de ſe ſpargit, qui lateraliter verſus Laryngem excurrit, quem Ramum Venam Gutturalem appello.

105. Vena haec Gutturalis in tres praecipue Ramos dividitur, quorum inferior Glandulam Thyroïdeam atque Muſculos vicinos, medius Laryngem, Muſculos Thyroïdeos, &c. petit: & tertius ſurſum aſcendit, atque cum craſſa dua-

rum

rum Venarum Jugularium communicatione, de qua jam diximus, communicat. Hoc magis minusve variat. Venam Gutturalem ſiniſtram à Vena Axillari procedere vidi.

106. In aequali circiter diſtantia ſuperius, ferè e regione Oſſis Hyoïdis, Jugularis interna Ramum adhuc gignit, qui Ramulos ad Muſculos Hyoïdeos ablegat, aliosque producit, qui cum praecedenti Ramo communicationem alunt. Alter hic Ramus verſus Glandulam Parotidem & verſus Angulum Maxillae inferioris, hoc in loco Ramulos communicationis antrorſum & retrorſum verſus duas Jugulares externas de ſe ſpargens, aſcendit.

107. Hic locorum Vena Jugularis interna quibusdam in ſubjectis Venam Maxillarem internam, omnesque ipſius Ramuſculos, de quibus in Deſcriptione Venae Jugularis externae anterioris diximus, producit.

108. Jugularis interna Ramulum adhuc retrorſum mittit, qui in Occipite diſtribuitur, ſuper Occipite cum Ramulo Venae Vertebralis, atque adhuc per Foramen Maſtoïdeum poſterius cum Sinu laterali Durae Matris communicat. Haecce communicatio quandoque per Anaſtomoſin cum Ramo Jugularis externae ſive Venae Cervicalis, quae huc tendit, contingit.

109. Vena Jugularis interna denique ſeſe parumper incurvando, & in decurſu Pharyngi atque Muſculis vicinis parvos Ramulos ſubminiſtrando, Foramen Laceram Baſis Cranii petit.

VENA

VENA VERTEBRALIS.

110. Vena Vertebralis poſterius ex Vena Subclavia, aut ex ipſa Vena Axillari, quandoque per duos Caudices, & quandoque per unicum, qui paulo poſt in duos dividitur, oritur.

111. Primus Caudex atque primarius mox Ramum, qui Vena Cervicalis dicitur, ſuppeditat, quae in Muſculis vicinis diſtribuitur, & deinceps per Foramina Apophyſium Transverſarum Vertebrarum Colli ſuperiora petit. Ramus hic Cervicalis quandoque ex Axillari pullulat.

112. Alter Venae Vertebralis Caudex ad latus Vertebrarum aſcendit, atque poſtquam ad quartam Vertebram, quandoque altius pervenit, inter Apophyſin Transverſam hujus Vertebrae atque iſtam quintae ſeſe inſinuat, quo cum primo Caudice ceu cum vero Venae Vertebralis Trunco uniatur.

113. Vena Vertebralis itaque quandoque per unum Truncum, & quandoque per plures Caudices Arteriam Vertebralem, per cuncta Foramina Apophyſium Transverſarum Colli ad magnum Foramen Occipitale uſque comitatur, atque cum Venis Occipitalibus & cum parvis Sinubus Occipitalibus Durae Matris communicationem alit.

114. In decurſu Ramulum largitur, qui Foramen Condyloïdeum poſterius Occipitis tranſit, & cum Sinu laterali Durae Matris communicat. Non ſemper invenitur.

115. In trajectu quem Venae hae per Foramina Apophyſium Transverſarum aſcendendo faciunt,

Ramos

Ramos antrorſum ad Muſculos Colli anteriores & ad parvos Muſculos anteriores Capitis mittunt.

116. Iidem Rami exterius & poſterius Muſculis Transverſariis atque Vertebralibus Colli proſpiciunt. Interius quoque Ramos dant, qui in magnum Canalem Medullae Spinalis ſe conferunt, ubi Sinus formant, qui cum Sinubus alterius lateris communicationem alunt.

117. Horum Sinuum Vertebralium plures unus ſupra alterum ad Occiput uſque exiſtunt; & inferiores cum ſuperioribus ad magnum Foramen Occipitale uſque communicant, ubi tandem communicatio inter illos atque Sinus Occipitales Durae Matris efficitur.

VENA AXILLARIS.

118. Poſtquam Vena Subclavia Ramos ſupra indicatos ſubminiſtravit, e Cavitate Pectoris egreditur, & ante portionem anteriorem Muſculi Scaleni excurrit. Inter primam Coſtam atque Claviculam repit, & Axillam attingit. A ſuo e Pectore exitu ad Axillam uſque Vena Axillaris ſalutatur, & in hocce decurſu plures Ramos, praecipue iſtos, qui Venae Muſculares, Venae Thoracicae atque Vena Cephalica, quae quandoque duplex eſt, vocantur, ſubminiſtrat.

119. Vena Axillaris mox Venas Muſculares praebet, quae in parte media Muſculi Trapezii, in Muſculo Angulari Scapulae, in Infra-Spinato & in Sub-Scapulari diſtribuuntur; & quoniam hujus diſtributionis Ramuli quidam exterius, qui-

dam interius ad Humerum ſeſe conferunt, in Venas Scapulares internas & in Venas Scapulares externas eosdem diſtinguunt.

120. Axillaris poſtea, & paulum antequam Axillam attingat, Venas Thoracicas, unam ſuperiorem, & alteram inferiorem, quarum ſuperior etiam Vena Mammaria externa appellatur, praebet. Ramulos quoque ad Muſculum Sub-Scapularem, ad Rotundum majorem, ad Rotundum minorem, ad Infra-Spinatum, ad Latiſſimum Dorſi, ad Serratum majorem, ad Pectoralem minorem, ad Pectoralem majorem, & ad Glandulas Axillares ablegat. Ramum quandoque communicationis ad Venam Baſilicam mittit.

121. Poſtquam Axillaris ad latus Capitis Oſſis Humeri pervenit, Ramum admodum notabilem, qui Vena Cephalica vocatur, emittit, & deinceps in Brachio ſub nomine Venae Baſilicae continuatur. Baſilica quandoque tantum inſtar Rami potius quam continuationis Axillaris apparet; ita ut Vena Cephalica & Vena Baſilica pro duobus Venae Axillaris Ramis primariis haberi poſſent.

VENA CEPHALICA.

122. Vena Cephalica, Ramus Axillaris, paulo poſt ſuum ortum cum parva Cephalica, quae a Vena Subclavia ſive Jugulari externa deſcendit, & inter Muſculum Deltoïdem atque Pectoralem majorem ad hunc locum uſque ſuperficialis repit,

pit, unitur. Duae Cephalicae quandoque ante hanc unionem adhuc invicem communicant.

123. Cephalica magna inter Tendines duorum Muſculorum modo nominatorum excurrit, & juxta totam longitudinem marginis externi portionis externae Muſculi Bicipitis deſcendit. In hocce trajectu plures cum Vena Baſilica communicationes alit, atque parvos Ramulos Muſculis vicinis, & in utrumque latus Pinguedini atque Cuti largitur. Ex ipſius parte ſuperiore etiam Ramuli exurgunt, qui inferius cum ipſius Trunco readunantur.

124. Paulo infra Condylum externum Oſſis Brachii Ramulum retrorſum mittit, qui inter Muſculum Brachiaeum anteriorem atque portionem ſuperiorem Muſculi Supinatoris Longi iterum aſcendit, ſeſeque inter Os Humeri & Muſculum Anconaeum externum retrorſum vertit, ubi cum quibusdam Baſilicae Ramis communicat.

125. Poſtquam ad Plicam Brachii fere pervenit, in duos praecipue Ramos, unum longum & alterum brevem dividitur. Longus Vena Radialis externa vocatur. Brevis Vena Mediana Cephalica, ad diſtinctionem paris Rami brevis Venae Baſilicae, quamque ideo Venam Medianam Baſilicam appello, ſalutari poteſt.

126. Vena Radialis externa juxta longitudinem Radii inter Muſculos atque Tegumenta excurrit, & in utrumque latus Ramos de ſe ſpargit, qui cum aliis Ramis ab ipſa provenientibus, atque cum Ramis Venae Baſilicae, Areolas, fere

uti Vena Saphena in Extremitate inferiore efficit, formando communicat.

127. Mediana Cephalica verſus medium Plicae Brachii infra Tegumenta & ſupra Tendinem Bicipitis oblique deſcendit, ubi ſimili Venae Baſilicae brevi Ramo occurrit, & cum eodem unitur, quem Ramum modo Venam Medianam Baſilicam appellavi. Duo hi breves Rami, ſive Mediani laterales ſibi invicem obviam fiunt, & in Plica Brachii, in modum Anguli cujus apex inferiora reſpicit, invicem uniuntur.

128. Ex hac unione ſive Anaſtomoſi angulari Ramus notabilis proficiſcitur, qui ſupra Brachium anterius, in uno latere cum Vena Cephalica ſeſe readunans, deſcendit, & in altero latere cum Vena Baſilica per plures Areolas ſive Maculas irregulares communicationem alit. Craſſus hic Ramus, uti etiam duo breves unione ſua eundem producentes, Vena Mediana vocatur. Ne confundantur, iſtam, quae ex unione duarum Medianarum lateralium, quibus modo nomina peculiaria impoſui, oritur, Venam Medianam magnam, ſive Medianam mediam appellare poſſumus.

129. Ex eadem unione, & quandoque ex origine Medianae mediae, quae vera Mediana Riolani exiſtit, Ramus procedit, qui ſupra partem internam Brachii anterioris, e regione Ligamenti Interoſſei deſcendit. Ramus hic Vena Profunda Brachii anterioris vocatur. Ad Muſculos vicinos ſeſe confert, & cum reliquis Brachii anterioris Venis communi-

municationem alit. Mediana Cephalica ſaepius Ramum longum, qui Vena Radialis interna dicitur, deorſum mittit. Ramus hic ſive Vena haecce cum Vena Radiali externa, de qua ſuperius dictum fuit, fere parallela exiſtit.

130. Vena Cephalica deinde extremitatem Radii attingit, & per plures Areolas, decurſum fere Arteriae Radialis ſequens, diſtribuitur.

131. Ramulus peculiaris ab eadem abſcedit, qui plus minusve ſuperficialis inter Pollicem atque Metacarpum ſub nomine Cephalicae Pollicis excurrit. Hae Areolae Muſculis Interoſſeis, & Tegumentis proſpiciunt, atque cum parvo Ramulo ſive Surculo Venae Baſilicae, cui Veteres nomen Salvatellae impoſuere, communicant.

VENA BASILICA.

132. Veteres Baſilicam Brachii dextri Venam Hepatis, ſive Venam Hepaticam Brachii; atque iſtam Brachii ſiniſtri Venam Lienis ſive Venam Splenicam Brachii vocabant. Duplici quandoque origine per Ramum communicationis cum Trunco Venae Axillaris gaudet.

133. Vena Baſilica ſtatim infra Caput Oſſis Humeri Ramum admodum craſſum praebet, qui transverſim fere circum Collum hujus Oſſis ab interiori retrorſum, & a poſteriori extrorſum excurrit, & ſupra Scapulam iterum aſcendit, ubi in Muſculo Deltoïde in Ramuſculos dividitur, atque cum Venis Scapularibus externis communicationem alit. Ramus hic Vena Sub-Humera-

lis ſive Vena Articularis, uti Arteria ejusdem loci, cujus iter fere ſequitur, vocari poteſt.

134. Vena Sub-Humeralis ſive Articularis duos Ramulos praecipue deorſum mittit, quorum unus juxta longitudinem partis internae Oſſis excurrit, atque Perioſtio & Oſſi ipſi parvas Venulas largitur. Alter Ramulus anterius verſus medium Brachii inter Os atque Bicipitem ſe vertit, & cum Vena Cephalica Anaſtomoſin facit.

135. Infra Collum Oſſis Humeri prope Cavum Axillae, retro Pectoralis majoris Tendinem, Baſilica ſtatim Venam notabilem ſubminiſtrat, quae ad latus Arteriae Brachialis deſcendit, & in utroque latere Muſculis vicinis proſpicit. Profunda Brachii ſive Profunda ſuperior ſalutatur.

136. Baſilica mox poſtea duas aut tres parvas Venulas dat, quae cum Arteria Brachiali arctiſſime colligatae deſcendunt, eamque per intervalla mediantibus parvis inter ſe ipſas communicationis Ramis amplectuntur. Venae Satellites Arteriae Brachialis vocari poſſent.

137. Parvae hae Venae quae ſaepius ex Profunda ſuperiore oriuntur, cum ipſa etiam Baſilica & cum Cephalica communicant; & poſtquam ad Plicam Brachii pervenerunt, uti Arteria dividuntur, & diviſiones hujus Arteriae, ipſius Ramos ubique comitando & amplectendo, per totum Brachium anterius ſequuntur.

138. Baſilica deinde iter ſuum juxta totam longitudinem partis internae Oſſis Humeri inter Tegumenta & Muſculos continuat, pluresque communi-

municationes cum Vena Profunda, cum Venis Satellitibus & cum Vena Cephalica format, & in toto hocce decurſu Muſculis atque Tegumentis proſpicit.

139. Poſtquam Baſilica ad Condylum internum pervenit, & ſupra Plicam Brachii Medianam Baſilicam, uti ſupra dictum fuit, oblique miſit, juxta longitudinem Oſſis Cubiti, inter Tegumenta & Muſculos, paulum exterius, ſub nomine Venae Cubitalis externae deſcendit, & in utroque latere ſemper cum Cephalica, cum Profunda & cum Satellitibus communicationem alit.

140. Poſtquam Medianam Baſilicam ſubminiſtravit, Ramum adhuc emittit, qui juxta longitudinem partis internae Brachii anterioris in latere Cubiti deſcendit, & cum Mediana magna &c. quoque communicat. Ramus hic Vena Cubitalis interna vocari poteſt.

141. Poſtquam tandem extremitatem Oſſis Cubiti attigit, ſupra convexitatem Carpi plures Ramulos mittit, quorum unus ſub nomine Venae Salvatellae, poſtquam cum Vena Cephalica mediantibus Areolis Venoſis, quae in Dorſo Manus conſpiciuntur, communicavit, ad minimum Digitum in latere Digiti Annularis ſe confert. Viam fere Arteriae reſpectu Digitorum ſequitur.

142. Venae externae ſive ſuperficiales Brachii anterioris in genere Venis internis ſive Profundis craſſiores ſunt; aſt non niſi parvas Arterias comites habent, cum e contrario Venae internae Arterias craſſiores comitentur.

VENA CAVA INFERIOR.

143. Poſtquam Vena Cava inferior a parte inferiore Auriculae dextrae in Pericardio viam duas tresve lineas aequantem, uti jam dictum, emenſa eſt, mox Pericardium portionemque Tendinoſam Diaphragmatis, quae arcte invicem conglutinantur, perforat.

144. In hocce trajectu Venas Diaphragmaticas ſive Phrenicas largitur, quae in Diaphragmate diſtribuuntur, & praecipue in ipſius Facie inferiore, una a dextris & altera a ſiniſtris conſpiciuntur. Dextra poſterius magis, magisque inferius quam ſiniſtra ſita eſt, quae ſuperius magis, magisque anterius locatur. Siniſtra partim in Pericardio, partimque in Diaphragmate diſtribuitur. Quandoque etiam Ramulos Capſulis ſive Glandulis Supra-Renalibus, fere uti Arteriae ejusdem nominis, praebent.

145. Poſtquam Vena Cava inferior Diaphragma perforavit, partem poſteriorem magnae Sciſſurae Hepatis tranſit, & in tranſitu parumper ſeſe in Hepatis Subſtantiam inter Lobum majorem atque Lobulum Spigelii inſinuat; eo tamen modo ut ordinarie valde parum hacce Subſtantia poſterius uſque infra Lobulum contegatur.

146. In hocce trajectu ſaepiſſime tres craſſos Ramos, qui Venae Hepaticae dicuntur, praebet, quae in Hepate in Ramuſculos dividuntur. Quandoque duae tantum, & quandoque quatuor reperiuntur.

147. Praeter craſſos hos Ramos Hepaticos ante exitum

exitum ſuum, aut immediate poſt eundem parvos quoque ablegat. Sunt qui credunt, quod parvi hi Rami Ramis Arteriae Hepaticae ſpecialiter reſpondeant, fere uti craſſi Rami Venae Portae reſpondent.

148. In Foetu Vena Cava Hepar tranſiens, Canalem Venoſum ſuppeditat, qui cum Sinu Venae Portae communicat, & in Adulto in Ligamentum fere planum transformatur.

149. Poſt huncce per Hepar trajectum Vena Cava ab anteriori retrorſum, & a latere dextro ſiniſtrorſum vergit, ſeſeque ad Dorſi Spinam confert, atque Aortae aſſociat, dum ad latus dextrum hujus Arteriae locatur, quam deinde verſus inferiora comitatur.

150. Poſtquam e regione Arteriarum Renalium pervenit, Venas ejusdem nominis, quae olim Venae Emulgentes dicebantur, praebet, quae omnium Venarum e Trunco Venae Cavae inferioris, ab Hepate ad ipſius Furcam uſque oriundarum craſſiſſimae exiſtunt.

151. Vena Renalis dextra e duabus breviſſima eſt, & ob ſitum Renis pauxillum oblique deſcendit. Renalis ſiniſtra longior eſt, & transverſim ante Truncum Aortae, immediate infra Arteriam Meſentericam ſuperiorem excurrit. Quaelibet Arteriae Renali vicinae ſeſe aſſociat.

152. Venas Capſulares ad Glandulas Supra-Renales tendentes ſurſum atque Venas, Adipoſas dictas, Involucrum Renum Pinguedineum petentes, deorſum ablegant. Vena Renalis ſiniſtra

quoque ordinarie Venam Spermaticam ſiniſtram praebet. Venae Renales deinde Inciſuram ſive cavitatem Renum per plures Ramuſculos, qui in eorundem ſubſtantia diſtribuuntur, attingunt.

153. Parumper infra Venas Renales craſſa Vena Cava anterius verſus latus dextrum Venam Spermaticam dextram emittit. Raro Spermaticam ſiniſtram largitur, quae ordinarie Venae Renalis ſiniſtrae, uti jam diximus, ſoboles eſt. Utraque Vena Spermatica Arterias ejusdem nominis ad partes uſque de quibus in ſequentibus ſermo erit, comitatur.

154. In hocce trajectu plures parvos Ramos in utrumque latus Peritonaeo atque Meſenterio dant, ubi cum Venis Meſaraïcis, & per conſequens cum Vena Portae Anaſtomoſes alere videntur.

155. Ramulum notabilem quandoque ſupra Muſculum Iliacum mittunt, qui in duos dividitur, quorum unus ſupra Membranam Adipoſam Renum ſurſum aſcendit; alter ſupra Muſculum Iliacum deſcendit.

156. Vena Cava ex ſua parte poſteriore, in eadem circiter Spermaticae dextrae altitudine, quibusdam in ſubjectis Ramum producit, qui recurrit, & cum Vena Azygos communicationem alit. Ramulus hic quandoque ab Emulgentibus ſive Renalibus, modo a dextra, modo a ſiniſtra procedit. Vera quaſi continuatio extremitatis Azygos eſſe videtur.

157. Vena Cava inferior poſterius adhuc Venas Lumbares gignit, quae ordinarie per paria, uti fere

fere Arteriae ejusdem nominis ex Aorta oriuntur, ab eadem procedunt. In Venas Lumbares ſuperiores, & in Venas Lumbares inferiores dividi poſſunt.

158. Earundem origo diverſis modis variat. Vena Cava quandoque infra primam Vertebram Lumbarem in quolibet latere Ramulum ſubminiſtrat, qui inſtar ſpeciei Trunci Venas Lumbares largitur. Idem hic Ramulus cum Vena Azygos communicat.

159. Quandoque ex extremitate inferiore Venae Cavae, prope ipſius Furcam, Ramulus notabilis, praecipue ex latere dextro, procedit, qui inter Corpora Vertebrarum & Apophyſes Transverſas surſum recurrendo Venas Lumbares ſuppeditat, & cum Vena Azygos communicat.

160. Accidit quoque, ut ſimilis Ramulus ex initio Venae Iliacae ſiniſtrae oriatur, & eodem modo in latere hocce Lumbares ſubminiſtrando aſcendat; qui Ramulus etiam cum Vena Azygos & cum Ramulo Lumbari ſuperiori ſive deſcendente communicat.

161. Venae Lumbares unius lateris per Ramos transverſos cum iſtis alterius lateris, & per Ramos plus minusve longitudinales inter ſe communicationes alunt. Primus, uti etiam ſecundus, ſaepe a Vena Azygos veniunt, hocque modo cum Venis Intercoſtalibus communicant.

162. Venae Lumbares in decurſu parvas Venas Capillares in Subſtantiam Corporis Vertebrarum mittunt. In Muſculis Abdominis, in Muſculo Quadra-

Quadrato Lumborum, in Pſoa, in Muſculo Iliaco &c. diſtribuuntur. Ramos retrorſum ad Muſculos Vertebrales vicinos, ad Canalem Spinae ablegant, & cum ipſius Sinubus Venoſis, fere uti Venae Intercoſtales, communicationem alunt.

163. Poſtquam Truncus Venae Cavae inferioris e regione ultimae Vertebrae Lumborum, & verſus Furcam Aortae inferioris pervenit, retro Arteriam Iliacam dextram repit, & per Furcam ibidem in duos Truncos ſecundarios & peculiares, qui Venae Iliacae dicuntur, unam in latere dextro & alteram in ſiniſtro, dividitur.

164. Extremitas Trunci Venae Cavae quibusdam in Subjectis retro originem Arteriae Iliacae dextrae ſe confert; in aliis Vena Iliaca ſiniſtra, ita ut Arteriam Iliacam dextram decuſſet, huc excurrit. Vena Iliaca ſiniſtra deinde latus internum Arteriae Iliacae ſiniſtrae ad exitum ex Abdomine uſque comitatur. Vena Iliaca dextra mox retro Arteriam Iliacam dextram deſcendit, parumper poſtea valde oblique eandem decuſſat, & tandem latus internum portionis inferioris ejusdem Arteriae comitatur. Venae Iliacae itaque hic locorum ad latera interna Arteriarum Iliacarum locatae ſunt.

165. Ex hacce Venae Cavae Furca, & ſaepiſſime ex origine Venae Iliacae ſiniſtrae, Vena Sacra prodit, quae diſtributionem Arteriae ejusdem nominis in Oſſe Sacro, in Nervis qui ibidem decurrunt, & in Membranis idem tam exterius quam interius inveſtientibus ſequitur.

VENAE

VENAE ILIACAE.

166. Quaelibet duarum Venarum Iliacarum primitivarum ſive communium ad latus Oſſis Sacri, fere uti Arteriae ejusdem nominis, in duos craſſos Truncos, qui Venae Iliacae ſecundariae ſunt, dividitur. Haecce diviſio ſive Furca ſecundaria in diſtantia circiter unius digiti transverſi infra iſtam Arteriarum Iliacarum reperitur.

167. Unus horum Truncorum ſecundariorum Vena Iliaca externa ſive anterior, atque alter Vena Iliaca interna ſive poſterior vocatur. Externa quoque ſimpliciter Iliaca, & interna Hypogaſtrica ſalutatur. Vena Iliaca externa vera Trunci Iliaci continuatio eſſe, & Hypogaſtrica non niſi Ramus ejusdem eſſe videtur. Hoc de Adulto intelligendum eſt, in Foetu enim parumper differt.

168. Hae Venae fere decurſus atque diſtributionem Arteriarum ejusdem nominis ſequuntur, excepto quod Vena Hypogaſtrica nullam Venam Umbilicalem uti Arteria Hypogaſtrica ſubminiſtret. Venae Iliacae externae plus minusve ad latus internum Arteriarum ejusdem nominis, eundem in modum quem ſupra indicavi, conſpiciuntur; quoniam vero Venae Hypogaſtricae in fundo Pelvis ſitae ſunt, fere retro Arterias Hypogaſtricas ejusdem lateris excurrunt.

169. E Trunco Venarum Iliacarum communi, & quandoque ex origine Venae Iliacae externae peculiaris Vena pullulat, quae in Muſculo Pſoa, in Muſculo Iliaco, in Muſculo Quadrato Lumborum diſtribuitur, poſteaque Ramulum largitur,

largitur, qui ante ultimam Apophyſin Transverſam Lumborum excurrit, & cum ultima Vena Lumbari communicationem alit.

169. * Iliaca externa paulum ante ſuum exitum, & prope Ligamentum Tendinoſum Fallopii ſive marginem inferiorem Muſculorum Latorum Abdominis, Muſculis Pſoae atque Iliaco incumbens, in genere eosdem fere Ramos quos Arteria Iliaca externa, cujus decurſum etiam in genere ſequitur, ſubminiſtrat. En praecipuos:

170. In latere externo paulum ante ſuum exitum parvum Ramum dat, qui juxta totam longitudinem Criſtae Oſſis Ilii iterum aſcendit, & in utroque latere portionibus inferioribus lateralibus & poſterioribus Muſculorum Latorum Abdominis atque Muſculo Iliaco &c. Ramulos praebet.

171. In latere interno immediate ante ſuum ex Abdomine exitum Venam Epigaſtricam ſubminiſtrat, quae, poſtquam parvos quosdam Ramulos ad Glandulas Conglobatas vicinas miſit, juxta totam longitudinem Faciei internae Muſculorum Rectorum aſcendit, ibique in utrumque latus, imo ſupra Muſculos Latos, mediantibus aliis parvis Ramulis qui ab interiori verſus exteriora penetrant, in Ramuſculos dividitur.

172. Vena Epigaſtrica deinde aſcendit, & Ramuſculis Venae Mammariae occurit; cum quibus per totidem parvos Ramuſculos, Arteriam Epigaſtricam comitando, communicationem alit. E latere interno Venae Epigaſtricae quandoque Ramu-

Ramulus procedit, qui Muſculum Obturatorem internum petit, ibique cum alio Ramulo, qui Vena Obturatrix dicitur, unitur.

173. Antequam Vena Iliaca infra Ligamentum Tendinoſum Fallopii prodit, plures parvos Ramulos ad Glandulas Lymphaticas vicinas ablegat; & immediate poſt exitum ſuum nomen Iliacae deponit, atque Venae Cruralis nomen acquirit.

VENA HYPOGASTRICA.

174. Vena Hypogaſtrica ſive Iliaca interna retro Arteriam ejusdem nominis, uti ſupra dictum fuit, excurrit, atque fere eodem modo uti illa ſpeciem parvi Arcus format, e quo ſequentem in modum plures Ramos emittit.

175. A parte poſteriore ſive convexitate Arcus Ramum adhuc ad partem lateralem ſuperiorem Oſſis Sacri mittit, qui in Muſculo Sacro & in Muſculis vicinis, atque in Cavitate Oſſis Sacri, in quam per primum magnum Foramen hujus Oſſis intrat, diſtribuitur.

176. Paulum magis inferius in eodem latere alium adhuc ablegat, qui uti praecedens fere diſtribuitur, ſeſeque ad ſecundum Oſſis Sacri Foramen confert.

177. Ex parte externa laterali ejusdem hujus Arcus, & paulum anterius, craſſum Ramum praebet, qui retro magnam Inciſuram Iſchiadicam excurrit, & in Muſculis Glutaeis, in Pyriformi, & in Gemellis vicinis diſtribuitur.

178. In-

178. Inferius magis in eadem parte laterali Vena Hypogaſtrica adhuc Ramum notabilem de ſe ſpargit, qui poſt parvum admodum iter plures Ramulos largitur, & deinde Foramen Ovale Oſſis Innominati petit, Muſculos Obturatores perforat, cum Vena Crurali communicat, & in Muſculo Pectinaeo, in Tricipite, & in partibus vicinis diſtribuitur. Ob tranſitum ſuum Vena Obturatrix ſalutatur.

179. Inter Ramulos quos Vena Obturatrix, antequam Muſculos Obturatores perforat, diſtribuit, unus exterius ſitus eſt, qui extrorſum verſus Inciſuram Iſchiadicam ad Muſculum Iliacum, ad partem ſuperiorem Muſculi Obturatoris interni, & ad Os Ilii in latere Symphyſis cum Oſſe Iſchio ſeſe confert.

180. Interius eadem Vena Obturatrix alium Ramulum emittit, qui in Ureteribus, in Veſica & in partibus naturalibus internis utriusque Sexus diſtribuitur. Haecce Vena quoque cum Venis Spermaticis communicat, & in Foeminis notabilior quam in Viris exiſtit.

181. Vena Hypogaſtrica tandem retrorſum excurrit, & e Pelvi ſupra Ligamentum, quod inter partem inferiorem & lateralem Oſſis Sacri & Spinam Iſchiadicam eſt, egreditur. In exitu praecipue verſus ſuperiora & inferiora in Ramuſculos dividitur.

182. Superius craſſum Ramum ad partem inferiorem Oſſis Sacri mittit. Inferius duos aut plures ablegat, qui retro idem Ligamentum excurrunt,

currunt, ſeſeque in Natibus, in Ano, in portione vicina Muſculi Pectinaei, & in Partibus Naturalibus externis, fere uti Arteriae eosdem comitantes, diſtribuunt.

183. Illae quae ad Anum abeunt, Venae Haemorrhoïdales externae, atque illae, quae ad Partes Naturales eunt, Venae Pudendae internae vocantur. Hae Haemorrhoïdales externae cum Haemorrhoïdalibus internis, quae a parva Vena Meſaraïca, una ex Ramis Venae Portae, de qua in ſequentibus ſermo erit, procedunt, communicationem alunt.

VENA CRURALIS.

184. Vena Cruralis infra Ligamentum Tendinoſum Fallopii & ad latus Arteriae Cruralis procedit. In exitu parvos Ramos Glandulis Inguinalibus, Muſculo Pectinaeo atque Partibus Naturalibus praebet. Hi ultimi Venae Pudendae externae appellantur, & cum Venis Pudendis internis evidenter communicationem alunt.

185. Poſtquam Vena Cruralis ab exitu ſuo latitudinem pollicis circiter emenſa eſt, verſus interiora & paulum verſus anteriora craſſum Ramum ablegat, qui anterius inter Tegumenta & Muſculum Sartorium deſcendit. Directionem fere hujus Muſculi uſque ad internam Genu partem circiter ſequitur.

186. Deinde Ramus hic Condylum Femoris internum transgreditur, juxta longitudinem Tegumentorum, inter ea atque Tibiae Angulum internum repit, tandem partem anteriorem Malleoli interni attingit, & ſupra Pedem diſtribuitur,

tur. Totus hicce Ramus in genere Vena Saphena ſive Saphena magna vocatur.

187. Poſt Venae Saphenae ortum Truncus Venae Cruralis deſcendit, inter Muſculos ſeſe immergit, & in partibus internis ſive profundis totius extremitatis inferioris Corporis, Arteriam Cruralem ad apicem Pedis uſque concomitans, hancce Arteriam capacitate & Ramuſculis, modo Venis ordinario, ſemper ſuperans, diſtribuitur.

188. Ad attentionem Lectori faciliorem reddendam, hic Venae Saphenae Deſcriptionem, ob ſuam extenſionem ſubjungam, & deinceps iſtam Venae Cruralis proſequar.

VENA SAPHENA.

189. Magna Vena Saphena in decurſu ab Inguine ad Pedem uſque non niſi Cute & Pinguedine ſive Membrana Adipoſa contegitur. Mox a ſua origine parvos Ramulos Glandulis inferioribus Inguinis, & deinde alios ſubminiſtrat, qui antrorſum magis infra Tegumenta deſcendunt, & per plures Areolas ſive Maculas inter ſe communicant. Multiplicatae hae communicationes quandoque ab unius Rami Ramulis oriuntur.

190. Poſtquam Saphena ſuper Femur deſcendens, verſus medium Muſculi Sartorii pervenit, in eodem latere plures adhuc Ramos de ſe ſpargit, qui inter ſe & cum Ramis ſuperioribus, de quibus modo verba feci, communicant. Rami hi inferiores deſcendendo denuo cum Trunco Saphenae communicationem alunt.

191. Occurſus harum duarum ſpecierum communi-

municationum alias adhuc collaterales ſubminiſtrat, imo Rami etiam peculiares inde procedunt, qui quoque per intervalla ad Genu uſque inter ſe communicant.

192. In trajectu inter Ramos ſuperiores & inferiores, de quibus modo diximus, Saphena poſterius Ramum peculiarem ablegat, qui poſt ſuam diſtributionem in Tegumentis quae Muſculum Gracilem internum atque Tricipitem contegunt, retrorſum ſeſe vertit, & paulum infra Poplitem inter Muſculos vicinos ſeſe confert, ubi cum alio Ramo, qui Parva Saphena vocari poteſt, communicat.

193. Truncus Saphenae magnae deinde juxta longitudinem partis internae Tibiae, Cuti ſemper vicinus deſcendit. Poſtquam ad ſummum Tibiae pervenit, Ramos anterius atque poſterius de ſe ſpargit.

194. Rami anteriores Tegumenta ſummum Tibiae contegentia petunt. Poſteriores ad iſta ſeſe conferunt, quae Muſculos Gaſtrocnemios ſive Gemellos majores contegunt, & cum Parva Saphena communicant. Ramus externus deſcendit, itidemque in Pinguedine atque Tegumentis diſtribuitur; atque verſus medium Tibiae mediante Ramulo cum Trunco Saphenae magnae communicationem alit.

195. Ex hacce communicatione Ramus anterius oritur, qui juxta longitudinem Tegumentorum Tibiae ad Malleolum externum uſque excurrit, poſtquam etiam denuo in hocce itinere cum Saphena magna communicavit.

196. Saphena in parte Tibiae interna ita deſcendens, in medio circiter itineris Ramum ablegat, qui retro Tendines Muſculorum Sartorii, Gracilis interni & Semi-Nervoſi iterum aſcendit, inter Tibiam atque extremitatem ſuperiorem Muſculi Solaei repit, & cum Vena Crurali Anaſtomoſin alit.

197. Ad partem quoque Tibiae anteriorem Ramos quosdam irregulariter transverſos mittit, qui, poſtquam Perioſtio & Oſſi ipſi proſpexerunt, cum reliquis Ramis, quorum ſupra mentionem fecimus, communicant.

198. In Tibiae parte inferiore Saphena Ramum notabilem producit, qui oblique antrorſum ſupra Plicam, quae Collum Pedis communiter dicitur, excurrit, atque verſus Malleolum externum ſeſe vertens, in hacce Plica plures Ramos praebet, qui inter ſe & cum ipſo Saphenae Trunco communicationem alunt.

199. Extremitas Trunci Saphenae denique deſcendit, & ante Malleolum internum excurrit, atque infra Cutem irregulariter juxta longitudinem Interſtitii duorum priorum Metatarſi Oſſium verſus Pollicem extenditur, ubi Saphena finitur.

200. Statim poſtquam ante Malleolum internum progreſſa eſt, exterius verſus anteriora Ramum ſubminiſtrat, qui ſub Arteria Tibiali anteriori repit, eamque aliquo modo comitatur. Interius quoque in eodem fere loco alium Ramum ablegat, qui infra Pedem excurrit, & per Arcus irregulares, qui deinde Digitis Pedis proſpiciunt, cum Vena Tibiali externa communicat.

201. Saphena denique antequam ſuper Pede verſus Digitum maximum finitur, ſupra Metatarſum ſpeciem Arcus transverſi ablegat, qui per plures Ramos cum iſtis Plicae ſive Colli Pedis communicationem alit, aliosque Digitis Pedis impertit. Arcus hic Ramum adhuc praebet, qui retro Malleolum externum rurſus aſcendit, & cum Vena Tibiali externa communicat.

CONTINUATIO VENAE CRURALIS.

202. Poſtquam Vena Cruralis Saphenam parvosque Ramulos pro Muſculo Pectinaeo &c. uti dictum eſt, ſubminiſtravit, juxta longitudinem Femoris retro Arteriam Cruralem deſcendit. E regione Trochanteris minoris duos craſſos Ramos breves, aut unicum in duos alios diviſum, quorum unus anterior, & alter poſterior eſt, producit.

203. Ramus anterior plus minusve transverſim verſus anteriora excurrit, & in Muſculo Vaſto Interno, in parte inferiore Muſculi Pectinaei, in parte inferiore ſecundae portionis Tricipitis, & in reliquis portionibus ejusdem hujus Muſculi, inter haſce portiones, quo ab una ad alteram ſe conferat, repens diſtribuitur.

204. Ramus poſterior plus minusve transverſim poſteriora verſus excurrit, atque Muſculis Glutaeis, Vaſto Externo, & principio Bicipitis proſpicit.

205. Paulum infra hos duos Ramos, ſcilicet paulum inferius Trochanterem minorem, & e regione circiter partis ſuperioris Vaſti Interni, Vena Cruralis Ramulum dat, qui ad ipſius latus,

 Arte-

Arteriam Cruralem uſque paulum ſupra Poplitem contegendo ſive amplectendo, deſcendit, ubi cum ipſo Venae Cruralis Trunco Anaſtomoſin alit, & quandoque pauxillum ſupra Crus extenditur. Ramulus hic Vena Iſchiadica, ob Nervum Iſchiadicum quem comitatur, vocatur.

206. Ad latus hujus Anaſtomoſis externum Vena Cruralis Ramum emittit, qui retrorſum inter Muſculum Bicipitem Muſculosque vicinos repit, & juxta longitudinem partis poſterioris Cruris parumper exterius & proxime Cutem uſque infra Malleolum externum deſcendit. Saphena parva ſive Saphena externa audit.

SAPHENA PARVA.

207. Poſtquam Saphena parva deſcendendo Tegumentis appropinquavit, ſtatim Ramum emittit, qui retrorſum ſeſe confert, & cum Saphena magna in parte Femoris poſteriore media, quemadmodum in Deſcriptione Saphenae magnae annotavimus, communicat.

208. Immediate ſupra & infra Poplitem parva Saphena Ramos adhuc producit, qui cum magna communicationem alunt. Poſtquam verſus tertiam Tibiae partem poſterius pervenit, Ramum gignit, qui deſcendit, atque denuo in Truncum ſuum revertitur.

209. Parva Saphena tandem in initio Tendinis Achillis, exterius in Tegumenta ſeſe confert, quo partem poſteriorem Malleoli externi attingat, ubi in Ramulos Cutaneos quaquaverſum deſinit.

VENA

VENA POPLITEA.

210. Poſtquam Vena Cruralis parvam Saphenam dedit, retrorſum inter Bicipitem reliquosque Flexores Congeneres, Arteria Crurali arcte comitata, inter hancce Arteriam atque Condylum Femoris internum deſcendit.

211. Parum ſupra Poplitem, uti Arteria ipſi ſocia, nomen Venae Popliteae aſſumit; & inter duos Femoris Condylos deſcendendo, Ramulos ad Muſculos ſupra nominatos Flexores, ad partes inferiores ac poſteriores utriusque Vaſti, & ad Pinguedinem, quae ſupra Interſtitium Condylorum Femoris eſt, ablegat.

212. Dum Vena Poplitea Interſtitium horum Condylorum percurrit, plures Ramos emittit, quorum unus iterum lateraliter inter Condylum externum atque Bicipitem aſcendit, ſeſeque verſus anteriora vertit, ubi fere uti Arteria in Ramuſculos dividitur. Eodem in loco Ramum retrorſum mittit, qui principio Muſculorum Gaſtrocnemiorum ſive Gemellorum Majorum Ramuſculos impertit, poſteaque juxta longitudinem Faciei poſterioris horum Muſculorum, juxta longitudinem Tendinis Achillis deſcendit.

213. Poplitea quoque verſus Condylum internum Ramos quosdam laterales ad extremitates Muſculorum vicinorum, praecipue ad iſtas Semi-Nervoſi, atque Semi-Membranoſi &c. mittit. Ramum denique verſus Condylum externum ablegat, qui ſuper Muſculo Peronaeo Longo paulum pro-

greſſus, denuo Truncum, cujus continuationem nunc trademus, intrat.

214. Truncus Venae Popliteae immediate retro Muſculum Popliteum deſcendit, in cujus parte inferiore mox in utrumque latus plures Ramuſculos, qui ſubdividuntur, atque modo magis, modo minus iterum invicem uniuntur, producit; ſtatimque poſtea nomen Popliteae deponit, atque tres Venas notabiles, Venam ſcilicet Tibialem anteriorem, Venam Tibialem poſteriorem & Venam Peronaeam format. Ex hiſce tribus Tibialis poſterior ſaepiſſime continuatio Trunci Popliteae, ac duae reliquae ipſius Rami quaſi exiſtunt.

VENA TIBIALIS ANTERIOR.

215. Poſtquam Vena Tibialis anterior ex ortu ſuo parvos quosdam Ramulos Muſculis retro Tibiae Caput, atque retro Fibulae Caput dedit, Ligamentum Interoſſeum a poſteriori antrorſum perforat, ſeſeque ad Interſtitium portionum ſuperiorum Muſculi Tibiaei anterioris atque Extenſoris longi communis Digitorum Pedis confert.

216. Quamprimum Ligamentum Interoſſeum perforavit, parvos Ramulos ſuperficiales antrorſum ac retrorſum ſupra Caput Tibiae, & ſupra Fibulae Caput ablegat, qui Articulationem Genu petunt, & cum Ramis lateralibus Venae Popliteae, de qua modo dixi, communicationem alunt.

217. Statim poſtea in duos aut tres Ramos dividitur, qui juxta longitudinem Faciei anterioris Ligamenti Interoſſei invicem deſcendunt, Arteriam

riam Tibialem anteriorem comitantur, eandemque per intervalla mediantibus parvis Circulis Communicationis ampleĉtuntur.

218. Poſtquam ſocii hi Rami verſus extremitatem inferiorem Cruris pervenerunt, in unicum Ramum readunantur, qui poſtmodum denuo in plures dividitur, quorum Ramuſculi ſuper Pede diſtribuuntur.

219. Ex hacce readunatione Ramulus peculiaris oritur, qui in parte Cruris inferiore, Ligamentum Interoſſeum ab anteriori verſus poſteriora perforat, & cum Vena Tibiali poſteriori, de qua mox dicam, communicat

VENA TIBIALIS POSTERIOR.

220. Vena Tibialis poſterior in ortu ſuo e latere interno Ramum praebet, qui in Muſculis Gaſtrocnemiis ſive Gemellis majoribus & in Muſculo Solaeo diſtribuitur. Ramus hic Venae Suralis nomen acquirit.

221. Tibialis poſterior deinde inter Muſculum Solaeum & Muſculum Tibiaeum poſteriorem deſcendit, iisque in decurſu ſuo Ramulos largitur. Itidem uti Vena Tibialis anterior in duos aut tres Ramos dividitur, qui deſcendendo Arteriam ejusdem nominis ampleĉtuntur, & per intervalla parvos Circulos communicationis inter ſe & circum circa Arteriam formant.

222. Vena haec ita juxta longitudinem Arteriae uſque retro Malleolum internum deſcendit, & in itinere ſuo Muſculo Tibiaeo poſteriori & Flexoribus Longis Digitorum Pedis proſpicit. In parte

Cruris inferiore cum Ramulo transverſo Saphenae, & per Ligamentum Interoſſeum cum Vena Tibiali anteriore, uti jam dictum eſt, communicationem alit.

223. Ad latus tandem internum Calcanei ſub Plantam Pedis ſeſe confert, ubi Venas Plantares format, dum ſeſe in plures Arcus atque Ramulos transverſos dividit, qui inter ſe, uti etiam cum Saphena, Ramuſculos ad Digitos Pedis mittentes, fere uti Arteria Plantaris, communicant.

VENA PERONAEA.

224. Vena Peronaea pariter duplex, quandoque triplex exiſtit. Juxta totam longitudinem lateris interni Fibulae eandem fere viam quam Arteria Peronaea ſervans deſcendit, quam etiam mediantibus Ramulis communicationis per intervalla, anterius ac poſterius, uti Vena Tibialis poſterior amplectitur.

225. Uſque ad Articulationem extremitatis inferioris Fibulae cum Tibia, id eſt, uſque retro Malleolum externum deſcendit, & in hocce trajectu plures communicationes cum Vena Tibiali poſteriori alit, atque portionibus vicinis Muſculorum Peronaeorum, & iſtis Flexorum Longorum Digitorum Pedis Ramuſculos impertit.

226. Ultima harum communicationum in cauſa eſt, ut quibusdam in ſubjectis Venae Plantares potius ex Vena Peronaea, quam ex Vena Tibiali poſteriore, ex qua ordinarie prodeunt, quemadmodum ſuperius in Deſcriptione hujus Venae annotavi, oriri videantur.

VENA

VENA PORTAE.

227. VEna Portae craſſa Vena peculiaris eſt, cujus Truncus praecipue inter Eminentias Faciei inferioris ſive concavae Hepatis, quae a Veteribus Anatomicis Portae dictae ſunt, ſitum obtinet. Id quod iisdem quoque ut Venam hancce in genere Venae Portae, ſive Venae Portarum nomine indigitarent, anſam ſuppeditavit.

228. Vena haecce tanquam e duabus craſſis Venis, quae ſenſu contrario mediantibus ſuis Truncis invicem uniuntur, atque itidem deinde Ramos ac Ramulos, una in ſenſum contrarium alterius, & quaelibet ſecundum peculiarem ſuam directionem emittunt, compoſita ſive facta conſiderari poteſt. Unus horum duorum Truncorum Hepati annexus eſt; & in hoc Viſcere, ibidem totam Arteriae Hepaticae diſtributionem concomitans, in Ramuſculos dividitur.

229. Alter Truncus extra Hepar cernitur, ſuosque Ramuſculos ad Viſcera, quae a reliquo Arteriae Coeliacae & a duabus Arteriis Meſentericis irrigantur, id eſt, ad Ventriculum, ad Inteſtina, ad Pancreas, ad Lienem, ad Meſenterium atque ad Epiploon ablegat.

230. Prima harum duarum Portionum Vena Portae Hepatica, ſive Vena Portae ſuperior, ſive parva Vena Portae, cujus Truncus peculiaris ordinarie Sinus Venae Portae vocatur, ſalutari poteſt. Altera Portio Venae Portae Ventralis, Vena Portae inferior, ſive magna Vena Portae appellari poteſt;

&

& hujus nunc decurſum atque diſtributionem, ſpecialia alterius ad Hiſtoriam Hepatis particularem relegans, deſcribam.

231. Craſſus Venae Portae inferioris ſive Ventralis Truncus ſub Facie inferiore ſive concava Hepatis ſitus eſt, & cum Sinu Venae Portae Hepaticae inter partem mediam atque dextram hujus Sinus extremitatem, & per conſequens in magna ab ipſius extremitatis ſiniſtrae diſtantia coït. Inde a latere dextro verſus ſiniſtrum, retro aut ſub Truncum Arteriae Hepaticae repens, ſeſeque retro Duodeni initium uſque infra Pancreatis Caput incurvans, parumper oblique deſcendit. Ipſius extenſio ſive longitudo ad hunc locum uſque quinque circiter Digitos transverſos adaequat.

232 Poſtquam infra Pancreatis Caput pervenit, Truncus hic nomen Venae Portae in genere deponit, & in tres craſſos praecipuos Ramos deſinit, qui per quamplurimos Ramuſculos in Viſceribus ſupra indicatis diſtribuuntur. Prima harum trium Venarum Vena Meſaraïca ſive Meſaraïca magna, ſecunda Splenica, & tertia Haemorrhoïdalis interna ſive Meſaraïca parva vocatur.

233 Meſaraïca magna continuatio ipſius Trunci Venae Portae inferioris eſſe videtur. Splenica ejusdem Ramum principem ſive primitivum conſtituit; atque Meſaraïca parva ſive Haemorrhoïdalis interna quandoque communi cum Splenica origine gaudet, & quandoque Ramus Splenicae peculiaris exiſtit. Meſaraïca magna & Splenica quibusdam in ſubjectis Furcam aequalem Trunci Venae

Portae

Portae inferioris conſtituere videntur. In aliis Haemorrhoïdalis ex ipſo hujus Furcae Angulo pullulat.

234. Vena Portae inferior, ante formationem horum trium craſſorum Ramorum, ex ipſo Trunco adhuc plures Ramulos ſive parvas Venas emittit, quae ordinarie Venae Cyſticae, parva Vena Hepatica peculiaris, Vena Pylorica, Vena Duodenalis, & quandoque Vena Gaſtrica dextra & Vena Coronaria Stomachica ſunt.

235. Parvae hae Venae quandoque cunctae ſeparatim prodeunt, & quandoque quaedam mediante parvo Trunco communi oriuntur. Imo accidit, ut quaedam non immediate e Trunco Venae Portae inferioris, ſed ex uno craſſorum ipſius Ramorum naſcantur.

236. Venae Cyſticae juxta longitudinem Veſiculae Fellis, ab ipſius Collo ad ipſius fundum uſque excurrunt. Saepiſſime non niſi duae inveniuntur, unde etiam communiter Cyſticae Gemellae, itidem uti Arteriae easdem comitantes, vocantur. E latere dextro craſſi Trunci prope ipſius originem, in quibusdam ſeparatim, & in aliis per parvum Truncum communem valde brevem, non niſi lineas quasdam aequantem, exurgunt.

237. Parva Vena Portae Hepatica ordinarie Ramulus unius ex Venis Cyſticis, aut earundem parvi Trunci communis exiſtit.

238. Vena Pylorica e craſſo Trunco e regione circiter originis Venarum Cyſticarum oritur. Quandoque loco ut immediate ex eodem proveniat, Ramulus Venae Gaſtricae dextrae exiſtit. Supra Pylo-

Pylorum excurrit, & ſupra parvam Ventriculi Curvaturam ſive Arcum progreditur, ubi cum Vena Coronaria Stomachica Anaſtomoſin alit.

239. Vena Duodenalis, Vena Inteſtinalis communiter dicta, e craſſo Trunco prope Cyſticas Venas, & quandoque e parvo ipſarum harum Venarum Trunco communi prodit. Praecipue in Inteſtino Duodeno diſtribuitur, atque Pancreati quoque proſpicit. Alia adhuc Vena Duodenalis ibidem reperitur, quae Ramulus Venae Gaſtricae ejusdem lateris eſt.

240. Gaſtrica ſive Gaſtro-Epiploïca dextra, & Coronaria Stomachica minus frequenter ex ipſo Venae Portae inferioris Trunco, quam ex ipſius craſſis Ramis oriuntur; unde easdem ad eorundem Deſcriptionem peculiarem reſervo.

VENA MESARAICA MAGNA.

241. Poſtquam Vena Portae inferior Splenicam dedit, nomen hoc amittit, illudque Venae Meſaraïcae ſive Venae Meſaraïcae magnae aſſumit, quamvis haecce Vena ſaepiſſime vera potius Trunci continuatio, quam unus ex ipſius craſſis Ramis, quemadmodum ſuperius annotavi, eſſe videatur.

242. VerſusArteriam Meſentericam ſuperiorem, duas Venas peculiares emittendo, ſeſe vertit. Supra hancce Arteriam poſtmodum aſcendit, eamque in portionibus Meſenterii & Meſocoli, quae Inteſtinis Tenuibus, Caeco atque parti dextrae Coli reſpondent, comitatur. Deſcendendo, fere uti Arteria, ſpeciem Arcus obliqui efficit, qui itidem conve-

convexitate & concavitate ſua, aſt non plane adeo regulari modo, in Ramuſculos dividitur.

243. Primus peculiaris Trunci Ramus, a Riolano ſimpliciter Vena Colica vocatur. E Trunci parte anteriore ante unionem cum Arteria egreditur, atque partem Coli mediam directe petit, ubi dextrorſum atque ſiniſtrorſum per Arcus dividitur. In latere ſiniſtro cum Ramo ſuperiore ſive aſcendente Venae Haemorrhoïdalis, & in latere dextro cum Ramulo ſecundae Venae ſive Rami peculiaris Trunci, quemadmodum videbimus, communicat.

244. Secunda Vena ſive Ramus peculiaris Trunci Meſaraïcae magnae pauxillum infra primam ſive Colicam anteriorem, magisque verſus latus dextrum ſitus eſt. Poſtquam Vena haec, quae Vena Gaſtro-Colica appellari poteſt, viam aliquot linearum emenſa eſt, in duos Ramulos, unum ſuperiorem & alterum inferiorem dividitur.

245. Ramulus Venae Gaſtro-Colicae ſuperior Capiti Pancreatis parvas Venas praebet, Venam Gaſtricam ſive Gaſtro-Epiploïcam dextram format, quae a Pyloro ad magnam uſque Ventriculi curvaturam extenditur, & cum Vena Gaſtrica ſive Gaſtro-Epiploïca ſiniſtra unitur. In hocce trajectu Ventriculo & Epiploo proſpicit, & cum Vena Pylorica, Coronaria Stomachica, &c. uti ſuperius dictum eſt, communicationem alit. Quandoque Pyloricam format.

246. Ramulus Venae Gaſtro-Colicae inferior, qui Vena Colica dextra vocari poteſt, portionem Coli dextram attingit, indeque ad hujus Inteſtini ſupe-

ſuperiorem partem ſeſe confert, ubi per Arcus dividitur, & cum Ramo Venae Colicae anterioris dextro, atque cum Ramulo Venae Caecalis, de quo inferius ſermo erit, communicat.

247. Truncus Venae Meſaraïcae magnae interdum adhuc e regione Venae Gaſtricae dextrae Ramulum peculiarem, ſub nomine Venae Epiploïcae dextrae, Epiploo largitur. Aſt immediate fere antequam ſupra Arteriam Meſentericam aſcendit, duos craſſos Ramos unum prope alterum producit, qui retro & infra Arteriam excurrunt, & in Inteſtino Jejuno atque in parte Ilii per quamplurimos Ramuſculos, qui Arcus & Areolas inſtar earum Arteriae formant, diſtribuitur.

248. Truncus poſtmodum ſupra Arteriam Meſentericam ſuperiorem excurrit, huicque Arteriae agglutinatus, e convexitate ſui Arcus plures Ramos, fere uti Arteria, hac cum differentia producit; quod Rami primitivi Venae Meſaraïcae ſaepius non in adeo magno numero immediate e magno Trunco oriantur, quodque tunc quilibet multo plures Ramuſculos producat.

249. Concavitas Arcus Meſaraïci, parumper infra originem ſecundi craſſi Rami ipſius convexitatis, Ramum qui Vena Caecalis a Riolano vocatur, ſubminiſtrat. Vena haec Coli Caput, unum e Ramis Arteriae Meſentericae ſuperioris decuſſans, petit.

250. Vena Caecalis in duos Arcus dividitur, quorum ſuperior cum Ramulo inferiore Venae Gaſtro-Colicae communicat. Alter Venae Caecalis Arcus, poſtquam Ramuſculos ſupra Inteſtinum

Caecum

Caecum & ſupra Appendicem Vermicularem miſit, inferius cum Venae Meſaraïcae magnae extremitate communicationem alit.

VENA SPLENICA.

251. Vena haec unus e tribus craſſis Ramis primariis magnae Venae Portae exiſtit, ejusque Truncus quaſi ſecundarius eſt. A latere dextro ſiniſtrorſum transverſim excurrit, dum mox infra Inteſtinum Duodenum repit, atque poſtmodum juxta longitudinem Faciei inferioris, & verſus marginem poſteriorem Pancreatis excurrit.

252. In hocce trajectu plures Venas, Venam ſcilicet Coronariam Stomachicam, Venas Pancreaticas, Venam Gaſtricam ſive Gaſtro-Epiploïcam ſiniſtram, atque Venam Epiploïcam ſiniſtram largitur. Praeter parvas has Venas ſaepiſſime adhuc Venam Haemorrhoïdalem internam, quae unus e tribus craſſis Ramis primariis magnae Venae Portae eſt, gignit.

253. Per certum tandem flexum ſerpentinum terminatur, poſt quem in plures Ramulos, qui Lienem petunt, quorumque unus parvas Venas producit, quas Veteres Vaſa Brevia appellarunt, dividitur.

254. Vena Coronaria Stomachica, ita dicta, quoniam plus minusve circum Ventriculi Orificium ſuperius excurrit, juxta longitudinem parvae curvaturae ſive Arcus Ventriculi verſus Pylorum ſeſe confert, ubi Venae Pyloricae obviam fit, & cum illa unum idemque continuum efficit. In hocce trajectu ſupra latera Ventriculi plures Ramulos ablegat, qui ibidem quamplurimas Areolas ſive

Rhombos formant, & cum Venis magnae curvaturae hujus Viſceris communicationem alunt.

255. Saepiſſime e principio Venae Splenicae oritur; aſt quandoque e latere ſiniſtro extremitatis craſſi Trunci Venae Portae Ventralis, retro Arteriam Hepaticam prodit. In ultimo caſu parvarum craſſi Trunci Venarum quam maxime notabilis exiſtit.

256. Venae Pancreaticae plures parvi Rami ſunt, quos Vena Splenica ad hoc Viſcus, juxta longitudinem faciei ipſius inferioris excurrens, mittit. Aliae etiam parvae Venae Pancreaticae ibidem conſpiciuntur, quae non a Splenica ortum ducunt, & de quibus occaſione Venae Gaſtro-Colicae, quae Ramus craſſi Trunci Meſaraïci eſt, diximus.

257. Vena Gaſtrica ſive Gaſtro-Epiploïca ſiniſtra e Splenica ad extremitatem Pancreatis ſiniſtram pullulat. Mox ſupra craſſam Ventriculi extremitatem ſeſe confert, indeque juxta longitudinem magnae ipſius curvaturae ſive Arcus, uſque ad occurſum cum Vena Gaſtrica dextra, quae non niſi unum idemque continuum cum Gaſtrica ſiniſtra conſtituit, excurrit.

258. In hocce trajectu utrique Ventriculi lateri Ramos largitur, qui ibidem per plures Ramuſculos diſtribuuntur, & cum Venae Coronariae Stomachicae Ramis, poſtquam magnum ibi Rhomborum ſive Areolarum numerum formarunt, communicant.

259. Vena haec Gaſtrica paulo poſt ſuum ortum Ramulum praebet, qui in Epiploo diſtribuitur;

tur; unde Venae Gaſtro-Epiploïcae nomen accepit. Ramulus hic cum Haemorrhoïdali interna communicare videtur.

260. Vena Epiploïca ſiniſtra etiam ex parva Pancreatis extremitate oritur, & in Epiploo ad Colon uſque in Ramuſculos dividitur, ubi cum Haemorrhoïdali interna communicationem alit. Quando deeſt, Ramulus Gaſtricae ſiniſtrae, de quo modo dixi, eidem ſupplet. Interdum ab uno e Ramulis quos Vena Splenica in Liene diſtribuit, ſcilicet a quam maxime anteriore horum Ramulorum abſcedit.

261. Vena Splenica tandem Sciſſuram Lienis attingit, ibique per plures Ramulos juxta totam hujus Sciſſurae longitudinem antrorſum atque retrorſum, fere uti Arteria Splenica intrat. A quam maxime poſteriori horum Ramulorum ad craſſam Ventriculi extremitatem duas aut tres parvas Venas, quae alias ſub nomine Vaſorum Brevium adeo cognitae fuerunt, quaeque cum Vena Coronaria Stomachica atque cum Vena Gaſtrica ſiniſtra communicant, ablegat.

VENA HAEMORRHOIDALIS INTERNA, *ſive* *MESARAICA PARVA.*

262. Vena haec unus e tribus craſſis Ramis primariis magnae Venae Portae eſt. Ordinarie ab initio Venae Splenicae, & quandoque ab extremitate ſive Angulo Furcae craſſi Trunci Venae Portae provenit.

263. Paulo poſt ſuam originem extremitati

Duodeni ſecundam Venam Duodenalem largitur, quae quandoque prima ſive iſta, quae a craſſo Venae Portae Trunco venit, notabilior exiſtit.

264. In duos poſtmodum Ramos, unum ſuperiorem ſive aſcendentem, unum inferiorem ſive deſcendentem dividitur. Primus verſus partem ſuperiorem Arcus Coli aſcendit, ubi poſt plures Ramuſculos cum magnae Venae Meſaraïcae Ramo, cum Venae Gaſtro-Epiploïcae ſiniſtrae Ramuſculis, & cum iſto Venae Epiploïcae vicinae communicat.

265. Alter Ramus, ſive inferior, juxta longitudinem portionis ſiniſtrae Coli, juxta longitudinem curvaturarum inferiorum hujus Inteſtini, tandemque juxta longitudinem Recti ad Anum uſque deſcendit. In toto hocce trajectu Meſocolo proſpicit, atque Arcus Rhombosque format, e quibus quamplurimi parvi Ramuſculi prodeunt, qui Canalem horum Inteſtinorum circumdant. Per Capillares quosdam Ramuſculos cum Vena Spermatica ſiniſtra quoque communicationem alere videtur.

266. Vena haec ob Tumores qui Haemorrhoïdes dicuntur, quique ipſius extremitatem in Ano afficiunt, Haemorrhoïdalis vocata fuit. Nomini huic vocabulum Interna additur, quo a Vena Haemorrhoïdali externa, quae Venae Hypogaſtricae ſoboles eſt, & cum qua per Ramuſculos Capillares communicat, diſtinguatur. Nomen parvae Meſaraïcae ipſi ob ſuum cum Arteria Meſenterica inferiore conſortium, quae ſuperiore quoque minor exiſtit, convenit.

EXPO-

EXPOSITIO ANATOMICA STRUCTURAE CORPORIS HUMANI.

TRACTATUS DE NERVIS.

OMnes Corporis Humani Nervi primam ſuam originem aut e Cerebro, aut e Cerebello, mediante Medulla Oblongata, aut e Medulla Spinae Dorſi ducunt. Inſtar Faſciculorum accurata ſymmetria per Paria diſpoſitorum, & inſtar totidem Truncorum ſeparatorum, qui poſtea in Ramos, Ramulos, Ramuſculos atque Fila dividuntur, inde procedunt.

2. Ii Medullae Oblongatae quoad maximam partem Baſin Cranii perforant, & in eadem diſpoſitione per Foramina hujus Baſis proportionata inde egrediuntur. Iſti Medullae Spinalis per Aperturas laterales cunctarum Vertebrarum, & per magna Foramina anteriora Oſſis Sacri procedunt.

 3. Omni-

3. Omnium horum Faſciculorum ſive Truncorum Nervorum ordinarie decem Paria Medullae Oblongatae numerantur, quorum novem Paria per Foramina peculiaria Baſis Cranii ſeparatim exeunt, atque decimum Par non niſi ex Medullae hujus extremitate, quae magnum Foramen Occipitale tranſit, egreditur.

4. Faſciculorum ſive Truncorum, qui a Medulla Spinali ſoboleſcunt, viginti quatuor Paria numerantur. In genere Nervi Vertebrales ſive Inter-Vertebrales appellari poſſunt. Septem Paria Nervorum Cervicalium; duodecim Paria Nervorum Dorſalium ſive Coſtalium, qui veri Nervi Intercoſtales exiſtunt; quinque Paria Nervorum Lumbarium, & quinque aut ſex Paria Nervorum Sacrorum dantur.

5. Antequam peculiarem omnium horum Nervorum Diviſionem, eorundemque Ramorum, Ramulorum, Ramuſculorum & Filorum viam ſpecialius deſcribam, generalem de iisdem ideam, inſtar ſpeciei Tabulae ſive Ichnographiae, ſequentem in modum ſubminiſtrare idoneum eſt.

NERVI MEDULLAE OBLONGATAE.

6. Primum Par; Nervi Olfactorii.

Secundum Par; Nervi Optici.

Tertium Par; Nervi Oculorum Motorii, Motores communes, Oculares communes, Muſculares communes, Oculo-Muſculares communes.

Quartum Par; Nervi Trochleatores, Muſculares Obliqui

Obliqui ſuperiores, Nervi Pathetici communiter dicti.

Quintum Par; Nervi Innominati, Nervi Trigemini, Truncorum Paris hujus ſecundariorum tres in quolibet latere ſunt; Nervus ſcilicet Orbitarius, Nervus Maxillaris ſuperior, Nervus Maxillaris inferior.

Sextum Par; Motorii externi, Oculares externi, Muſculares externi, Oculo-Muſculares externi.

Septimum Par; Nervi Auditorii, in quolibet latere duo, quorum unus Portio mollis Nervi Auditorii, atque alter Portio dura audit, quem ego Nervum Sympathicum Parvum voco.

Octavum Par; Parvum Vagum. Ego idem Nervum Sympathicum Medium appello.

Nonum Par; Nervi Hypogloſſi, communiter Nervi Guſtatorii, Linguales.

Decimum Par; Nervi Sub-Occipitales.

NERVI MEDULLAE SPINALIS.

7. Unum Par Nervorum Acceſſoriorum, ſive Sociorum Octavi Paris Medullae Oblongatae.

Unum Par Nervorum Intercoſtalium communiter dictorum, quosque ego Nervos Sympathicos Magnos voco.

Septem Paria Nervorum Intervertebralium Colli, ſive Nervorum Cervicalium.

Duodecim Paria Nervorum Intervertebralium Dorſi, ſive Nervorum Dorſalium, Coſtalium, Verorum Intercoſtalium.

Quinque Paria Nervorum Intervertebralium Lumborum, ſive Nervorum Lumbarium.

Quinque aut ſex Paria Nervorum Sacrorum.

Duo Nervi Diaphragmatici, quorum quilibet a Trunco ſecundi, tertii & quarti Paris Nervorum Cervicalium formatur.

Nervi Brachiales utriusque lateris, a quarto, quinto, ſexto & ſeptimo Pari Nervorum Cervicalium, & a primo Pari Nervorum Dorſalium formati.

In quolibet latere ſex Rami inde exurgunt, en eorum nomina:

Nervus Muſculo-Cutaneus.
Nervus Medianus.
Nervus Cubitalis.
Nervus Cutaneus internus.
Nervus Radialis.
Nervus Axillaris ſive Articularis.

Nervi Crurales utriusqne lateris a primo, ſecundo & tertio Pari Nervorum Lumbarium, & partim a quarto & quinto formati.

Quilibet horum Nervorum in tres Portiones dividitur, quae ſunt:

Nervus Cruralis Femoris, ſive Nervus Cruralis ſuperior.

Nervus Cruralis Tibiae, ſive Nervus Cruralis Tibiaeus.

Nervus Cruralis Pedis, ſive Nervus Cruralis Pediaeus.

Nervi Iſchiadici, quorum quilibet a Truncis duorum ultimorum Parium Nervorum Lumbarium, & a tribus aut quatuor Paribus ſequentibus Nervorum Sacrorum formatur.

Primaria

Primaria cujuslibet horum Nervorum diviſio in genere producit in ſpecie,

Nervum Iſchiadicum Cruralem.
Nervum Iſchiadicum Poplitaeum.
Nervum Iſchiadicum Tibialem.
Nervum Iſchiadicum Peronaeum.
Nervum Plantarem internum.
Nervum Plantarem externum.

8. Subdiviſiones Nervorum Innominatorum ſive Quinti Paris, atque iſtam parvi, medii & magni Nervi Sympathici ad Expoſitionem peculiarem reſervo, in qua eorundem Ramos, Ramulos, Ramuſculos, imo & Fila notatu digniſſima, uſque ad eorundem in Muſculos, Viſcera, Organa, &c. introitum proſequar, ubi in harum Partium Hiſtoria continuationem eorundem rurſus ſuſcipiam.

PRIMUM PAR NERVORUM MEDULLAE OBLONGATAE,
ſive
NERVI OLFACTORII.

9. Primum Par Nervorum Medullae Oblongatae ſive Nervi Olfactorii, qui alias etiam Productiones Mamillares dicuntur, per Fibras Medullares anterius atque exterius ex parte inferiore Eminentiarum Cerebri, quae communiter Corpora Striata appellantur, inter Lobos anteriores & medios oriuntur.

10. Antrorſum verſus Os Ethmoïdes, in quolibet

libet latere Criſtae hujus Oſſis uſque ad ipſius partem anteriorem, inſtar Funiculorum Medullarium, qui parva admodum conſiſtentia gaudent, ſe conferunt. In hocce trajectu quasdam adhuc Fibras Medullares a Lobis anterioribus Cerebri accipiunt.

11. Nervi hi ab initio graciles ſunt, & ea proportione qua procedunt craſſiores atque molliuſculi evadunt. Poſtquam ad latus Criſtae Oſſis Ethmoïdis absque ulla inter ſe communicatione pervenerunt, plura Fila producunt, quae per Foramina Laminae Cribroſae Oſſis Ethmoïdis penetrant.

12. Per Foramina deſcendentes totidem parvis duarum Laminarum Durae Matris prolongationibus, inſtar totidem Vaginarum peculiarium comitantur atque inveſtiuntur. Per quamplurima poſtmodum Fila in Membrana cunctas internas Naſi partes inveſtiente diſtribuuntur.

13. Quilibet Nervorum Olfactoriorum mediantibus Filis peculiaribus cum quibusdam Ramulis Nervi Ophthalmici ſive Orbitarii vicini, ac Nervi Maxillaris ſuperioris communicat.

SECUNDUM PAR NERVORUM MEDULLAE OBLONGATAE,

ſive

NERVI OPTICI.

14. Nervi hi originem ſuam ab Eminentiis Cerebri, Thalamis Nervorum Opticorum dictis, ducunt. Ab initio flexum quendam extrorſum inſti-

inſtituunt, & poſtmodum iterum ad ſe invicem accedunt, ſupra Sellam Sphenoïdalem Baſis Cranii aſcendendo, ubi pauxillum uniuntur, ſtatimque poſtea a ſe invicem recedunt, quo Foramina Optica, Orbitas Oculorumque Globos attingant.

15. Unio duorum Nervorum Opticorum in parte anteriore Glandulae Pituitariae contingit, admodumque ſingularis eſt, quemadmodum in Capitis ejusque partium Expoſitione peculiari videbimus.

TERTIUM PAR NERVORUM MEDULLAE OBLONGATAE,

ſive

NERVI MOTORII COMMUNES OCULORUM.

16. Duo hi Nervi immediate ante marginem anteriorem craſſae Protuberantiae Transverſalis, quae communiter Protuberantia Annularis Medullae Oblongatae dicitur, initium ſuum ſumunt.

17. Quilibet horum duorum Nervorum Duram Matrem retro partes laterales Apophyſis poſterioris Sellae Sphenoïdalis perforat. Deinde juxta longitudinem partis ſuperioris Sinuum Cavernoſorum Durae Matris, ad latus curvaturae Arteriae Carotidis excurrit, atque Rimam Orbitariam ſuperiorem ſive Rimam Sphenoïdalem petit.

18. Inde in Orbitam ſe confert, & in quatuor Ramos, unum ſuperiorem, unum internum, unum

unum inferiorem brevem, & unum inferiorem longum dividitur.

19. Ramus ſuperior ſtatim poſt Trunci hujus Nervi in Rimam Sphenoïdalem introitum ſecedit, ſeſeque in Muſculum Rectum ſuperiorem Globi Oculi, per ſuperficiem inferiorem hujus Muſculi confert.

20. Poſtquam Ramus hic ad partem mediam aut circiter mediam hujus Muſculi partem pervenit, Ramulus ex eodem pro Muſculo Elevatore Palpebrae ſuperioris aſcendit. Quando accidit, ut hic Ramulus propius Rimam Sphenoïdalem abſcedat, pro ſecundo Ramo ſuperiore Nervi Motorii haberi poſſet.

21. Tres reliqui Rami non niſi poſt parvam a ſeceſſione Rami ſuperioris diſtantiam ſecedunt. Ramus internus etiam Muſculum Rectum internum ſive Adductorem Oculi petit. Ramus brevis inferior ſtatim Muſculo inferiori ſive Depreſſori Oculi implantatur. Ramus longus inferior juxta totam longitudinem ſupra eundem Muſculum excurrit, ſeque ad Muſculum Obliquum inferiorem Oculi confert, & in hunc Muſculum prope ipſius in Globo inſertionem immergitur.

22. Praeter hos quatuor ſive quinque Ramos parvus quidam admodum brevis adeſt, qui ſaepiſſime ex initio Rami Muſculi Obliqui inferioris oritur. Parvus hic Ramus mox parvum Ganglion Lenticulare format, quod plura Fila admodum ſubtilia circum Nervum Opticum ablegat.

23. Fila Ganglii Membranam Oculi Scleroticam

cam perforant, & poſtmodum inter hancce Membranam atque Membranam Choroïdeam ad Iridem uſque repunt, ubi per Ramuſculos admodum graciles diſtribuuntur.

24. Parvum Ganglion Lenticulare alia adhuc Fila Nervea producit, quae cum Ramulo interno ſive Naſali Nervi Orbitarii communicant.

QUARTUM PAR NERVORUM MEDULLAE OBLONGATAE,
ſive
NERVI TROCHLEATORES.

25. Nervi hi longi atque graciles exiſtunt. Ex Medulla Oblongata retro Eminentias Nates initium ſuum capiunt, & ex parte laterali Expanſionis Medullaris, quae ſupra tranſitum tertii Ventriculi Cerebri in quartum eſt, oriuntur.

26. Inde quilibet eorum in latere ſuo marginem replicationis, quam Dura Mater ſupra extremitatem Apophyſis Petroſae, retro Sellam Sphenoïdalem, per portiones anteriores Tentorii Cerebelli format, petit.

27. Poſtquam quilibet eorum ad locum indicatum pervenit, marginem dictae replicationis ſupra decurſum Nervi tertii Paris, aſt poſterius magis, magisque exterius perforat. Poſtmodum in duplicatura hujus replicationis ad latus tertii Paris, juxta longitudinem partis ſuperioris Sinus Cavernoſi repit, & per Rimam Sphenoïdalem in Orbitam tranſit, ubi Muſculo Trochleatori inſeritur.

ritur. Supra reliquos Nervos Muſculosque vicinos obliquo ductu excurrit. In itinere parva Fila in utrumque latus de ſe ſpargit, & cum primo Ramo quinti Paris, id eſt, cum Nervo Ophthalmico ſive Orbitario communicationem alere videtur.

QUINTUM PAR NERVORUM MEDULLAE OBLONGATAE,
ſive
NERVI TRIGEMINI.

28. Hi Nervi admodum craſſi ſunt. Anterius e partibus lateralibus Protuberantiae transverſalis Medullae Oblongatae, per plura Fila arctiſſime ſibi invicem agglutinata, quae duos craſſos Truncos parumper complanatos, in utroque latere unum, formant, oriuntur. Quilibet horum Truncorum verſus Apicem Oſſis Petroſi vicini excurrit, Duramque Matrem immediate ante hunc apicem, pauxillum infra marginem extremitatis ſive portionis anterioris Tentorii Cerebelli perforat.

29. Poſt quosdam in apice Oſſis Petroſi, ſive in ſpecie Oſſis Seſamoïdei in hoc apice ſaepe reperiundi annexus, in Sinum Cavernoſum ejusdem lateris ſe inſinuat; & poſtquam Fila quaedam Durae Matri praebuit, mox in eodem Sinu latior fit, atque ſpeciem Ganglii complanati & irregularis, inſtar Plexus format.

30. Truncus deinde in tres craſſos Ramos plus minusve

minusve complanatos dividitur, qui Sinum Cavernoſum, ipſius Filis ſpongioſis arcte annexi, percurrunt, ſeque in ſanguine venoſo hujus Sinus lavant. Tres hi Rami lateraliter in eodem Plano fere verticali diſpoſiti ſunt, atque inſtar pedis avis a ſe invicem diſcedunt.

31. Primus Ramus ſive ſuperior, Nervus Ophthalmicus Williſii communiter vocatur. E tribus craſſitie minimus atque longiſſimus eſt, & Rimam Sphenoïdalem petit, quo Orbitam intrare poſſit; unde ego eundem Nervum Orbitarium appello.

32. Secundus Ramus ſive medius per Foramen Rotundum ſive Foramen Maxillare ſuperius Oſſis Sphenoïdis excurrit. Nervus quoque Maxillaris ſuperior audit.

33. Tertius Ramus ſive inferior per Foramen Ovale ſive Foramen Maxillare inferius ejusdem Oſſis deſcendit, atque etiam Nervus Maxillaris inferior ſalutatur. Duo Nervi Maxillares in ſua origine invicem uniti ſunt; id quod quibusdam occaſionem ſubminiſtravit, ut craſſum Truncum in duos Ramos primarios, atque alterum horum duorum in duos alios ſecundarios diviſerint.

NERVUS ORBITARIUS, NERVUS OPHTHALMICUS communiter dictus.

34. Nervus hic qui primus Ramus quinti Paris eſt, ſtatim poſt introitum ſuum per Rimam Sphenoïdalem in Orbitam, in tres Ramulos, unum

num ſuperiorem ſive Frontalem, unum internum ſive Naſalem, & unum externum ſive Lacrymalem dividitur. Nervus Orbitarius quandoque ante ſuum in Orbitam introitum dat aut recipit. Mediante uno aut duobus Filis cum Nervo ſexti Paris, & cum Nervo, qui Intercoſtalis communiter dicitur, communicat.

35. Ramulus ſuperior ſive Ramulus Frontalis Nervi Orbitarii, qui etiam Nervus Superciliaris vocari poſſet, e tribus Ramulis maxime notabilis eſt. Juxta totam longitudinem partis ſuperioris Orbitae, Membranae eandem inveſtienti agglutinatus excurrit, atque pinguedini Oculi Globum circumdanti, Membranis vicinis, imo etiam Muſculo Elevatori Palpebrae Fila quaedam praebet.

36. Deinde Foramen Superciliare tranſit, ſeſeque hinc & illinc dividit, ac in portionibus vicinis Muſculi Frontalis, Muſculi Superciliaris, Muſculi Orbicularis & Tegumentorum diſtribuitur. Cum Ramulo vicino portionis durae Nervi Auditorii communicationem alit.

37. Ramulus internus ſive Ramulus Naſalis Nervi Orbitarii ad latus Naſi ſe confert. Ex origine ſua Filum ablegat, quod cum parvo Ganglio Lenticulari, de quo ſuperius dictum eſt, communicat.

38. Filum hoc quandoque e Trunco ipſo Nervi Orbitarii ante ipſius diviſionem pullulat, atque Ramulo interno ſive Naſali uſque ad locum diviſionis Motoris communis agglutinatur, ubi ſejungitur.

39. Ra-

39. Ramulus Naſalis mox oblique ſupra Nervum Opticum, & infra duos Muſculos Elevatores vicinos, Fila quaedam proximo horum Muſculorum praebens, excurrit. Statim poſtea inter Muſculum Rectum internum ſive Adductorem Oculi atque Muſculum Trochleatorem ſive Obliquum majorem, juxta longitudinem Parietis interni Orbitae repit, & in itinere Filum in parvum Foramen Orbitarium internum mittit, de quo poſtmodum ſermo erit.

40. Ramulus Naſalis poſtea ſupra Muſculum Adductorem excurrit, atque Canthum ſive Angulum Oculi internum attingit, ubi in partibus vicinis, in Caruncula ſcilicet Lacrymali, in Sacco Lacrymali, in portionibus vicinis Muſculi Orbicularis, Muſculi Superciliaris, Muſculi Pyramidalis Naſi, & in Tegumentis diſtribuitur.

41. Parvum Filum laterale, quod in Foramen Orbitarium ablegavit, in Cranium, pauxillum ab anteriori retrorſum ad latus Oſſis Cribroſi aſcendendo, rurſus intrat, ubi verſus anteriora in duplicatura Durae Matris procedit, cum Filis Nervi Olfactorii ſupra Laminam Cribroſam Oſſis unitur, atque denuo cum hiſce Filis per Foramina quam maxime anteriora hujus Laminae ſeſe demergit, quo eorundem diſtributionem in Naſo comitetur.

42. Ramulus externus ſive Nervus Lacrymalis Nervi Orbitarii, praecipue Glandulam Lacrymalem petit, & in eadem diſtribuitur; unde eidem nomen hoc impoſitum fuit. Quandoque

ſoboles Ramuli Frontalis eſſe videtur, ſaepeque poſterius magis quam reliqui Ramuli e Nervo Orbitario oritur. Durae Matri arcte annexus eſt, & juxta longitudinem Parietis externi Orbitae ſupra Muſculum Rectum externum ſive Abductorem Oculi oblique excurrit, quo in Glandula Lacrymali diſtribuatur.

43. Antequam Glandulam attingit, parvum Ramulum ad partem lateralem externam Orbitae mittit, qui quandoque in Diploë Cranii obliteratur, & quandoque partem vicinam aut Oſſis Frontalis, aut Oſſis Malae, &c. perforat, atque portionibus vicinis Muſculi Crotaphitis, Muſculi Orbicularis Palpebrarum, Maſſeteris &c. atque Tegumentorum Fila ſubminiſtrat. Pinguedini quoque atque Membranae conjunctivae Oculi Fila largitur.

NERVUS MAXILLARIS SUPERIOR.

44. Nervus hic, qui ſecundum Ramum quinti Paris Medullae Oblongatae conſtituit, e Cranio inter Rimam Sphenoïdalem & Foramen ovale ejusdem Oſſis Sphenoïdis egreditur, & Foramen Rotundum ſive Foramen Maxillare ſuperius hujus Oſſis tranſit.

45. Mox poſt ſuum tranſitum ſupra latus externum Orbitae Filum ablegat, quod Os Malae perforat, in partibus vicinis idem contegentibus diſtribuitur, imo etiam cum Ramulo vicino portionis durae Nervi Auditorii communicationem alit. Parva quoque Fila Pinguedini inferiori Orbitae, &c. praebet.

46. Sta-

46. Statim deinde in tres Ramulos dividitur, quorum primum Infra-Orbitarium, ſecundum Palatinum, & tertium Spheno-Palatinum appello. Hic ultimus quandoque non niſi Ramulus primi eſt, id quod generalem diviſionem in tres minime impedit.

47. Ramulus Infra-Orbitarius e tribus primarius eſt. In Canalem portionis inferioris Orbitae, juxta totam hujus Canalis longitudinem repit, & per Foramen Orbitarium exterius, ſive Foramen Infra-Orbitarium, quod quandoque duplex eſt, egreditur.

48. In hocce trajectu per Foramina Canalis parva Fila deorſum ablegat, quae in Sinum Maxillarem penetrant, ibique in Membrana Pituitaria eundem inveſtiente, in ipſo Oſſis Texto, in Alveolis, in Dentibus Molaribus anterioribus, in Dentibus Caninis, & in Dentibus Inciſivis ejusdem lateris diſtribuuntur.

49. In introitu in Canalem quandoque Filum Dentibus Molaribus poſterioribus largitur. Inter parva haec Fila ad minimum unum adeſt, quod juxta longitudinem Faciei ſuperioris Fornicis Palati uſque verſus unionem duorum Oſſium Maxillarium repit.

50. Poſtquam Ramulus e Canali Oſſeo per Foramen Infra-Orbitarium anterius egreſſus eſt, in Muſculo Orbiculari Palpebrarum, in Muſculis vicinis Naſi atque Labiorúm, ac in Tegumentis diſtribuitur; & cum Ramulo portionis durae Nervi Auditorii communicat.

51. Ramulus Palatinus Nervi Maxillaris ſuperioris ante Apophyſes Pterygoïdeas Oſſis Sphenoïdis in Canali ab Oſſe Maxillari & Oſſe Palati formato deſcendit. Ex hocce Canali per Foramen Palatinum poſterius egreditur, & per plura Fila in Tunica Palati Glanduloſa, in ipſius Septo, & in Muſculis Septi diſtribuitur. Ultima horum Filorum ad Foramen Palatinum anterius, ſive Foramen Inciſivum uſque excurrunt.

52. In Canali deſcendens ab initio parumper incurvatur, poſtmodum Fila ad Muſculum Pterygoïdeum externum, ad Muſculos Periſtaphylinos, ad Fornicem Pharyngis ablegat. Alia adhuc de ſe ſpargit, quae per parva Foramina partis poſterioris ſive Tuberoſitatis Oſſis Maxillaris in Sinum Maxillarem & ad Dentes Molares poſteriores ſe conferunt.

53. Ramulus Spheno-Palatinus Nervi Maxillaris ſuperioris per Foramen Oſſeum ejusdem nominis excurrit, & in Muſculo Pterygoïdeo interno, in partibus poſterioribus Narium, in Sinu Sphenoïdali vicino, & in Tuba Euſtachii diſtribuitur.

54. Per Foramen quoque Pterygoïdeum Filum ablegat, quod Radicem Apophyſis Pterygoïdeae a poſteriori antrorſum perforat, atque Nervo Maxillari inferiori obviam fit.

NERVUS MAXILLARIS INFERIOR.

55. Nervus Maxillaris inferior, qui tertius Ramus quinti Paris eſt, mox duobus reliquis Ramis

mis craſſior exiſtit. E Cranio per Foramen Ovale Oſſis Sphenoïdis egreditur, & inter duos Muſculos Pterygoïdeos infra magnam Inciſuram Maxillae inferioris deſcendit, ut Canalem Oſſeum hujus Maxillae intret.

56. Immediate poſt ſuum e Cranio exitum quatuor Ramulos primarios generat,& ante ſuum inCanalem Maxillae introitum alium ad Linguam mittit. Quatuor priores Ramuli proxime ſe ſequuntur, ita ut Truncus hujus Nervi deſcendendo inter duos Muſculos Pterygoïdeos craſſitiem ſuam ſtatim amittat.

57. Primus Ramulus craſſi Trunci Nervi Maxillaris inferioris verſus Muſculum Crotaphitem aſcendit, & ſupra Faciem internam hujus Muſculi, ſeſe inter ipſius Fibras inſinuando, diſtribuitur.

58. Secundus Ramulus Trunci retro Condylum Maxillae inferioris ſe confert, ubi in duo Fila dividitur, quae ab interiori extrorſum excurrunt, & cum Ramulo vicino portionis durae Nervi Auditorii, retro latus externum Condyli communicationem alunt.

59. In origine horum duorum Filorum parvum Ramulum ablegat, qui ante Aurem externam verſus Tempora aſcendit, & in tranſitu partibus vicinis Conchae Auris Fila largitur.

60. Tertius Ramulus ejusdem Trunci inter duas Apophyſes Maxillae inferioris excurrit, & partem inferiorem Muſculi Crotaphitis perforat, eique in tranſitu Fila praebet.

61. Statim poſtea ſupra Muſculum Maſſete-

rem, in quo praecipue diſtribuitur, deorſum incurvatur, & Tegumentis vicinis Fila ſubminiſtrat, atque cum portione dura Nervi Auditorii ad latus Oſſis Malae communicat. In Fila deſinit, quae ad Muſculum Buccinatorem, ad Muſculos Labii inferioris, & ad Tegumenta vicina ſe conferunt.

62. Quartus Ramulus craſſi Trunci Nervi Maxillaris inferioris, ſaepius non niſi Furca Ramuli praecedentis prope ipſius originem exiſtit. Supra Muſculum Pterygoïdeum externum excurrit, cui Fila in tranſitu praebet, & in Muſculo Pterygoïdeo interno, ac in portione vicina Muſculi Crotaphitis diſtribuitur.

63. Muſculo quoque Buccinatori, Glandulis Buccalibus & Muſculis vicinis Labiorum proſpicit. Quandoque Filum adhuc ab eodem abſcedit, quod ſupra Concham Auris externae aſcendit.

64. Praeter quatuor hos craſſi Trunci Ramulos, alia adhuc parva Fila in utroque latere ex eodem pullulant, quorum unum in ſpecie Foramen Pterygoïdeum petit, ubi cum Filo Nervi Maxillaris ſuperioris conjungitur, atque iter ſuum continuat, quo ſe ad Membranam Os Vomeris parteſque vicinas Narium internarum contegentem conferat.

65. Ramulus qui Linguam attingit, quique parvus Nervus Lingualis ſive parvus Nervus Hypogloſſus ad diſtinctionem magni, ſive iſtius noni paris, vocari poteſt, a Nervo Maxillari inferiori in Nervi hujus inter duos Muſculos Pterygoïdeos tranſitu, & quandoque pauxillum ante ſejungitur.

66. Ad-

66. Admodum notabilis exiſtit, & quandoque ad craſſitiem Trunci accedit, quem inter duos Muſculos indicatos uſque paulum ſupra Canalem Maxillae inferioris comitatur, ubi Truncum relinquit, & ſupra Muſculum Pterygoïdeum internum, cui unum aut duo Fila ſubminiſtrat, procedit.

67. Ramulus hic Lingualis pauxillum poſt ſuam originem cum Trunco mediante Ramulo collaterali admodum brevi, & quandoque plexiformi communicat. In eodem loco Filo peculiari inſtructus eſt, quod ſecundum communem ſententiam ex eodem oritur, atque ſtatim Aurem internam petit.

68. Filum hoc Ramuli Lingualis peculiare ab Anatomicis tanquam Nervus Recurrens conſideratur, qui retrorſum iterum aſcendit, & poſtquam Capſam Tympani Auris transgreſſus eſt, cum portione dura Nervi Auditorii unitur. Aſt quoniam Angulus, quem cum parvo Nervo Linguali facit, admodum acutus eſt, & antrorſum vergit, e contrario ab Aure potius deſcendere videtur, quo cum parvo Nervo Linguali uniatur, quemadmodum fuſius in Hiſtoria Auris videbimus.

69. Ramulus Lingualis deinde infra partem lateralem Linguae & ſupra Glandulam Sublingualem excurrit, & portionibus vicinis Muſculorum Linguae iſtisque Muſculorum Hyoïdeorum & Muſculorum Pharyngeorum Fila largitur.

70. Poſtea in Linguam ſe inſinuat, & verſus ipſius apicem terminatur, poſtquam mediantibus pluribus Filis cum extremitatibus Nervi noni

Paris ſive magni Nervi Lingualis communicavit.

71. Nervus Maxillaris inferior denique, antequam in Canalem Maxillae intrat, Fila ad portiones vicinas Muſculi Pterygoïdei interni, Muſculi Digaſtrici &c. ablegat. Unum aut duo Fila adhuc juxta longitudinem Perioſtii mittit, quae in Muſculo Mylo-Hyoïdeo & in Glandula Sublinguali diſtribuuntur. In origine horum Filorum eorundem veſtigia ſaepe in ipſo Oſſe conſpiciuntur, & quandoque per parvum Canalem Oſſeum integrum, aſt admodum ſubtilem, & qui in Facie interna Oſſis ſuperficialis excavatus eſt, excurrunt.

72. Poſtquam Nervus Maxillaris in Canalem Maxillae intravit, ibi juxta totam ipſius longitudinem ſub Alveolis excurrit, cunctisque Dentibus ad Foramen Mentale uſque Fila ſubminiſtrat, ubi adhuc parvum Ramulum antrorſum in Diploën ablegat, qui in Dentibus ſequentibus ad Symphyſin Menti uſque diſtribuitur.

NERVI MOTORII EXTERNI.

73. Nervi hi, qui ſextum Par Capitis conſtituunt, graciles, iſtis tamen quarti paulo craſſiores exiſtunt. Ab unione Medullae Oblongatae inter craſſam Protuberantiam Transverſalem atque Eminentias Olivares oriuntur. Inde progrediuntur, ſeſeque in Duram Matrem ſupra extremitatem Prolongationis Oſſis Occipitalis, retro Symphyſin hujus Oſſis cum Oſſe Sphenoïde, pauxillum lateraliter inſinuant.

74. Qui-

74. Quilibet horum duorum Nervorum deinde in duplicatura cavernoſa Durae Matris, ad latus fundi Sellae Sphenoïdalis & ad latus Arteriae Carotidis, cui arcte adhaeret, repit; ibique cum Nervo vicino quinti Paris mediante uno aut duobus Filis admodum brevibus, quemadmodum occaſione Nervi Orbitarii diximus, communicationem alit.

75. Immediate poſtea & retro hancce communicationem Nervus Motorius externus inferius Filo Nerveo inſtructus eſt, quod ſtatim ab anteriori retrorſum, inſtar Ramuli Recurrentis ab illo procedere videtur, ſeſeque mox in magnum Canalem Oſſeum Apophyſis Petroſae Oſſis Temporum, ad latus Arteriae Carotidis internae immergit.

76. Filum hoc Nerveum, quod quandoque duplex exiſtit, communiter pro Radice ſive origine celebris iſtius Nervi, qui Nervus Intercoſtalis vocatus fuit, quemque ego Nervum Sympathicum magnum appello, habetur. Sed quoniam cum Nervo ſexti Paris Angulum acutum in ſenſum contrarium efficit, cum Arteria Carotide potius aſcendere, atque Nervo ſexti Paris aſſociari, quam ab eodem diſcedere videtur. Illius continuationem in Expoſitione peculiari magni Nervi Sympathici proſequar.

77. Nervus ſexti Paris, quem antequam Durae Matri ſe committit, re ipſa duplicem ſive in duos fiſſum vidi, poſtmodum per Rimam Sphenoïdalem ſive Rimam Orbitariam ſuperiorem excurrit, & in Muſculo Abductore ſive Muſculo externo Globi Oculi diſtribuitur.

NERVI AUDITORII.

78. Nervi ſeptimi Paris, Nervi Auditorii vocati, e parte laterali & poſteriori craſſae Protuberantiae Transverſalis Medullae Oblongatae oriuntur. Quilibet horum Nervorum duplex aut in duos Funiculos admodum arcte ſe invicem comitantes, diviſus eſt, atque invicem Foramen Auditorium internum Apophyſis Petroſae petunt.

79. Unus horum Funiculorum gracilis, firmus atque anterior eſt, qui Portio Dura Nervi Auditorii vocatur; alter minus firmus & poſterior exiſtit, qui Portio Mollis Nervi Auditorii ſalutatur.

80. Portio Mollis in magna Foſſula Foraminis Auditorii interni terminatur, ſeſeque in plura alia parva Foramina inſinuat, quo in Organo Auditus diſtribuatur. Huic Portioni nomen Nervi Auditorii proprie convenit. Specialiora illius ad Deſcriptionem peculiarem Organi Auditus differo.

81. Portio Dura per parvam Foſſulam Foraminis Auditorii interni in Ductu Tortuoſo Apophyſis Petroſae excurrit, atque per Foramen Stilo-Maſtoïdeum ex eodem egreditur, ut in Facie atque in partibus vicinis diſtribuatur. Per Ductum Tortuoſum ſive Aquaeductum Fallopii excurrens Duram Matrem per parvam aperturam Faciei ſuperioris Apophyſis Petroſae attingit, & Filis quinti Paris obviam fit.

82. In eadem via quoque Muſculo Stapiae Filum praebet; & in ipſo exitu aliud Filum dat aut recipit, quod Tympani Capſam tranſit & cum Ramulo Linguali Nervi Maxillaris inferioris unitur,

tur, quemadmodum in Auris Hiſtoria ſpecialius videbimus.

83. Huic Portioni Nervi Auditorii nomen Parvi Nervi Sympathici impono, ipſiusque Deſcriptionem ſub eodem Titulo ſeorſim tradam.

NERVI SYMPATHICI PARVI,
ſive
PORTIO DURA NERVORUM AUDITORIORUM.

84. Poſtquam Truncus cujuslibet horum duorum Nervorum Ductum Petroſum Fallopii emenſus eſt, & cum Dura Matre, &c. uti ſupra dictum fuit, communicavit, in diſtantia circiter duarum linearum a ſuo exitu per Foramen Stilo-Maſtoïdeum mox duos Ramulos peculiares, unum ſurſum & alterum deorſum ablegat.

85. Ramulus Trunci ſuperior aſcendit & in Aure externa, praecipue in ipſius partibus poſterioribus diſtribuitur. In trajectu ſuo retro Aurem cum Ramulo ſecundi Paris Cervicalis, & anterius cum Ramulo Nervi Maxillaris inferioris communicationem alit.

86. Inferior Trunci Ramulus ſupra tres Muſculos Stiloïdeos, ſupra Muſculum Digaſtricum, & in extremitate ſuperiore Muſculi Sterno-Maſtoïdei diſtribuitur, unde quandoque uſque verſus ipſius partem mediam expanditur. Loco horum duorum Ramulorum ſolitariorum quandoque e Trunco ipſo plures parvi Ramuſculi procedunt.

87. Trun-

87. Truncus deinde Portionis Durae antrorſum procedit, & Glandulam Parotidem tranſit, cui plura Fila ſubminiſtrat. Quaedam horum Filorum ab exteriori introrſum ſe conferunt, atque unum e Ramis Arteriae Carotidis externae, inprimis iſtum qui retro Aurem excurrit, amplectuntur. Raro Truncus ipſe finditur, ut Arteriae tranſitum concedat.

88. Poſtquam Truncus hic Glandulam Parotidem uſque retro Angulum Maxillae inferioris tranſiit, in duos craſſos Ramos, quorum unus ſuperior, alter inferior eſt, dividitur.

89. Craſſus Ramus ſuperior Portionis Durae e duobus robuſtiſſimus eſt. Ab inferiori pauxillum ſurſum excurrit, & poſtquam viam tres quatuorve lineas circiter aequantem emenſus eſt, praecipue in ſeptem aut octo Ramulos dividitur.

90. Hi Ramuli Nervei ſuperficiales Radiorum irregularium inſtar ſupra omnes partes Faciei laterales a parte capillata uſque ad regionem cum Labio inferiore parallelam, inter Aurem atque Naſum expanduntur, ibique innumeros Nervos Cutaneos diſtribuunt.

91. In quibusdam Subjectis Ramuli hi eo in loco, ubi primum a ſe invicem ſecedunt, ſpeciem Plexus formant, qui Pedi Anſerino ſimilis eſt.

92. Primus, ſecundus atque tertius horum Ramulorum in parte anteriore Auris ſupra Partes laterales Capitis, ſupra Muſculum Temporalem ſive Crotaphitem, Muſculum Frontalem partesque vicinas diſtribuuntur.

93. Unus

93. Unus horum primorum Ramulorum, quandoque ipſe craſſus Ramus ſuperior retro Condylum Maxillae, immediate ante Truncum Venae Temporalis, duo aut tria Fila communicationis cum Nervo Maxillari inferiore introrſum mittit.

94. Quartus Ramulus Foramen Superciliare ſive Foramen Super-Orbitarium petit, & in decurſu parti laterali externae, atque parti ſuperiori Muſculi Orbicularis Palpebrarum plura Fila largitur. Deinde cum Nervo Orbitario, qui per Foramen Superciliare egreditur, communicationem alit.

95. Quintus Ramulus per parva Fila ſupra partem lateralem Malae diſtribuitur, & ex parte in quibusdam parvis Foraminibus, quae in Baſi ſive Radice Zygomatis inveniuntur, obliteratur. Ramulus hic etiam Fila quaedam parti inferiori externae Muſculi Orbicularis Palpebrarum ſubminiſtrat.

96. Sextus atque ſeptimus Ramulus cum octavo, quando ibi adeſt, in tota Mala ad Naſum uſque diſtribuuntur.

97. Unus ex his ultimis Ramulis infra aut retro Muſculum Zygomaticum, eidem parva Fila praebens, excurrit. Poſtmodum partem mediam inferiorem Muſculi Orbicularis Palpebrarum perforat, cui parti quoque Fila largitur, & Foramen Orbitarium inferius petit, quod in Oſſe Maxillari eſt, ubi cum Nervo Maxillari ſuperiori communicat.

98. Omnium

98. Omnium horum Ramulorum ultimus mediantibus quibusdam Filis cum Ramulo vicino craſſi Rami inferioris Portionis Durae communicationem alit.

99. Craſſus Ramus inferior Portionis Durae, qui ſuperiori craſſitie cedit, infra Angulum Maxillae inferioris ſe confert, & in plures Ramulos diviſus in cunctis partibus lateralibus inferioribus Faciei & in cunctis partibus vicinis Juguli diſtribuitur, ibique praecipue per magnum numerum Filorum Cutaneorum finitur.

100. Superiores horum Ramulorum craſſi Rami inferioris Portionis Durae ſupra Muſculum Maſſeterem aſcendunt, ad partem inferiorem Muſculi Zygomatici ſe conferunt, Muſculum Buccinatorem reliquosque Muſculos vicinos Labiorum attingunt.

101. Unus e Ramulis ſuperioribus Rami inferioris Trunci, cum uno e Ramulis inferioribus Rami ſuperioris, quemadmodum ſupra indicatum eſt, communicationem alit; & mediante hacce communicatione aliquo modo cum Ramulo Infra-Orbitario Nervi Maxillaris ſuperioris, id eſt, cum Ramulo, qui per Foramen Infra-Orbitarium egreditur, communicat.

102. Maximus omnium horum Ramulorum juxta totam longitudinem Baſis Maxillae inferioris verſus anteriora excurrit, in decurſu Fila ſupra Muſculum Cutaneum, & ſupra Muſculos Labii inferioris mittit, eosdem prope Foramen Mentale perforat, ibique cum Ramulis Nervi Maxillaris inferioris communicationem alit.

103.

103. Ramuli inferiores infra Maxillam inferiorem ſe conferunt, Glandulae Sub-Maxillari Fila praebent, & in Jugulo ſupra Muſculum Cutaneum, Venam Jugularem externam decuſſantes, diſtribuuntur. Unus eorundem, & quandoque plures verſus partem mediam Muſculi Maſtoïdei deſcendere, & in hoc loco cum Ramulo ſecundi Paris Vertebralium communicare conſpiciuntur.

NERVI SYMPATHICI MEDII.

104. Nervi octavi Paris Cerebri, a Veteribus Par Vagum dicti, quosque ego Nervos Sympathicos medios vocari poſſe credidi, e parte poſteriore Medullae Oblongatae, e craſſa Protuberantia Transverſali, & e parte anteriore Eminentiarum Olivarium, per plura Fila ſeparata oriuntur, quae inſtar Faſciculorum invicem colliguntur, ſicque partem anteriorem Foraminis Laceri Baſis Cranii petunt, ubi Faſciculus Duram Matrem immediate ante extremitatem magni Sinus lateralis perforat.

105. Tranſitus hic a tranſitu Sinus per parvum Septum Membranaceum Durae Matris, & per parvos Proceſſus Oſſeos Foraminis Laceri, de quibus in Tractatu de Oſſibus Siccis dictum fuit, diſtinguitur.

106. Craſſus Faſciculus Duram Matrem non mediante ſimplici apertura inſtar ſimplicis Funiculi transgreditur; quaedam enim Filorum anteriorum parvam quaſi portionem peculiarem a craſſa portione per Septum Membranaceum admodum tenue diſtinctam formant.

107.

107. Quodſi Fila craſſam Portionem componentia probe examinantur, Duram Matrem adhuc plus minusve ſeparatim per parva Foramina ſive Poros ſibi invicem admodum vicinos perforare videntur.

108. Quamvis duae hae Portiones ſeparatim exeant, pro Trunco tamen communi habentur, & parva Portio inſtar Rami peculiaris craſſae conſideratur. Craſſa Portio quae e duabus poſterior eſt, pro vero Trunco octavi Paris venditatur.

109. Truncus in ipſo per Duram Matrem exitu, poſterius parvum Funiculum Nerveum accipit, qui ad latus Canalis Spinae aſcendit, & per Foramen magnum Occipitale, ſupra Duram Matrem ad tranſitum uſque craſſi Funiculi rependo, excurrit. Parvus hic Funiculus Nervus Acceſſorius octavi Paris, ſive Nervus Spinalis vocatur.

110. In tranſitu per Duram Matrem & per Foramen Lacerum Baſis Cranii, duae Portiones arcte ſibi invicem agglutinantur, & utrinque mediantibus Filis, quae parvam Portionem parumper craſſiorem reddunt, communicant. In eodem trajectu craſſa Portio quoque cum Nervo Acceſſorio ſive Spinali, qui eidem valde adhaeret, communicationem alit.

111 Parva Portio ſive Portio anterior, poſt exitum e Cranio ſtatim a craſſa Portione diſcedit, acſi Ramum ejusdem peculiarem conſtitueret, id quod eundem primum Ramum octavi Paris appellare anſam dedit.

112. Inſtar Arcus incurvatur, moxque interius

rius ad latus Muſculi Digaſtrici excurrit, Muſculisque Genio-Hyoïdeis, Muſculis vicinis Baſis Linguae, iſtisque Pharyngis proſpicit.

113. Eadem haec Portio ſive primus Ramus in diſtantia circiter duorum digitorum transverſorum poſt ſuum exitum, Ramulum poſterius ablegat, qui inſtar ſpeciei Arcus inverſi retrorſum incurvatur. E convexitate hujus Arcus ſive curvaturae ad minimum tria Fila procedunt. Primum, quod quandoque duplex eſt, cum ipſo octavi Paris Trunco, ad latus Ganglii Nervi Intercoſtalis ſive Nervi Sympathici magni communicat. Secundus cum Nervo Acceſſorio ſive Spinali unitur; tertius ad Pharyngem ſe confert.

114. Parva Portio ſive primus Ramus deinde Linguam, uti dictum eſt, petit, ibique cum extremitatibus parvi Nervi Hypogloſſi ſive Ramuli Lingualis Nervi Maxillaris inferioris, & cum extremitatibus magni Nervi Hypogloſſi ſive noni Paris communicationem alit.

115. Poſtea craſſus Truncus octavi Paris ſive Nervi Sympathici medii uno in latere primo Ganglio magni Nervi Sympathici ſive Intercoſtalis vulgaris, & in altero latere nono Pari ſive magno Hypogloſſo agglutinatus, atque poſtquam Fila communicationis largitus eſt, pauxillum infra primum Ramum ſive parvam Portionem alium Ramum minorem ablegat, qui per plura Fila ad Pharyngem ſe confert.

116. Pauxillum infra, aut ad latus unionis cum nono Pari, Truncus octavi ſpeciem Ganglii format, & tertium Ramum emittit, qui

ante Arteriam Carotidem internam excurrit, atque Laryngem, ipſius Muſculos, Glandulam Thyroïdeam atque Muſculos Hyoïdeos petit.

117. Tertius hic Ramus inter Cornu Oſſis Hyoïdis atque Alam Cartilaginis Thyroïdeae excurrit, inter Cartilaginem Thyroïdeam & Cartilaginem Cricoïdeam ſe inſinuat, & cum extremitatibus Nervi, qui Recurrens dicitur, de quo poſtmodum ſermo erit, communicat.

118. Craſſus Truncus deinde ante primum Ganglion magni Nervi Sympathici ſive Nervi Intercoſtalis juxta longitudinem Muſculorum Vertebralium anteriorum Colli, ad latus Arteriae Carotidis & retro Venam Jugularem internam a Nervo Intercoſtali ad ultimam uſque Colli Vertebram admodum arcte comitatus deſcendit.

119. In toto hocce trajectu Truncus cum Arteria Carotide interna, Vena Jugulari interna & cum magno Nervo Sympathico, in ſpecie quaſi Vaginae Celluloſae, Filatae & quaſi Membranoſae includitur. In tranſitu parvos Ramulos partibus vicinis, Pharyngi, Oeſophago, imo etiam Arteriae Carotidi, & Venae Jugulari ſubminiſtrat. Unus horum parvorum Ramulorum in deſcenſu cum parvo Ramulo ſecundi Paris Cervicalis conjungitur, & in Glandula Thyroïdea diſtribuitur.

120. Poſtquam Truncus e regione circiter Laryngis atque Glandulae Thyroïdeae pervenit, Ramulum ablegat, qui ante Arteriam Carotidem internam deſcendendo excurrit, & cum Filo ſecundi Ganglii Nervi Intercoſtalis unitur, quo Plexum Pulmonalem attingat.

121.

121. Poſtea ambo Trunci octavi Paris ſive Nervi Sympathici medii Pectus ante Arteriarum Subclaviarum originem, easdem decuſſando, ingrediuntur, atque retro Pulmones repunt, quo ſeſe ad Oeſophagum conferant. Hic locorum differentia quaedam inter diſtributionem utriusque Trunci intercedit, qui alias in ipſorum diviſione ſibi hic admodum ſimiles exiſtunt.

122. Truncus lateris dextri, ante Arteriam Subclaviam excurrens, Ramum notabilem producit, qui ſeſe retrorſum infra hancce Arteriam inſtar ſpeciei Faſciae ſive Anſae vertit, atque juxta longitudinem & ad latus Aſperae Arteriae, eidem atque Oeſophago ad partem poſteriorem Laryngis usque Fila praebens, iterum aſcendit. Ramus hic Nervus Recurrens vocatur.

123. Poſtquam Nervus hicce Recurrens ad Laryngem pervenit, in ipſius Muſculis, in Pharynge & in Glandula Thyroïdea Ramulos diſtribuit. Deinde retro Cornua Cartilaginis Thyroïdeae ſe inſinuat, ubi extremitati tertii Rami ipſius Trunci octavi Paris occurrit, ibique cum eodem, quemadmodum ſuperius indicatum eſt, communicationem alit.

124. Poſtquam Truncus lateris dextri Recurrentem dextrum largitus eſt, ad latus Arteriae Aſperae deſcendit, ſeſeque retro originem Pulmonis vicini confert, quo Oeſophago agglutinetur. In hocce ad Nervum Recurrentem uſque trajectu plures Ramos ſubminiſtrat.

125. Superiores ex his Ramis ante extremita-

tem inferiorem Aſperae Arteriae & ante Bronchia excurrunt, omnesque ante Furcam Aſperae Arteriae cum Filis Nervi Intercoſtalis ſive Sympathici magni ejusdem lateris, & deinde cum ſimilibus Ramuſculis alterius lateris uniuntur. Rami ſequentes quos Truncus retro Bronchia atque Pulmonem deſcendendo emittit, ſibi invicem occurrunt, atque itidem cum Nervi Sympathici magni Filis uniuntur.

126. Poſtquam Truncus ſiniſter octavi Paris in Pectus deſcendit, ibidem fere inſtar illius lateris dextri in Ramuſculos hac cum differentia dividitur, quod Nervus Recurrens ſiniſter inferius magis quam iſte lateris dextri ab eodem abſcedat; infra magnum enim Arcum ſive Curvaturam Aortae excurrit, retro Canalem ſive Ligamentum Arterioſum repit, & poſtmodum ad latus & juxta longitudinem Arteriae Aſperae ad Laryngem uſque, fere uti iſte alterius lateris, iterum aſcendit.

127. Differentia haec Productionis duorum Recurrentium etiam in cauſa eſt, ut Truncus ſiniſter minus directe quam Truncus dexter deſcendat. Praeterea Recurrens ſiniſter partem Ramorum, qui Ramis ſuperioribus ipſius Trunci lateris dextri reſpondent, producit.

128. Immediate poſt originem Recurrentis ſiniſtri, Truncus hujus lateris Ramulum deorſum mittit, qui ex parte ad Plexum Pulmonalem, & ex parte ad Oeſophagum atque Aortam ſe confert.

129. Hi Ramuſculi reciproci utriusque Trunci octavi Paris, ſive Trunci Sympathici medii, eorundem

rundem mutuus occurſus, eorundemque cum Filis Nervi Intercoſtalis ſive Sympathici magni communicatio, de qua mox ſermo inſtituetur, Contextus peculiares, qui Plexus vocantur, formant. Hic locorum duo praecipui, unus Plexus Cardiacus, atque alter Plexus Pulmonalis dictus, occurrunt.

130. Plexus Cardiacus ſupra Pulmones & ante Bronchia formatur. Quamplurima Fila producit, quorum quaedam Pericardium petunt, & quaedam idem circum magna Vaſa transgrediuntur, quo in Corde diſtribuantur.

131. Plexus Pulmonalis e Ramuſculis ſequentibus, quos duo Trunci retro Pulmones deſcendendo ablegant, componitur. Fila quae inde pullulant, ex parte ſupra, quoad maximam vero partem infra initia Bronchiorum expanduntur, ipſorumque iter per totum Pulmonem ſeſe diſtribuendo ſequuntur.

132. Praeter hos Plexus Trunci in tranſitu partibus vicinis, quales Mediaſtinum poſterius, Oeſophagus atque Aorta ſunt, Ramulos ſubminiſtrant; omnesque hi Ramuſculi Truncorum craſſitiem pedetentim imminuunt.

133. Poſt hoſce Plexus ambo octavi Paris Trunci modo admodum peculiari mutantur. Truncus lateris dextri ea proportione qua deſcendit, ſenſim ſenſimque retrocedit, & Truncus ſiniſter eodem modo anteriora verſus procedit.

134. In hocce trajectu duo Trunci anterius atque poſterius ſupra Oeſophagum plura Fila de

ſe ſpargunt, quae per intervalla invicem, nonſolum Fila cujuslibet Trunci inter ſe, ſed etiam Fila unius Trunci cum paribus alterius Trunci Filis redadunantur. Fila poſteriora Trunci ſiniſtri quandoque anterioribus Trunci dextri Filis notabiliora exiſtunt.

135. Reiteratae hae diviſiones & redadunationes, quae ſpeciem Plexus repraeſentant, in cauſa ſunt, ut Trunci primitivi in duos Funiculos peculiares, ut ita dicam, degenerent, quorum unus anterior & alter poſterior eſt, quibusque Nervorum Stomachicorum nomen imponitur.

136. Nervus Stomachicus poſterior originem ſuam praecipue a Trunco primitivo lateris dextri, & Nervus Stomachicus anterior ſuam a Trunco ſiniſtro ducit; ſaepius quoque Funiculus poſterior, ob hancce differentiam quae inter Fila utrumque Funiculum componentia intercedit, anteriore multo robuſtior reperitur.

137. Duo Funiculi, ſive Nervi Stomachici cum extremitate Oeſophagi per aperturam Muſculi minoris Diaphragmatis excurrunt, & ſuper Ventriculo diſtribuuntur. Funiculus anterior ſupra Faciem ſuperiorem, quae communiter anterior dicitur, & Funiculus poſterior ſupra Faciem inferiorem, quae vulgariter poſterior appellatur, expanditur.

138. Ramuſculi utriusque Funiculi ſibi occurrunt, invicem contexuntur, pluribusque in locis praecipue circum Orificium ſuperius Ventriculi, & juxta longitudinem parvae ipſius curvaturae

vaturae ad Pylorum uſque invicem uniuntur, unde ſpecies Texti, quod Plexus Coronarius Stomachicus ſalutatur, exurgit.

139. Plexus Coronarius ita formatus duos parvos Funiculos peculiares ex ſua origine producit, quorum unus praecipue a craſſo Funiculo Stomachico anteriore, alterque a Funiculo poſteriore prodire videtur. Duo parvi Funiculi peculiares verſus Truncum Arteriae Hepaticae uniuntur; & poſtquam eandem parumper comitarunt, Furcam per duos Ramos admodum breves efficiunt.

140. Duo hi Rami mox, immediate ſupra Funiculum transverſum, qui communicationem Gangliorum Semilunarium utriusque magni Nervi Sympathici efficit, dextrorſum & ſiniſtrorſum excurrunt, atque cum hocce Funiculo Transverſo in modum trianguli ſeſe uniendo finiuntur.

141. Hunc in modum octavum Par ſive Nervus Sympathicus medius utriusque lateris, cum magnis Nervis Sympathicis ad originem plurium Plexuum Abdominis, qui praecipue huic ultimo Nervo attribuuntur, ſymbolam conferendo terminatur. Tales ſunt Plexus Hepaticus, Plexus Splenicus, Plexus Meſenterici, imo etiam Plexus Renales.

142. Exinde quoque perſpicitur, quod haec duo magna Paria Nervorum commercium continuum in cunctis Abdominis Viſceribus, uti etiam in Pectore habeant, quemadmodum in ſequentibus fuſius videbimus.

NERVI ACCESSORII OCTAVI PARIS.

143. Hi Nervi per plura Fila e duobus lateribus Medullae Spinalis Colli, quandoque ſuperius magis, quandoque magis inferius oriuntur. Quilibet inter Plana Nervea, quae lateraliter e Medulla Spinae ad Nervos Vertebrales formandos egrediuntur, aſcendit; & ea proportione qua aſcendunt, per Fila quae a Planis Nerveis poſterioribus accipiunt, craſſiores evadunt.

144. Poſtquam quilibet duorum horum Nervorum Acceſſoriorum ſupra primam Vertebram aſcendit, retro Ganglium Nervi Sub-Occipitalis, ſive Nervi decimi Paris annectitur; & poſtquam ſupra huncce Annexum duo Fila a Portione poſteriore Medullae recepit, mox inde ſeparatur, quo iter ſuum verſus ſuperiora continuet. Duo haec Fila absque communicatione cum Ganglio, & cum Plano anteriore inveni; ita ut potius ad Nervum Acceſſorium quam ad Nervum Sub-Occipitalem pertinere videantur.

145. In Cranium per magnum Foramen Occipitale intrant, & poſtquam cum origine Nervorum Sub-Occipitalium ſive decimi Paris, & cum iſta magnorum Nervorum Hypogloſſorum ſive noni Paris communicarunt, e Cranio cum octavo Pari ſive Nervis Sympathicis mediis egrediuntur, adhucque cum his Nervis Sympathicis mediis in ipſorum tranſitu communi per Cranium communicationem alunt.

146. Statim poſt exitum e Cranio quilibet Ramulum notabilem ſubminiſtrat, qui in duos dividitur,

dividitur, quorum unus, qui admodum brevis eſt, ſtatim in Truncum octavi Paris ſe confert, & alter cum parva Portione ſive primo Ramo ejusdem Paris, quod ad Linguam tendit, communicat. Quilibet etiam cum magno Nervo Hypogloſſo ſive nono Pari, & cum magno Nervo Sympathico ejusdem lateris communicationem alit.

147. Deinde Nervus Acceſſorius verſus poſteriora ſeſe confert, Muſculum Sterno Maſtoïdeum perforat, atque Muſculum Trapezium petit, in quo, poſtquam Muſculo Rhomboïdeo proſpexit, diſtribuitur atque finitur. In hocce trajectu cum tribus prioribus Paribus Cervicalibus communicat, & Glandulis Colli, Muſculo Angulari Scapulae, Complexo, Muſculo Occipitali vicino, & Tegumentis Ramulos largitur.

NERVI HYPOGLOSSI EXTERNI, *ſive* *HYPOGLOSSI MAGNI.*

148. Nervi qui communiter nonum Par Medullae Oblongatae ſive Par Linguale vocantur, in utroque latere inter Eminentias Pyramidales atque Eminentias Olivares, per plura parva Fila, quae invicem conglutinantur, & ordinarie in quolibet latere duos parvos Funiculos peculiares formant, originem ducunt. Duo hi Funiculi Duram Matrem per duo parva Foramina ſeparata perforant, ſtatimque poſtea in quolibet latere in unum Funiculum ſive Truncum Nervi coëunt,

qui e Cranio per Foramen Condyloïdeum anterius Oſſis Occipitalis egreditur.

149. Poſt exitum e Cranio quilibet horum duorum Truncorum ſive Funiculorum lateri externo Trunci octavi Paris iſtique decimi arcte adhaeret. Inde Funiculus ſive Truncus Nervi cujuslibet lateris mox ante craſſum Nervi Intercoſtalis ſive magni Nervi Sympathici Ganglion excurrit, ſeſeque inter Venam Jugularem internam atque Arteriam Carotidem vicinam confert, ad latus Muſculi Digaſtrici pauxillum progreditur, Linguamque petit.

150. In hocce inter Jugularem atque Carotidem tranſitu, Funiculus ſive Truncus Ramulum deorſum ablegat, qui in Glandulis Jugularibus, in Muſculo Cutaneo, &c. diſtribuitur, & retro primum Ganglion Intercoſtalis alium adhuc de ſe ſpargit, qui deſcendit, atque cum Funiculo octavi Paris ſive Nervi Sympathici medii unitur. Parumper poſtea unum, qui ſupra Muſculum Homo-Hyoïdeum & ſupra Sterno-Hyoïdeum deſcendit, & adhuc parvum Muſculis Laryngis praebet.

151. Funiculus ſive Nervus noni Paris poſtmodum verſus Angulum Maxillae inferioris incurvatur, & verſus anteriora inter Muſculum Cerato-Baſiogloſſum atque Muſculum Mylo-Hyoïdeum ſub Muſculo Geniogloſſo progreditur. Cunctis hiſce Muſculis Fila largitur, poſteaque in Lingua obliteratur, dum cum Filis Ramuli Lingualis Nervi Maxillaris inferioris, & cum iſtis

Ramuli

Ramuli Lingualis octavi Paris communicationem alit.

152. Antequam verſus Angulum Maxillae inferioris incurvatur, & pauxillum infra Apophyſin Stiloïdeam Oſſis Temporum, cum primo Pari Cervicali communicat, & deinde parvum Ramulum ad Laryngem aliumque notabiliorem ablegat, qui retro Muſculum Sterno-Maſtoïdeum ſupra Muſculos anteriores Colli deſcendit, & cum primo atque ſecundo Pari Vertebrali communicationem alit.

153. Ultimus hic Ramulus cum Portione quoque Dura Nervi Auditorii, imo etiam cum Paribus Vertebralibus ſequentibus communicat; poſtea in Muſculis Sterno-Hyoïdeis ſive Sterno-Thyroïdeis potiſſimum finitur.

NERVI SUB-OCCIPITALES.

154. Hi Nervi, qui communiter decimum Par dicuntur, pauxillum magis inferius magisque lateraliter quam praecedentes in extremitate Medullae Oblongatae, & e regione partis poſterioris Apophyſium Condyloïdearum Oſſis Occipitalis oriuntur.

155. In utroque latere a parte anteriore Medullae mediante Plano parvorum Filorum ſimplici procedunt, & mediantibus quibusdam Filis Collateralibus cum primo Pari Cervicali antequam Duram Matrem perforant, communicationem alunt.

156. Duram Matrem directe extrorſum e regione ipſorum originis, atque eo in loco ubi Arteriae

teriae Vertebrales eandem introrſum perfodiunt, per unum idemque quaſi Foramen, aſt infra Arterias perforant.

157. In duplicatura deinde Durae Matris deorſum repunt, moxque immediate infra marginem magni Foraminis Occipitalis, Prolongationem ſive Infundibulum Occipitale Durae Matris percurrendo ex eadem egrediuntur.

158. Poſt huncce exitum quilibet eorundem Inciſuram poſteriorem Apophyſis obliquae ſuperioris primae Vertebrae Colli petit, in qua a poſteriori antrorſum, cum & infra Arteriam Vertebralem, quae in eadem Inciſura procedit, repit.

159. Poſtquam Inciſuram transgreſſus eſt, Ganglion format, atque Muſculis Rectis & Obliquis Capitis Fila una cum quodam ſubminiſtrat, quod per Foramina transverſa Vertebrarum Colli, & juxta longitudinem Vaſorum ſanguiferorum, quae per eadem incedunt, deſcendit.

160. Poſtquam Ganglion hocce formavit, haecque Fila praebuit, antrorſum & deorſum ſupra Apophyſin transverſam primae Vertebrae vertitur, atque cum primi Paris Cervicalis Ramulo aſcendente ſpeciem Arcus ſive Anſae format.

161. Arcus hic Apophyſin Transverſam in parte anteriore amplectitur, pluresque communicationes cum primo Ganglio Nervi Intercoſtalis ſive magni Nervi Sympathici format. Convexitate ſua octavo atque nono Pari valde adhaeret.

162. Pars ſuperior ejusdem hujus Arcus, ſive Ganglion ipſum Nervum notabilem ſurſum mittit,

tit, qui ſtatim per unionem Ramuli brevis primi Paris Cervicalis craſſior fit, atque retrorſum infra convexitatem Occipitis, ſub nomine Nervi Occipitalis aſcendit, ubi per plures Ramuſculos uſque verſus Verticem partesque Capitis laterales diſtribuitur.

163. Nervi Sub-Occipitales tandem, alias Nervi decimi Paris dicti, cum Nervis Medullae Oblongatae hoc commune habent, quod quilibet unico tantum Filorum Faſciculo anteriore pro origine gaudeat, quodque nullo Faſciculo ſive Faſce poſteriore uti Nervi Vertebrales inſtructi ſint. Verum eſt, quod poſterius quandoque in utroque latere parvum Filum ſimplex reperiatur, quod tamen ad Nervum potius Acceſſorium octavi Paris quam ad illum decimi pertinere videtur.

MAGNI NERVI SYMPATHICI, *ſive* *NERVI INTERCOSTALES.*

164. Peculiaris horum Nervorum, eorundem diviſionis, decurſus atque magnae extenſionis Deſcriptio, poſt illam Nervorum Vertebralium, ob eorundem cum iisdem hiſce Nervis univerſalem fere communicationem commodius tradi mihi videtur.

NERVI VERTEBRALES IN GENERE.

165. II omnes Nervi Vertebrales vocantur, qui e Medulla Spinae Dorſi oriuntur,

&

& e magno Canali oſſeo hujus Spinae, inter Vertebras & per Foramina lateralia, quae ab occurſu Inciſurarum harum Vertebrarum formantur, egrediuntur.

166. Truncus primitivus cujuslibet Nervi Vertebralis ordinarie duobus planis plurium Filorum Medullarium ſive Nerveorum Faſciculis, uno anteriore & altero poſteriore, pro origine gaudet. Hi duo diverſi cujuslibet lateris Faſciculi ad ſe invicem accedunt, & lateraliter productionem Durae Matris perforant. Statim poſtea ſpeciem nodi, qui Ganglion dicitur, formando invicem uniuntur, hocque Ganglion tandem Truncum producit.

167. Modo recepto Nervos Vertebrales per Paria numero, initium ab iis faciendo, qui inter primam atque ſecundam Vertebram excurrunt. Haec Nervorum Vertebralium Enumeratio cum ordinaria Vertebrarum Enumeratione coincidit; ſeptem itaque Paria Nervorum Vertebralium Colli, ſive Nervorum Cervicalium; duodecim Paria Nervorum Vertebralium Dorſi, ſive Nervorum Dorſalium; quinque Paria Nervorum Vertebralium Lumborum, ſive Nervorum Lumbarium, & denique quinque aut ſex Paria Nervorum Oſſis Sacri ſive Nervorum Sacrorum ſunt.

168. Nervi Dorſales & inprimis ii, qui Nervi Coſtales appellantur, hancce diſpoſitionem determinant; totidem enim Paria Nervorum Coſtalium ſunt, quot Coſtae inveniuntur, primumque horum Nervorum Par inter primam atque ſecundam Dorſi Vertebram excurrit.

169.

169. Non hic admoneo, quod Medulla Spinalis, unde hi Nervi originem ſuam ducunt, non magnum cunctarum Vertebrarum Canalem Oſſeum communem longitudine adaequet, neque de aliis hujus Medullae peculiaribus circumſtantiis dicam. Expoſitionem de his ſpecialem in Tractatu Capitis reſpectu Cerebri, cujus Medulla Spinalis vera continuatio exiſtit, invenies.

PRIMUM PAR NERVORUM CERVICALIUM.

170. Primum Par Cervicale inter primam atque ſecundam Colli Vertebram procedit. Poſterius magis ſive retrorſum quam ſequentia Paria ſitum eſt, ipſiusque Ganglia iis inſequentium craſſiora exiſtunt.

171. Uterque horum Nervorum Truncus mox anterius parvum Ramulum producit, qui ante Apophyſin Transverſam primae Vertebrae aſcendit, Arcumque communicationis cum parvo Ramulo deſcendente Nervi Sub-Occipitalis vicini, cujus jam mentio facta eſt, format, & per conſequens cum Nervo Intercoſtali ſive magno Nervo Sympathico ejusdem lateris adhuc communicationem alit.

172. Poſterius Ramum notabilem emittit, qui per parvum Ramulum communicationis ſecundi Paris Cervicalis ſtatim craſſior evadit. Ramus hic cum Nervo Sub-Occipitali quoque communicat, atque deinde inter Muſculum Complexum & Rectum minorem poſteriorem Capitis excurrit,

rit, retrorſum ſe vertit, & in reliquis parvis Muſculis poſterioribus Capitis, in Muſculo Splenio, in Complexo & in Trapezio diſtribuitur. Muſculos hos tranſit, & ſupra Occiput aſcendit, in quo retrorſum, ſurſum, antrorſum, in Muſculo Occipitali & in Crotaphite ejusdem lateris in Ramuſculos dividitur.

173. Filum adhuc de ſe ſpargit, quod in Furcam abit, cujusque una portio ſupra Muſculum Sterno-Maſtoïdeum circum Nervum Acceſſorium octavi Paris ſive Sympathici medii aſcendit, & retro hunc Muſculum repit, quo Muſculum Splenium attingat.

174. Altera Fili portio deſcendit, & per peculiarem inflexum cum ſecundo Cervicali atque cum Nervo Intercoſtali ſive Sympathico magno vicino communicationem alit. Secunda haec Fili portio Muſculis anterioribus Capitis atque Colli, Sterno-Maſtoïdeo atque Splenio Fila quoque largitur.

175. Unum ex parvis his Filis cum nono Pari Cerebri ſive magno Nervo Linguali communicat, Muſculumque Sterno-Hyoïdeum, Glandulasque Thyroïdeas petit.

SECUNDUM PAR NERVORUM CERVICALIUM.

176. Secundum Par Cervicale inter ſecundam atque tertiam Colli Vertebram excurrit. In exitu ſtatim anterius cum craſſo Ganglio Nervi Intercoſtalis, ſive Sympathici magni communicat.

Supe-

Superius quoque cum primo Pari Cervicali, & inferius cum tertio communicationem alit.

177. Truncus poſtmodum cujuslibet lateris in plures Ramulos dividitur, aſt antequam hoc contingat, ex ipſius cum primo Pari Cervicali unione parvum Filum pullulat, aliudque ex ipſius cum tertio Pari Cervicali unione deſcendit.

178. Duo haec Fila inferius invicem uniuntur, & non niſi unicum conſtituunt, quod juxta longitudinem Venae Jugularis internae deſcendit, & inferius Anſam notabilem efficit, quo juxta longitudinem Arteriae Carotidis ad Glandulam uſque Parotidem iterum aſcendat, ubi deflectitur, ut cum Trunco noni Paris Cerebri uniatur aut communicet. Anſae Curvatura Filum praebet, quod in Muſculis Coraco-Hyoïdeo, Sterno-Hyoïdeo, & Sterno-Thyroïdeo diſtribuitur.

179 Truncus ipſe e regione Muſculi Sterno-Maſtoïdei Ramum de ſe ſpargit, qui retro hunc Muſculum cum Nervo Acceſſorio octavi Paris, & quidem modo ſimplici ſive inſtar Plexus communicationem alit.

180. Ramus hic poſtea retro Muſculum Splenium ſe confert, portionem ſuperiorem Muſculi Trapezii inter magnum Nervum Occipitalem atque Aurem perforat, & ad partem lateralem Occipitis aſcendit, ubi cum pari alterius lateris Ramo communicat. In utroque latere in Muſculis ſuperius indicatis & in Muſculo Angulari Scapulae diſtribuitur.

181. Truncus ſecundi Cervicalis Ramos adhuc

deorſum ad partem mediam Muſculi Trapezii, ad Muſculum Sterno-Maſtoïdeum & ad Muſculos Vertebrales vicinos ablegat. Quandoque etiam poſterius communicatio peculiaris inter huncce Truncum atque tertium Cervicale reperitur.

182. Poſt hoſce Ramos Truncus verſus marginem poſteriorem portionis mediae Muſculi Sterno-Maſtoïdei procedit, atque flexum ſupra hunc Muſculum a poſteriori antrorſum inſtituit. In hacce inflexione plures Ramos de ſe ſpargit. Mox unum ablegat, qui retrorſum deſcendit, & per plures Ramulos in Muſculo Scaleno & in Transverſario &c. diſtribuitur.

183. Alium Ramum emittit, qui cum tertio Pari Cervicali eo in loco ubi hoc Par Nervum Diaphragmaticum producit, communicationem alit, ſicque ad Nervi hujus formationem contribuit. Ab eadem etiam inflexione Filum diſcedit, quod aſcendit & cum uno Filo aut duobus Filis Rami inferioris Portionis Durae Nervi Auditorii communicat.

184. Extremitas flexus in parte anteriore Muſculi Sterno-Maſtoïdei in duos Ramos dividitur, quorum unus ſuperiora alterque inferiora petit. Ramus ſuperior ſupra hunc Muſculum ad partem inferiorem Auris uſque aſcendit, ubi Ramulum retro Aurem, atque alium Glandulae Parotidi ſubminiſtrat, qui ibidem Trunco Portionis Durae Nervi Auditorii occurrit, & ante Aurem aſcendit.

185. Ramus inferior extremitatis inflexionis a poſte-

poſteriori antrorſum ſe confert, in Muſculo Cutaneo in Ramuſculos dividitur, & in Tegumentis Juguli, Ramulos Sterno-Hyoïdeis praebens, diſtribuitur, atque in hiſce Tegumentis verſus Laryngem obliteratur. Cum Ramo quoque deſcendente Portionis Durae, & cum uno noni Paris Cerebri communicationem alit.

186. Ramus hic inferior ex origine ſua Ramulum largitur, qui juxta totam longitudinem partis poſterioris Sterno-Maſtoïdei deſcendit, Glandulis Jugularibus, Pinguedini atque Tegumentis partis lateralis inferioris Colli Ramulos praebet, ante partem Claviculae mediam excurrit, & infra eandem in Tegumentis Pectoris hujus lateris obliteratur.

TERTIUM PAR NERVORUM CERVICALIUM.

187. Tertium Par Cervicale ſive Vertebrale inter tertiam & quartam Colli Vertebram incedit, & ſuperius cum ſecundo Pari, inferius cum quarto, anterius cum magno Nervo Sympathico, & cum Filo noni Paris Cranii communicat. Cum Nervo Acceſſorio Nervi Sympathici medii mediante Filo adhuc, quod Muſculum Trapezium petit, communicationem alit.

188. Quilibet Truncus tertii Paris Vertebralis plures Ramos ad partes anteriores, poſteriores & laterales Colli, ad Muſculos ſcilicet, ad Glandulas, ad Membranas, ad Pinguedinem & ad Cu-

 tem,

tem, uſque ad partes ſuperiores vicinas Thoracis atque Humeri ablegat.

189. Inter Ramos poſteriores unus reperitur, qui ad Muſculum Supra-Spinatum ſe confert, atque ſupra Inciſuram Coſtae ſuperioris Scapulae excurrens, extremitati Muſculi Homo-Hyoïdei Fila praebet; alius quoque parvus ibi adeſt, qui ad Muſculum Trapezium excurrens cum Filo Nervi Acceſſorii octavi Paris communicat.

190. Inter Ramos medios quidam Glandulas Jugulares, Muſculum Subclavium, portiones vicinas Muſculi Pectoralis, Deltoïdis atque Trapezii, & Tegumenta hiſce partibus reſpondentia petunt.

191. Unus e Ramis anterioribus, per Ramulum ſecundi Paris Cervicalis corroboratus, mox inferius cum alio quarti Paris unitur, & hocce concurſu Funiculum, qui Nervus Diaphragmaticus dicitur, format.

192. Nervus hic Diaphragmaticus ante portionem anteriorem Muſculi Scaleni excurrit, & in Pectus retro extremitatem anteriorem Claviculae intrat. In ſuo in Pectus introitu Filum adhuc augmenti a primo Pari Dorſali accipit, & cum magno Nervo Sympathico communicationem alit. Oblique verſus anteriora deſcendit, & ante Arteriam Subclaviam ad latus Nervi Sympathici medii, prope originem Nervi Recurrentis excurrit.

193. Poſtquam Nervus Diaphragmaticus in Pectus intravit, immediate ante originem ſive Radicem Pulmonum, ad latus & juxta totam longitu-

gitudinem Pericardii, cui lateraliter agglutinatur, deſcendit, tandemque pauxillum retrorſum in Diaphragma ſeſe confert.

194. Per plures Ramuſculos in Muſculo majore Diaphragmatis diſtribuitur. Quaedam quoque Fila ad portionem Diaphragmatis inferiorem mittit, hincque cum Nervo Intercoſtali ſive Sympathico magno, & cum Plexibus vicinis Abdominis communicat.

195. Nervus Diaphragmaticus lateris dextri juxta longitudinem Venae Cavae ſuperioris deſcendit, unde anterior magis quam iſte lateris ſiniſtri apparet.

196. Nervus Diaphragmaticus lateris ſiniſtri mox pauxillum verſus Truncum Aortae recedit, & poſtmodum trajectum iſto lateris dextri longiorem facit; deflectitur enim, quo ad latus portionis Pericardii Cordis apici reſpondentis excurrat; unde iſto lateris dextri longior exiſtit. Poſtmodum recurvatur, quo uti alter in Diaphragmate diſtribuatur.

QUATUOR ULTIMA PARIA NERVORUM CERVICALIUM IN GENERE.

197. Quatuor ultima Paria Cervicalia inter portiones Muſculi Scaleni excurrunt. In genere tribus prioribus craſſiora exiſtunt. Per Truncos ſuos invicem uniuntur, & cum Ramo communicationis tertii Paris Cervicalis & cum Trunco primi Paris Dorſalis ſpeciem Texti ſive craſſi Plexus formant, qui a Vagina quadam Membranacea

quaſi involvitur, quique ſex Funiculos notabiles, inſtar totidem Truncorum peculiarium producit, qui in Brachio diſtribuuntur, & in genere Nervi Brachiales appellantur.

NERVI BRACHIALES IN GENERE.

198. Funiculi ſex numero in quolibet latere ſunt, quemadmodum modo dixi. Anno 1697. Dn. Duverney quinque ſequentibus nominibus inſignivit: Muſculo-Cutaneus ſive Cutaneus externus, Medianus, Cubitalis, Cutaneus internus & Radialis, dum illum, quem ego ceu Funiculum primarium conſidero, quemque Axillarem ſive Articularem appello, pro Ramo Radialis habebat.

199. Sex hi Nervorum Brachialium Funiculi non ſingulatim atque ſeparatim generantur. Eorundem origo ſive formatio adeo complicata eſt, ut eandem determinare res ab initio admodum ardua ſit; videturque quinque Paria Vertebralia mediante eorundem unione Plexiformi conjunctim ad formationem cujuslibet ſex Funiculorum Brachialium ſymbolam contribuere.

200. Quatuor horum Funiculorum ſive Nervorum Brachialium, ſcilicet, Muſculo-Cutaneus, Medianus, Cubitalis & Cutaneus internus anterius e craſſo Plexu oriuntur. Duo reliqui Funiculi, Radialis ſcilicet & Axillaris ſive Articularis, ab eodem poſterius procedunt.

201. Mixtio ſive craſſus quinque Parium Vertebralium Plexus, qui ſex hos Funiculos componit, ſequentem in modum formatur.

202. Quartum & quintum Par Cervicale, in diſtantia circiter unius pollicis aut ultra poſt eorundem exitum invicem uniuntur, & Truncum communem conſtituunt. Septimum Par Cervicale & primum Par Dorſale itidem in Truncum communem, aſt proxime eorundem originem coëunt. Sextum Par Cervicale longiorem viam ſolitarium inter hos duos Truncos communes emetitur, poſteaque ab utroque portionem communicationis, quae ipſum craſſiorem reddit, accipit.

203. Quinque hi craſſi Nervi Vertebrales utriusque lateris ita mixti, contexti & compliciti per diſpoſitionem peculiarem a diſpoſitione ordinaria admodum diverſam denuo diſpertiuntur, & ſex Funiculos ſive Nervos Brachiales formant. Unio haec atque mixtio Plexiformis quandoque variant.

204. Modus, quo ſex Nervi Brachiales originem ſuam a Plexu quinque Parium Vertebralium ducunt, ordinarie hic eſt:

205. Muſculo-Cutaneus ab unione quarti & quinti Paris Cervicalium, & ab eorundem communicatione collaterali cum tertio & ſexto horum Parium formatur.

206. Medianus una ex parte ab unione ſexti Paris Cervicalis cum duobus Paribus praecedentibus; & altera ex parte ab unione ſeptimi Paris Cervicalis cum primo Pari Dorſali oritur. Duae hae uniones Angulum acutum formant, cujus Apex Nervum Medianum producit.

207. Cubitalis ab unione ſeptimi Paris Cervicalis cum primo Pari Dorſali, imo etiam parumper propius Ramum ſive Coſtam inferiorem Anguli Nervi Mediani procedit.

208. Cutanei interni origo fere eadem eſt.

209. Radialis omnium craſſiſſimus eſt, & ab Apice alius Anguli Nervei proficiſcitur, cujus Ramus ſive Coſta ſuperior ab unione Truncorum quarti, quinti & ſexti Paris Cervicalium formatur. Ramus ſive Anguli hujus Nervei Coſta inferior ab unione ſeptimi Paris Cervicalis cum primo Pari Dorſali gignitur.

210. Nervus Axillaris ſive Articularis immediate prope originem Radialis, praecipue ad Coſtam ſive Ramum ſuperiorem Anguli Nervei, unde Radialis hic originem ducit, pullulat, & cum omnibus reliquis communicationem alit.

211. Praeter craſſos Nervos Brachiales plures parvi Rami e quolibet quatuor ultimorum Parium Cervicalium proficiſcuntur. Convenit Deſcriptionem peculiarem horum parvorum Ramorum cum iſta eorundem Truncorum tradere, antequam diſtributio Nervorum Brachialium ſpecialius deſcribatur.

QUARTUM PAR NERVORUM CERVICALIUM.

212. Quartum Par Cervicale inter quartam & quintam Vertebram Colli excurrit, & ſuperius cum tertio Pari, inferius cum quinto Pari, & anterius cum Nervo Intercoſtali ſive Sympathico magno communicat.

213.

213. Plures Ramulos de ſe ſpargit, qui in Muſculo Scaleno, in Muſculo Angulari Scapulae, in Rhomboïde, in Trapezio, imo etiam in Pectorali majore diſtribuuntur. Filum quoque praebet, quod ad Nervi Diaphragmatici formationem contribuit. Truncus deinde in latitudine transverſi digiti absque ullis Ramuſculis procedit, atque Trunco quinti Paris Cervicalis aſſociatur.

214. In loco hujus unionis, aut pauxillum antea Ramum admodum notabilem ſubminiſtrat, qui, poſtquam Filum ad Muſculum Subſcapularem ablegavit, per parvam Inciſuram Coſtae ſuperioris Scapulae infra Ligamentum hujus Inciſurae excurrit, atque Muſculo Supra-Spinato Fila largitur. Ramulus hic deinde infra Muſculum Supra-Spinatum & infra Acromion repit, quo Muſculum Infra-Spinatum atque Rotundum minorem attingat.

QUINTUM PAR NERVORUM CERVICALIUM.

215. Quintum Par Cervicale inter quintam atque ſextam Vertebram Colli incedit, & cum quarto atque ſexto Pari Cervicalium, atque cum Nervo Intercoſtali ſive Sympathico magno communicat.

216. Quilibet Truncus poſtmodum anterius Ramulum producit, qui cum ſimili Ramulo ſexti Paris Cervicalis unitur, quique in Muſculo Scaleno, in ſuperficie Pectoralis majoris & in Tegumentis vicinis diſtribuitur. Truncus quoque pro-

pe originem ſuam Ramulum dat, qui retro originem Trunci ſexti Paris Cervicalis deſcendit, & ab eodem quoque parvum Filum communicationis recipit.

217. Ramulus hic ita corroboratus ſupra convexitatem Thoracis deſcendit, & in Muſculis eundem contegentibus diſtribuitur. Mox infra Muſculum Pectoralem majorem & minorem, poſtmodum inter Serratum majorem atque Subſcapularem repit.

218. Poſtea Ramulus hic deſcendit, & partem anteriorem, mediam & fere inferiorem Muſculi Latiſſimi Dorſi, verſus tertiam Coſtam Spuriam attingit. In hoc Muſculo & in Tegumentis finitur.

DUO ULTIMA PARIA NERVORUM CERVICALIUM.

219. Poſtquam ſextum & ſeptimum Par Cervicalium, unum infra ſextam, & alterum infra ſeptimam Colli Vertebram excurrit, atque communicationes uti praecedentia inſtituit, plura quoque Fila partibus vicinis praebent.

220. Ramulus ſexti Paris, qui anterius cum ſimili Ramulo quinti Paris unitur, quo ſupra Pectus, quemadmodum dictum eſt, diſtribuatur, Filum deorſum mittit, quod cum Filo ſeptimi Paris Cervicalis atque primi Dorſalis communi ſpeciem Anſae format, quam Arteria Axillaris tranſit.

NOTA.

221. Omnes hi Nervi Fila ad Tegumenta vicina

cina ablegant. Glandulis quoque Axillaribus proſpiciunt.

NERVUS MUSCULO-CUTANEUS.

222. Nervus hic, qui ordinarie ad latus Nervi Cutanei interni conſpicitur, ex unione quarti & quinti Paris Cervicalium oritur, & eorundem communicationis lateralis cum tertio & ſexto Pari particeps fit.

223. Extremitatem ſuperiorem Muſculi Coraco-Brachiaei petit, eumque a ſuperiori deorſum oblique perforat, atque eidem Fila quaedam praebet. Poſtea juxta longitudinem Brachii retro Muſculum Bicipitem, qui eundem contegit, cujusque duabus portionibus quoque Ramulos ſuppeditat, deſcendit.

224. Deinde retro Bicipitem, ab interiori extrorſum inter extremitatem inferiorem hujus Muſculi atque Muſculum Brachiaeum, cui quoque proſpicit, rependo egreditur. In Brachii Plica, verſus Cutem immediate retro Venam Medianam, ubi Cutem legit, atque Nervus Cutaneus fit, procedit. Poſtmodum juxta totam longitudinem inter Muſculum Supinatorem longum atque Tegumenta vicina, ad latus internum Venae Cephalicae ad Pollicem uſque repit.

225. In Tegumentis tandem partis anterioris Carpi, in iis Pollicis atque convexitatis Manus diſtribuitur. Antequam Carpum attingat, ſupra Venam Cephalicam excurrit, & verſus Pollicem cum Ramulo Nervi Radialis communicationem alit.

NER-

NERVUS MEDIANUS.

226. Nervus Medianus inter Nervum Muſculo-Cutaneum atque Nervum Cubitalem ſitus eſt. Ex unione trium, Rami ſcilicet ſexti Paris Cervicalis, unius ſeptimi, & parvi cujusdam primi Dorſalis oritur. In quibusdam ſubjectis ab unione duorum Ramorum praecipuorum formatur, quorum unus ex unione primi Nervi Dorſalis cum ultimo Cervicali, atque alter ex unione trium Nervorum praecedentium exurgit.

227. Cum Arteria Brachiali juxta longitudinem Brachii, infra marginem internum Bicipitis, poſtquam retro Inſertionem inferiorem Muſculi Coraco-Brachiaei excurrit, deſcendit, plicamque Brachii inter extremitatem inferiorem Muſculi Brachiaei & Pronatoris rotundi petit. In decurſu in utroque latere cunctis his Muſculis Fila praebet.

228. Retro Ramum Medianum Venae Baſilicae, ad Condylum internum accedendo, excurrit. Verſus poſteriora per Pronatorem Rotundum repit, & inter Muſculos Sublimem & Profundum, iisdem Ramulos largiens, deſcendit.

229. Infra Muſculum Pronatorem Rotundum Ramulum peculiarem ſubminiſtrat, qui juxta longitudinem Ligamenti Interoſſei, retro Muſculum Quadratum ad Carpum uſque, eidem huic Muſculo Fila praebens, excurrit.

230. Truncus deinde poſt quosdam Ramuſculos cutaneos infra Ligamentum Transverſum internum Brachialis ſive Carpi in Palmam Manus

ſe

ſe confert, ubi plures Ramulos, duos ſcilicet Muſculis Thenari & Antithenari, duos partibus lateralibus concavis Pollicis, duos iſtis Indicis, duos iſtis Digiti maximi, unumque parti laterali vicinae Digiti Annularis, poſtquam cum Ramulo Nervi Cubitalis communicavit, ſubminiſtrat. Hi Ramuli ad apices Digitorum uſque excurrunt, & in decurſu Tegumentis, Ligamentis, Tendinibus &c. proſpiciunt.

NERVUS CUBITALIS.

231. Nervus Cubitalis ex unione ſeptimi Paris Cervicalis & primi Paris Dorſalis oritur. Cum Radice inferiore Nervi Mediani communicationem alit.

232. Ad latus internum Brachii juxta longitudinem partis internae Muſculi Anconaei majoris, inter Arteriam Brachialem atque Venam Baſilicam deſcendit. In hocce trajectu non niſi parva Fila in utrumque latus Muſculis vicinis atque Tegumentis praebet.

233. Inter Condylum internum Oſſis Brachii atque Olecranum repit, ubi tantum ſpecie Ligamenti & Tegumentis contegitur. Unde ictus in Cubito, ad ipſum uſque Digitum minimum, in quo Nervus hic terminatur, adeo ſenſibiles ſunt.

234. Poſtmodum juxta totam longitudinem Muſculi Cubitaei interni, Muſculis vicinis, Muſculo Quadrato atque Tegumentis, uſque ad extremitatem inferiorem Cubiti Fila praebens, deſcendit, ubi in duos Ramos, unum craſſum & alterum parvum dividitur.

235.

235. Craſſus Ramus, ſive continuatio potius ipſius Trunci, ad latus Oſſis Lenticularis ſive Piſiformis Carpi, infra craſſum Ligamentum Annulare transverſum excurrit, atque partem Palmae Manus, quae duobus ultimis Digitis reſpondet, petit, ubi mox Tegumentis atque Ligamentis Oſſium Carpi Fila quaedam praebet.

236. Statim poſtea in tres Ramulos peculiares dividitur, quorum unus, dum in parvis Muſculis vicinis Pollicis & in Muſculis Interoſſeis diſtribuitur, ſpeciem Arcus format; alter pro partibus lateralibus concavis vicinis Digiti Annularis atque Digiti minimi in Furcam abit; tertius ad alteram partem lateralem concavam Digiti minimi & ad Muſculos vicinos ſe confert.

237. Parvus Ramus retro Tendinem Muſculi Cubitaei externi extrorſum vertitur, partemque iſtam convexitatis manus petit, quae duobus ultimis digitis reſpondet. In partibus lateralibus convexis horum duorum Digitorum diſtribuitur, fere uti praecedens in eorundem partibus lateralibus concavis diſtribuitur. Muſculo quoque Hypothenari, Muſculo Metacarpiaeo atque Tegumentis proſpicit. Cum Ramulo Nervi Mediani communicationem alit.

NERVUS CUTANEUS INTERNUS.

238. Nervus Cutaneus internus admodum gracilis eſt. Ex unione ſeptimi Paris Cervicalis cum primo Pari Dorſali, praecipue vero ex ultimo oritur. Supra reliquos Nervos Brachiales excurrit,

rit, & juxta totam longitudinem partis internae Brachii, inter Tegumenta atque Muſculos deſcendit.

239. Antequam deſcendit, in duos Ramos dividitur, qui uſque verſus Condylum internum, ad latus Venae Baſilicae, Ramo Mediano hujus Venae contecti, arcte ſe invicem comitantur.

240. Unus horum duorum Ramorum juxta totam Tegumentorum longitudinem, quae Muſculum Radiaeum internum & Muſculum Radiaeum gracilem ſive ſic dictum Palmarem contegunt, deſcendit, & deinde in Cute Carpum atque initium Palmae Manus contegente in Ramuſculos dividitur.

241. Alter Ramus pauxillum magis retrorſum & juxta totam longitudinem Tegumentorum Muſculum Cubitaeum internum atque Os Cubiti contegentium ſe confert, ibique ad minimum Digitum uſque in Ramuſculos dividitur.

NERVUS RADIALIS.

242. Nervus Radialis, ita dictus quoniam Radium & Arteriam Radialem comitatur, ex unione trium Ramorum compoſitorum naſcitur, quorum primus a Trunco e quarto & quinto Pari Cervicalium combinato, ſecundus a Trunco proprio ſexti Paris, & tertius a Trunco e ſeptimo Pari Cervicalium & e primo Pari Dorſali combinato provenit.

243. Truncus Nervi Radialis reliquis Nervis Brachialibus profundius ſitus eſt. Mox ab anteriori retrorſum vertitur, quo flexum peculiarem

circum

circum Os Brachii, inter hoc Os & Muſculos Anconaeos inſtituat.

244. Hic Nervi Radialis Flexus obliquus, & inſtar cochleae impreſſioni in Oſſe ipſo reperiundae conformis eſt. Ante huncce trajectum Nervus tribus Muſculis Anconaeis, praecipue Anconaeo longo & Anconaeo externo Ramos largitur. Poſtmodum inter Muſculum Anconaeum externum & Muſculum Brachiaeum a poſteriori antrorſum vertitur.

245. In tranſitu ſive inflexione ipſa Ramulos Cutaneos ablegat, quorum quam maxime notabilis Condylum externum Oſſis Brachii petit, & juxta totam longitudinem in Tegumentis, quae Radium anterius & exterius contegunt, uti etiam in iſtis, quae partes anteriores Carpi atque convexitatis Manus ad Pollicem uſque cooperiunt, diſtribuitur.

246. Verſus plicam Brachii Truncus Nervi Radialis extrorſum vertitur, & inter extremitatem inferiorem Muſculi Brachiaei & extremitatem ſuperiorem Muſculi Supinatoris Longi his atque vicinis Muſculis Ramulos ſubminiſtrando deſcendit.

247. Poſtquam ad Caput Radii pervenit, in duos dividitur, aut potius Ramum primarium ablegat, qui juxta longitudinem inter Radium & Muſculum Supinatorem Longum uſque ultra medium Radii excurrit; ubi inter Muſculum Supinatorem Longum & Muſculum Radiaeum repit.

248. Ramus hic Arteriam Radialem externam prope Tegumenta comitatur, & poſtquam verſus

ſus partem inferiorem Radii pervenit, in tres Ramulos pro partibus convexis lateralibus trium Digitorum cum dimidio diſtribuitur.

249. Unus horum Ramulorum ad partem lateralem internam Pollicis & ad Tegumenta ſe confert. Alter pro parte laterali Pollicis externa & pro parte laterali anteriore Indicis, in decurſu ſemper Tegumentis Oſſium Metacarpi Fila praebendo, in duos dividitur. Tertius Ramulus in plures diſcerpitur, quo partem lateralem poſteriorem Indicis, duo latera Medii, & partem lateralem anteriorem Annularis attingat.

250. Ipſe Ramus in toto hocce decurſu in Tegumentis, ac denique in Muſculis Interoſſeis diſtribuitur.

251. Truncus Radialis, aut ſi mavis, craſſus ipſius Furcae Ramus, inter extremitatem ſuperiorem Radii atque Muſculum Supinatorem brevem, in decurſu ſuo huic Muſculo, Anconaeo minori, Supinatori Longo atque Muſculo Radiaeo externo proſpiciens, excurrit.

252. In Muſculo deinde Extenſore communi Digitorum, in iſtis Carpi atque Pollicis, poſtquam cum Ramulo Nervi Muſculo-Cutanei communicavit, obliteratur.

NERVUS AXILLARIS,
ſive
ARTICULARIS.

253. Nervus hic originem ſuam a duobus ultimis Paribus Cervicalibus ducit, & quandoque

non niſi craſſus Nervi Radialis Ramus eſſe videtur. In Cavum Axillae, retro Caput Oſſis Humeri inter Muſculos Rotundum Majorem & Minorem procedit, ſeſeque ab interiori retrorſum & extrorſum circum Collum hujus Oſſis confert aut vertit, dum inter Articulationem atque extremitatem ſuperiorem Muſculi Anconaei Longi repit, ut Muſculum Deltoïdem attingat.

254. In plures Ramulos dividitur, qui praecipue Muſculum Deltoïdem ſuperius & inferius petunt, ibique in Ramuſculos dividuntur, & in itinere Muſculo Subſcapulari, extremitati ſuperiori Muſculi Anconaei Longi, Rotundo majori & minori, ac Supra-Spinato proſpiciunt. Imo Muſculo Latiſſimo Dorſi atque Muſculo Anconaeo externo ſuppeditat.

NERVI DORSALES ſive COSTALES.

255. Duodecim Paria numero ſunt, quemadmodum ab initio hujus Tractatus indicatum eſt, & meliori jure Nervi Intercoſtales vocari deberent quam magni Nervi Sympathici, quibus nomen hoc impoſitum fuit.

256. Hoc invicem commune habent, quod mox poſt ſuum inter Dorſi Vertebras exitum, & antequam Coſtas comitantur, duo ordinarie Fila antrorſum pro communicatione cum magno Nervo Sympathico ſive ſic dicto Nervo Intercoſtali, & plura Fila retrorſum pro Muſculis Vertebralibus reliquisque Muſculis vicinis ablegent.

257. Quodlibet horum duodecim Parium a numero

numero Vertebrarum infra quas excurrunt nomen accipit; exempli gratia, primum Par, ſecundum Par, &c.

258. Primum Par compoſitionem Nervorum Brachialium, uti dictum eſt, intrat, & conjunctim cum ſecundo Pari Ramulos Thoracicos emittit.

259. Septem Parium ſuperiorum quodlibet juxta totam longitudinem infra Veras Coſtas ad Sternum uſque excurrit, & in Muſculis Intercoſtalibus diſtribuitur, quos introrſum & extrorſum quoque perforat, quo ſeſe ad Serratos majores, ad Pectorales, &c. & ad Tegumenta externa conferat.

260. Poſtquam ſeptimum Par ad Portionem Cartilaginoſam ſeptimae Coſtae pervenit, deſcendit & inter Muſculos latos Abdominis diſtribuitur.

261. Quinque ultima Paria extremitates Coſtarum Spuriarum relinquunt, quo in Muſculis Abdominalibus diſtribuantur.

262. Undecimum Par Fila quoque quaedam Diaphragmati praebet, & poſtmodum inter Muſculum Transverſum atque Peritonaeum repit.

263. Omnium ultimum in Muſculis Transverſis & in Obliquis internis diſtribuitur.

264. Omnes hi Nervi plures Ramuſculos per Muſculos ad Tegumenta ablegant, & Nervos Cutaneos Thoracis duarum priorum Regionum Abdominis & portionis ſuperioris Lumborum formant.

NERVI LUMBARES.

265. Quinque Paria horum Nervorum hoc commune habent, quod Fila pro Muſculis Vertebralibus retrorſum mittant, quod communicationem invicem alant, quod cum magno Nervo Sympathico cujuslibet lateris communicent, quodque Muſculis Pſois contegantur.

266. Eorundem Rami communicationis cum magnis Nervis Sympathicis longi ſunt, quoniam hi Nervi verſus anteriora Corporum Vertebrarum Lumbarium multum procedunt.

267. Enumeratio horum Parium Nervorum juxta enumerationem Vertebrarum Lumbarium, ſub quibus decurrunt, inſtituitur.

PRIMUM PAR NERVORUM LUMBARIUM.

268. Hi Nervi inter primam atque ſecundam Vertebram Lumborum excurrunt, & quilibet in latere ſuo Ramulum communicationis ab ultimo Pari Dorſali accipit, atque unum ad ſecundum Par Lumborum, ſive ad Ramum hujus ſecundi Paris ablegat.

269. Quilibet Truncus quoque cum magno Sympathico vicino mediante Ramulo admodum longo communicat. Deinde tres Ramos, unum poſteriorem & duos anteriores producit. E duobus anterioribus unus internus & alter externus eſt, qui interno craſſior exiſtit.

270. Ramus poſterior Muſculum Quadratum Lumborum perforat, inter partes poſteriores Muſcu-

Muſculorum Obliquorum Abdominis repens, Obliquum externum perforat, & in Cute vicina ad Nates uſque diſtribuitur. Ramus hic Muſculis etiam Vertebralibus & Muſculo Sacro-Lumbari proſpicit.

271. Ramus anterior externus extremitatem ſuperiorem Muſculi Pſoae obliquè extrorſum perforat, per Muſculum Quadratum Lumborum excurrit, & juxta longitudinem Criſtae Oſſis Ilii uſque verſus Spinam anteriorem hujus Oſſis repit.

272. Muſculis Abdominis Fila ſubminiſtrat, & ſupra Faſciam Latam in Tegumentis vicinis, in iſtis partis anterioris externae Femoris & in Glandulis Inguinalibus diſtribuitur.

273. Ramus anterior internus etiam Muſculum Pſoam in eodem fere loco, aſt anterius magis, perforat, ſupra hunc Muſculum deſcendit, ſupra Muſculum Iliacum ad initium uſque Ligamenti Tendinoſi Fallopii excurrit, ubi Ramo anteriori obviam fit, cum eodem unitur, & hacce unione Nervum peculiarem format, qui juxta longitudinem ejusdem Ligamenti & Faciei internae Aponevroſis Muſculi Obliqui externi, ad Aperturam uſque, quae Annulus Muſculi communiter dicitur, excurrit.

274. Nervus hic peculiaris per Aperturam Aponevroticam Muſculi Obliqui externi egreditur, atque denuo in plura Fila Cutanea dividitur, quae ad Pubem & ad Tegumenta Partium Naturalium utriusque Sexus &c. ſe conferunt. Funiculis quoque Spermaticis, & Funiculis Vaſ-

culoſis ſive Ligamentis Rotundis ſpuriis proſpicit.

275. Truncus primi Paris praeter hos Ramos prope ſuam cum Trunco ſecundi unionem duos Ramulos graciles, arcte invicem conglutinatos, largitur, qui retro Muſculum Pſoam deſcendunt, unam ex Inſertionibus Tendinoſis parvi Muſculi Diaphragmatici ſupra tertiam Vertebram Lumbarem transgrediuntur, & cum magno Sympathico communicationem alunt.

276. Duo hi Ramuli ita uſque ad Ligamentum Inguinale ſive ad Ligamentum Tendinoſum Fallopii ſe comitantur. Hic locorum unus Vaſa Spermatica ad Teſticulos uſque ſequitur, alter infra Ligamentum ad Cutem & ad Glandulas Inguinis ſe confert.

277. Truncus e loco hujus diviſionis Ramulum directe deorſum mittit, qui cum ſecundo Pari Lumbari, aut potius cum Ramo qui ab eodem abſcedit, unitur. Truncus poſtea ad originem craſſi Funiculi, qui Nervus Cruralis dicitur, contribuit.

SECUNDUM PAR NERVORUM LUMBARIUM.

278. Eorundem Trunci inter ſecundam atque tertiam Vertebram Lumbarem egrediuntur. Poſtquam quilibet horum Truncorum cum iſtis primi Paris & cum magno Nervo Sympathico communicavit, ſtatim plures parvos Ramulos partibus vicinis Muſculi Pſoae, atque craſſum Ramum poſte-

poſterius Muſculo Quadrato Lumborum, Sacro-Lumbari, Longiſſimo Dorſi & Muſculis Vertebralibus vicinis, cum Muſculum Quadratum antea perforavit, praebet.

279. Truncus poſtea Ramum gracilem largitur, qui ex origine ſua cum Ramulo deſcendente Trunci primi Paris, de quo modo dixi, unitur. Ramus hic ita corroboratus Caput Pſoae perforat, juxta totam hujus Muſculi longitudinem excurrit, Foramen Aponevroticum ſive Annulum Muſculi Obliqui externi Abdominis petit, & in Glandulis Inguinalibus, in Pinguedine, in Scroto in Viris atque in Labiis in Foeminis diſtribuitur.

280. Truncus poſtmodum duos adhuc Ramos ſe invicem comitantes ablegat, poſtquam inter originem horum duorum Ramorum parvum Ramulum ad partem ſuperiorem Pſoae miſit. Duo hi Rami Pſoam diverſis in locis perforant, poſtea ſe invicem comitantur, & infra partem ſuperiorem Ligamenti Tendinoſi Fallopii excurrunt, hincque ex Abdomine egrediuntur.

281. Dum iidem hi duo Rami ex Abdomine egrediuntur, invicem uniuntur, & non niſi unicum Nervum conſtituunt, qui per plures Ramulos in Glandulis Inguinalibus, ſupra Aponevroſin Cruralem, in Tegumentis partium anteriorum Femoris ad Genu uſque diſtribuitur.

282. Quidam horum Ramulorum cum Ramulis Nervi Cruralis uniuntur; alii in Tegumentis partis internae Femoris diſtribuuntur. Unus

Arteriam Cruralem comitatur, atque ſpeciem Anſae circum Ramum hujus Arteriae mittit.

283. Truncus inſuper ſaepe Ramulum ſubminiſtrat, qui cum Ramulo tertii Paris & cum alio quarti unitur, ut cum illis Funiculum peculiarem formet, qui Muſculos Obturatores ſub nomine Nervi Obturatoris tranſit.

284. Tandem Truncus deſcendit, & poſtquam Ramulum parti mediae Muſculi Pſoae praebuit, cum Trunco tertii Paris unitur, atque ad formationem craſſi Funiculi Nervi Cruralis ſymbolam afferend o finitur.

TERTIUM PAR NERVORUM LUMBARIUM.

285. Eorundem Trunci inter tertiam atque quartam Vertebram Lumbarem egrediuntur. Quilibet horum duorum Truncorum ſuperius cum ſecundo Pari, & anterius cum magno Nervo Sympathico communicat; & inferius cum Trunco quarti Paris unitur. Ramum notabilem retrorſum inter Apophyſes Transverſas mittit, qui in Muſculis Vertebralibus viciniſque Muſculis diſtribuitur.

286. Ante ſuam cum quarto Pari unionem Ramum notabilem largitur, qui deſcendit, & poſtquam Ramulum communicationis a ſecundo Pari accepit, cum Ramo quarti Paris pro formatione Nervi Obturatoris unitur.

287. Ante ſuam cum quarto Pari unionem craſſum adhuc Ramulum ablegat, qui inter Muſculum Pſoam & Muſculum Iliacum deſcendit,

&

& deinde cum Funiculo Crurali ad latus externum partis inferioris Muſculi Pſoae unitur. Pro Acceſſorio ſive Socio Nervi Cruralis haberi poteſt.

288. Truncus juxta totam longitudinem Muſculi Pſoae excurrens, eidem uti & Muſculo Iliaco Fila ſubminiſtrat, atque Ramulum deorſum ablegat, qui infra Ligamentum Tendinoſum Fallopii Muſculum Pectinaeum petit; tandemque conjunctim cum Ramo ſecundi Paris cum quarto Pari ad craſſi Nervi Cruralis formationem abſolvendam unitur.

QUARTUM PAR NERVORUM LUMBARIUM.

289. Eorundem Trunci inter quartam & quintam Vertebram Lumbarem egrediuntur. Quilibet Truncus ſuperius cum tertio Pari, & anterius cum magno Nervo Sympathico, imo ſaepe mediantibus duobus Filis communicationem alit.

290. Quilibet Truncus Ramos retrorſum ad Muſculos Vertebrales vicinosque Muſculos mittit; & deinde cum portionibus reliquorum Parium Lumbarium, quorum jam mentio facta eſt, formationi craſſi Funiculi Cruralis finem imponit.

291. Ex eodem loco Ramum admodum notabilem producit, qui poſtquam cum duobus aliis Ramis, cum Ramo ſcilicet tertii Paris & cum alio ſecundi unitur, Nervum Obturatorem format.

292. Reliquum Trunci denique inferius cum quinto Pari Lumbari unitur.

NERVUS OBTURATOR.

293. Nervus hic modo ſuperius indicato formatus juxta totam partis lateralis internae Muſculi Pſoae longitudinem repit, in Pelvim deſcendit, & ex Abdomine per partem ſuperiorem Muſculorum Obturatorum & Foraminis Ovalis Oſſium Innominatorum egreditur.

294. In exitu Muſculis Obturatoribus atque Muſculo Pectinaeo proſpicit. Deinde per tres Ramos praecipuos in cunctis Muſculi Tricipitis portionibus diſtribuitur, imo Ramos quoque gignit, qui inter portiones Tricipitis repunt, & ad Muſculum Gracilem poſteriorem ſive internum ſe conferunt.

QUINTUM PAR NERVORUM LUMBARIUM.

295. Inter ultimam Vertebram Lumbarem atque Os Sacrum incedit. Quilibet Truncus ſuperius cum quarto Pari Lumbari, & anterius cum magno Nervo Sympathico communicat. Ramulos retrorſum ad Muſculos Vertebrales & ad Muſculos vicinos, imo ad Muſculos Glutaeos ablegat. Poſtquam penetravit, parvum quoque Ramulum antrorſum ſeſe incurvando Nervo Crurali ſubminiſtrat.

296. Truncus poſtmodum ſupra Symphyſin Oſſis Sacri cum Oſſe Ilii deſcendit, in Pelvim intrat, & cum Ramo communicationis, quem a quarto Pari Lumbari accepit, Nervis Sacris ſeſe aſſociat, atque cum iis ſpeciem Plexus ſive contextus

textus format, qui craſſiſſimum & maximum totius Corporis Nervum, qui Nervus Iſchiadicus dicitur, format, qui poſtmodum in tota extremitate inferiore Corporis diſtribuitur.

NERVI SACRI.

297. Nervi Sacri ii vocantur, qui ab Oſſe Sacro proficiſcuntur, quorum primarii per magna Foramina anteriora hujus Oſſis, atque reliqui per extremitatis Oſſis & Coccygis Inciſuras laterales excurrunt.

298. Itidem per Paria numerantur, eorumque ſex ordinarie reperiuntur, quatuor ſcilicet craſſa Paria, quae per magna haec Foramina egrediuntur, & duo quae infra excurrunt. Quando quinque Paria magnorum Foraminum adſunt, numerus hic augetur. Quaedam quoque parva Fila per Foramina poſteriora prodeunt.

299. Primum Par admodum craſſum eſt, ſecundum craſſitie eidem cedit. Paria ſequentia gradatim craſſitie decreſcunt; ita ut inferiora admodum tenuia exiſtant.

300. Ea quae per magna Foramina incedunt, poſt ipſorum in Pelvim introitum invicem uniuntur, & cum ultimo Pari Nervorum Lumbarium contextum pro craſſo Nervo Iſchiadico, cujus modo mentionem feci, formant. Per Membranas quoque Foraminum poſteriorum Oſſis Sacri Ramulos retrorſum ad Tegumenta vicina ablegant.

301. Trunci ita uniti atque contexti praeter craſſum Nervum Iſchiadicum alios inſuper parvos

Ramos

Ramos ſubminiſtrant. E re eſt ut quam maxime notabilium horum Ramorum, uti & iſtorum Nervorum Sacrorum inferiorum cognitio tradatur, antequam Ramuſculi craſſi Funiculi Iſchiadici ſpecialius deſcribantur.

302. Hoc magnam ſimilitudinem cum diſpoſitione quatuor ultimorum Parium Cervicalium & primi Paris Dorſalis alit, qui non tantum invicem contexuntur atque Nervos Brachiales formant, ſed etiam plures Ramos peculiares ex ſua origine de ſe ſpargunt.

303. Ex hocce Nervorum Sacrorum, inprimis ſecundi Paris contextu, Ramus exurgit, qui in Veſiculis Seminalibus, in Proſtatis, in Utero, in Tubis Fallopianis, &c. diſtribuitur. Alius adhuc Ramus inde praecipue a quarto Pari abſcedit; qui Ramus ex parte ad loca indicata, & ex parte ad Veſicam atque ad Inteſtinum Rectum ſeſe confert.

304. Idem contextus & in ſpecie tertium Par, in his cum Pari praecedenti, in aliis cum ſequenti, & quandoque cum ambobus Paribus unitum, Ramum producit, qui e Pelvi ſupra Ligamentum Fallopii egreditur, per partem internam Tuberoſitatis atque parvi Rami Oſſis Iſchii excurrit, & in Corporibus Cavernoſis atque in ipſorum Muſculis in utroque ſexu, in partibus vicinis Partium Naturalium, & in Sphincteribus Ani diſtribuitur.

305. Duo ultima Paria Nervorum Sacrorum admodum parva ſunt. Illud quod immediate poſt magna Foramina Oſſis Sacri reperitur, a poſteriori

ſteriori antrorſum, in utroque latere, inter extremitatem hujus Oſſis atque Ligamentum Coccygis excurrit. Muſculis Ani potiſſimum atque Tegumentis vicinis proſpicit.

306. Par ſequens ſive omnium Parium Nervorum Sacrorum ultimum ab extremitate Canalis Oſſis Sacri fere directe deſcendit, & in Ano quoque atque Tegumentis vicinis &c. diſtribuitur.

307. Ab extremitate implicationis omnium Nervorum Sacrorum, immediate ante formationem integram craſſi Trunci ſive Funiculi Nervi Iſchiadici, exterius Ramulus derivatur, qui in Muſculis Glutaeis Medio & Minore diſtribuitur. Poſterius alius abſcedit, qui ex parte Muſculos Corporum Cavernoſorum &c. petit, & ex parte in Muſculo Glutaeo majore atque in Tegumentis vicinis per plura Fila, juxta totam longitudinem uſque verſus Poplitem diſtribuitur.

NERVUS CRURALIS.

308. Funiculus Nervi Cruralis ab unione atque implicatione Truncorum primi, ſecundi, tertii, portionis quarti Paris formatus, & quandoque a Ramo quinti Paris, uti jam diximus, corroboratus infra Ligamentum Fallopii excurrit, & ex Abdomine ad latus externum Arteriae Cruralis, quae inter hunc Nervum atque Venam Cruralem eſt, egreditur.

309. Ex Abdomine egrediens in plures Ramos dividitur, quorum quidam ab ipſius cum Ramulo

Acceſ-

Acceſſorio tertii Paris unione procedunt; maxima vero pars e craſſo Funiculo ipſo oritur.

310. Rami qui ab ipſius Trunci cum Ramulo Acceſſorio tertii Paris unione veniunt, ſupra anteriorem Femoris partem deſcendunt. Poſtquam verſus mediam Muſculi Sartorii partem pervenerunt, in utroque latere eundem ſequuntur, & in Tegumentis ſupra partem anteriorem & internam Genu diſperguntur.

311. Anteriores horum Ramorum ſupra Faſciam Latam ſive AponevroſinCruralem excurrunt, & Nervos Cutaneos uſque ſupra Genu formant.

312. Interni juxta longitudinem Tendinis Muſculi Sartorii uſque ad ipſius Inſertionem in Tibia excurrentes idem faciunt, ubi itidem in Tegumentis diſperguntur. Quandoque unus reperitur, qui uſque ad Malleolum internum & uſque ad Dorſum Pedis excurrit.

313. Funiculus deinde Cruralis in magnum numerum Ramulorum dividitur, qui deſcendunt, & in Muſculis anterioribus, Gracili ſcilicet ſive Recto anteriore, duobus Vaſtis & Cruraeo diſtribuuntur, & in decurſu ſuo Muſculo Tricipiti quoque, Sartorio, imo etiam Gracili interno atque Semi-Nervoſo Ramulos praebent.

314. Ramulum largitur, qui interius inter Muſculos Sartorium atque Tricipitem, Vaſa Cruralia uſque ad partem Femoris mediam ſequens, deſcendit.

315. Hic Ramulus deinde ad Tegumenta accedit, & juxta totam longitudinem retro Muſculum

lum Sartorium, eidem plura Fila largiens, excurrit, atque ſemper iter ſuum retro Tendinem hujus Muſculi ad ipſius Inſertionem inferiorem uſque continuat.

316. Poſtquam idem hic Ramulus ad Tibiam pervenit, ad Venam Saphenam accedit, & fere eandem quam haec Vena viam uſque ad Malleolum internum ſequitur, ubi multa Fila Cutanea largitur.

317. In parte tandem ſuperiore interna Pedis in Ramuſculos diviſus finitur, ubi unus ex maxime anterioribus ipſius Ramuſculis Venae Saphenae quaſi agglutinatur.

NERVUS ISCHIADICUS.

318. Craſſus Funiculus Nervi Iſchiadici, eo quo ſupra dictum eſt modo formatus, aut quemadmodum quandoque etiam contingit, a duobus ultimis Paribus Lumbaribus & a tribus prioribus Paribus Sacris formatus, oblique retrorſum infra magnam Inciſuram Oſſis Ilii, & infra Muſculum Pyramidalem ſive Pyriformem repit.

319. Hinc inter Muſculum Pyriformem atque Gemellum minorem ſuperiorem incedens, e Pelvi egreditur. Mox ante Muſculum Pyriformem, & ſtatim poſtea retro duos Muſculos Gemellos & Muſculum Quadratum Femoris, iisdem Fila praebens, excurrit.

320. Poſtmodum inter Tuberoſitatem Oſſis Iſchii & Trochanterem majorem, juxta longitudinem partis poſterioris internae Oſſis Femoris, inter

inter Muſculum Bicipitem & Semi-Nervoſum, uſque verſus Cavum Poplitis, ad Condylum internum parumper accedendo, deſcendit. In decurſu Muſculis hiſce atque Tricipiti Ramulos ſubminiſtrat, ipſiusque craſſities, ea proportione qua deſcendit, imminuitur.

321. E Pelvi egrediens ſtatim Ramulum dat, qui inter extremitates ſive Portiones Ligamenti Iſchiadici excurrit, & ad Anum, ad Perinaeum, ad Partes Naturales &c. ſe confert. Ramulus hic cum Ramulo peculiari unitur, quem tertium Par Sacrum huc ablegat, quique etiam ibidem, uti ſupra annotavimus, diſtribuitur.

322. Inter Tuberoſitatem Iſchii & Trochanterem majorem excurrens, duos Ramulos producit, quorum unus in Muſculo Glutaeo majori diſtribuitur, atque alter pro duobus reliquis Muſculis Glutaeis in duos dividitur.

323. Infra magnum Trochanterem, ubi Nervus Iſchiadicus Cruralis vocari poteſt, Ramulum retrorſum mittit, qui cum Vena Iſchiadica deſcendit, & in Tegumentis ad medium uſque Surae diſtribuitur. Ramulus hic quandoque inferius magis verſus Malleolum externum excurrit.

324. Poſtquam Funiculus Nervi Iſchiadici ad Cavum Poplitis pervenit, ubi communiter Nervi Poplitei nomen accipit, in duos Ramos findi incipit, qui ab initio inter extremitates carnoſas Bicipitis minoris & Semi-Nervoſi ſe invicem comitantur, & deinde pedetentim, retro Condylos Femoris inter extremitates ſuperiores Muſculorum

lorum Gaſtrocnemiorum ſive Gemellorum majorum rependo, a ſe invicem diſcedunt.

325. Unus horum duorum praecipuorum ſive primariorum Nervi Iſchiadici Ramorum internus atque craſſus, alter externus atque minus craſſus exiſtit. In toto Crure diſtribuuntur, & in hocce decurſu Nervi Iſchiadici Crurales appellari poſſunt.

326. Craſſus Nervi Iſchiadici Cruralis, alias Iſchiadici Cruralis interni, aut, ſi mavis, Nervi Poplitei interni Ramus, retro Muſculum Popliteum ad latus Muſculi Tibiaei gracilis, qui communiter Plantaris dicitur, & inter Muſculos Gaſtrocnemios ſive Gemellos majores deſcendit.

327. Craſſus hic Ramus Iſchiadicus poſtmodum extremitatem ſuperiorem Muſculi Solaei perforat, & inter hunc Muſculum atque magnos Muſculos Flexores communes Digitorum Pedis, uſque ad extremitatem inferiorem Tibiae, verſus Malleolum internum repit.

328. In hocce trajectu parvos Ramulos ad Articulationem Genu, ad Muſculum Gaſtrocnemium ſive Gemellum internum, ad reliquos Muſculos antea indicatos, & ad Tegumenta uſque verſus inferiora ablegat.

329. Praeter parvos hos Ramulos majorem verſus ſuperiora mittit, cujus Filum Muſculum Tibiaeum poſteriorem petit, atque aliud Ligamentum Interoſſeum perforat, & in extremitate ſuperiore Tibiaei anterioris diſtribuitur.

330. Antequam magis verſus inferiora deſcendit,

dit, ſtatim e latere externo Ramulum longum de ſe ſpargit, qui in parte poſteriore Cruris inter Tegumenta & Muſculum Gemellum externum, ad latus Venae Iſchiadicae ſive Saphenae externae deſcendit.

331. Longus hicce Ramulus in decurſu Rami Iſchiadici externi ſive parvi Iſchiadici Ramulo occurrit, & cum eodem unitur, in utrumque latus uſque verſus inferiora Fila de ſe ſpargit, & poſtquam Tendini Achillis quaedam largitus eſt, retro & infra Malleolum externum excurrit.

332. Idem Ramulus tandem ad latus Pedis externum ſe confert, ubi in Tegumentis & in Muſculis vicinis diſtribuitur, & in duobus minimi Digiti Pedis lateribus atque in latere externo quarti Digiti Pedis finitur.

333. Craſſus Ramus Iſchiadicus, qui etiam Iſchiadicus Tibialis vocari poteſt, poſt diverſos hoſce Ramuſculos retro Malleolum internum Ligamentum Annulare peculiare tranſit, inferius magnam Inciſuram ſive Fornicem lateralem Calcanei, ab initio inter Os & Muſculum Thenarem, poſteaque inter Os & extremitatem ſive Inſertionem poſteriorem Muſculi Flexoris brevis communis Digitorum Pedis rependo, petit.

334. In hoc loco, poſtquam parva Fila ad partes hujus trajectus circumjacentes ablegavit, in duos Ramulos, qui Nervi Plantares dicuntur, unum internum qui craſſiſſimus eſt, alterumque externum, dividitur.

335. Nervus Plantaris internus proportionate in Pede, uti Nervus Radialis in Manu diſtribuitur. Statim

Statim juxta longitudinem lateris interni Plantae Pedis excurrit, Muſculo Thenari, Flexori brevi communi Digitorum Pedis, & Muſculo Auxiliari Lumbricorum Fila praebet.

336. Quatuor deinde Ramulos pro partibus lateralibus concavis ſive inferioribus trium priorum Digitorum Pedis, & pro parte laterali vicina quarti Digiti Pedis largitur. Primus horum Ramulorum ſive Nervorum ad latus internum primi ſive maximi Digiti Pedis ſe confert. Secundus pro lateribus vicinis primi & ſecundi Digiti Pedis in duos finditur. Tertius Nervus pro ſecundo atque tertio Digito Pedis ſimilem Furcam format. Quartus Nervus etiam pro partibus lateralibus vicinis tertii & quarti Digiti Pedis in Furcam abit.

337. Nervi hi in utroque latere occurſu eorundem extremitatum in apice cujuslibet Digiti Pedis invicem communicant, & quatuor Nervi in tranſitu Muſculis Lumbricalibus, Interoſſeis, Ligamentis & Tegumentis vicinis Fila praebent.

338. Nervus Plantaris externus ſive parvus Plantaris inter Muſculum Auxiliarem Lumbricalium & Flexorem brevem communem Digitorum Pedis, hiſce Muſculis, Interoſſeis & Hypothenari minimi Digiti Pedis Fila ſuppeditans, excurrit. Poſtmodum in duos Ramulos dividitur.

339. Primus Ramulus verſus Interſtitium duorum ultimorum Digitorum Pedis ſe confert, ubi pro partibus lateralibus inferioribus vicinis horum duorum Digitorum Pedis in Furcam abit. Al-

ter Ramulus partem lateralem inferiorem externam minimi Digiti Pedis petit.

340. In hocce tranſitu Nervus Plantaris externus uti reliqui Aponevroſi Plantari, Ligamentis atque Tegumentis proſpicit.

341. Parvus Ramus Iſchiadicus ſive Iſchiadicus externus, qui etiam Iſchiadicus Peronaeus vocatur, extrorſum ſupra Caput Oſſis Fibulae ſe confert. In plures Ramulos dividitur, quorum tres aut quatuor primarii ſunt, unus ſcilicet poſterior, unus anterior ſuperior, unus anterior internus, & unus anterior externus.

342. Ramulus poſterior juxta totam longitudinem inter Fibulam atque Tegumenta uſque ad Malleolum externum deſcendit, & in partibus lateralibus externis Pedis, poſtquam in itinere plura Fila Cutanea ſubminiſtravit, finitur.

343. Verſus medium Fibulae parvum Ramulum emittit, qui Ramulo peculiari craſſi Rami ſive Rami Tibialis Nervi Iſchiadici obviam fit, cum quo Ramulo unitur, atque diſtributionem, de qua ſuperius occaſione craſſi Rami dictum fuit, efficit.

344. Poſtquam Ramulus parvi Rami Iſchiadici poſterior ad Malleolum externum pervenit, pauxillum ſupra Pedem aſcendit, & verſus radicem quarti Digiti Pedis ſe confert, ubi praecipue in duos parvos Nervos ſive Ramulos ſecundarios dividitur.

345. Unus horum Ramulorum ſecundariorum ſuperius pro partibus lateralibus vicinis tertii

&

& quarti Digiti Pedis in Furcam abit. Alter partem lateralem externam quarti Digiti Pedis petit, ubi etiam Ramulo Nervi Plantaris externi, qui in duobus ultimis Digitis Pedis diſtribuitur, occurrit.

346. Poſt Ramulum poſteriorem, parvus Ramus Iſchiadicus extrorſum ſupra Caput Fibulae excurrit; & poſtquam Fila quaedam Muſculis Gaſtrocnemiis atqne Solaeo praebuit, extremitatem ſuperiorem Muſculi Peronaei longi a poſteriori antrorſum transgreditur.

347. Locum huncce transgreſſus, inter Os atque Muſculum repit; & anterius adhuc plura parva Fila ad partes vicinas mittit; poſtea tres reliquos Ramulos ſupra indicatos, qui ſequentem in modum diſtribuuntur, producit.

348. Ramulus anterior ſuperior pauxillum transverſim inter Caput Oſſis Fibulae atque extremitatem ſuperiorem Muſculi Extenſoris longi communis Digitorum Pedis excurrit; & poſtquam huic Muſculo & Extenſori longo Pollicis Fila ſubminiſtravit, in extremitate ſuperiore Muſculi Tibiaei anterioris diſtribuitur, atque ad Tegumenta vicina Fila ablegat.

349. Ramulus anterior internus juxta longitudinem Faciei anterioris Ligamenti Interoſſei, inter Muſculum Extenſorem longum Pollicis atque Muſculum Tibiaeum anteriorem, in utroque latere hiſce Muſculis Fila largiens, deorſum repit.

350. Deinde ſub Ligamento Annulari Muſculorum Extenſorum, retro Extenſorem Pollicis

 excurrit,

excurrit, & partem Pedis ſuperiorem, infra Muſculum Extenſorem brevem communem Digitorum Pedis rependo, petit. In decurſu Muſculo huic & primis Muſculis Interoſſeis ſuperioribus Fila ſuppeditat.

351. Poſtquam tandem mediante Filo cum Ramulo anteriore externo, qui ſequitur, communicavit, in partibus lateralibus vicinis duorum priorum Digitorum Pedis ſeſe diſtribuendo finitur.

352. Ramulus parvi Rami Iſchiadici anterior externus inter Os Fibulae atque Muſculum Peronaeum longum, & deinde inter Muſculum Peronaeum medium & Extenſorem longum communem Digitorum Pedis, iisdem uti etiam Ligamentis vicinis ad convexitatem Pedis uſque Fila largiens, deſcendit.

353. Poſtquam in hocce decurſu duas circiter tertias Cruris partes emenſus eſt, & verſus magnum Ligamentum Annulare pervenit, verſus anteriora ſe confert, & ſupra illud excurrit. Ibi in duas portiones dividitur, quarum una verſus Pollicem, alteraque verſus ultimos Digitos Pedis ſe confert.

354. Prima hujus Ramuli portio parti laterali internae Pollicis ſive magno Digito Pedis Nervum ſuppeditat, poſtmodum in Tegumentis vicinis convexitatis Pedis, tandemque in partibus lateralibus vicinis Pollicis & ſecundi Digiti Pedis diſtribuitur.

355. Altera portio, quae verſus ultimos Digitos

gitos Pedis ſe vertit, ſtatim cum Filo primae portionis unionem inſtituit, poſteaque adhuc cum Filo Ramuli anterioris interni unitur.

356. Unio haec mox denuo pro partibus lateralibus vicinis duorum reliquorum Digitorum Pedis, & pro Tegumentis dividitur. Unum ejusdem hujus unionis Filum etiam Ramulo craſſi Rami Iſchiadici occurrit, & cum eodem unitur.

MAGNI NERVI SYMPATHICI, NERVI INTERCOSTALES communiter dicti.

357. Communiter ſtatuunt quemlibet horum Nervorum per Filum ſexti Paris Medullae Oblongatae, & per duo Fila quinti initium ſumere; haecque Fila ab initio Nervum admodum gracilem componere, qui regreditur, ut e Cranio per Canalem Oſſeum Apophyſis Petroſae Oſſis Temporum egrediatur, quique quo magis deſcendit, eo craſſior evadit.

358. Aſt poſtquam putatam horum Filorum originem cum attentione examinavi, eadem potius a Baſi Cranii cum Carotide interna aſcendere, & a poſteriori antrorſum excurrere, quo ſeſe ſexto atque quinto Pari aſſocient, mihi viſa ſunt; & Angulum eorundem unionis cum hiſce duobus Paribus verſus anteriora verſum, atque adeo acutum inveni, ut non pro Nervis Recurrentibus haberi poſſint.

359. Cum ab hoc tempore, id eſt, abhinc

viginti fere annis eandem hujus Anguli diſpoſitionem in cunctis, quos diſſecui, ſubjectis invenerim, ſemper in ea verſatus ſum opinione, quod id, quod tanquam prima Radix & tanquam ſpecies Trunci a Nervo, Intercoſtali dicto, deſcendentis conſideratum fuit, non niſi Ramus ejusdem aſcendens ſit, qui in Cranium intrans in Fila divideretur, ſeſeque mediantibus hiſce Filis duobus Paribus indicatis arcte aſſociaret.

360. Obſervatio peculiaris, quam Dn. Petit Medicinae Doctor cum Academia Regia Scientiarum de diverſa craſſitie portionum Nervi ſexti Paris communicavit, in quantum Nervum hunc anterius inter Filum putati Intercoſtalis atque Orbitam, craſſiorem quam poſterius inter idem Filum atque originem ſexti Paris invenit, plane demonſtrativa videtur. Experimenta ipſius de reali hujus Nervi in Organo Viſus cooperatione magis adhuc id confirmant.

361. Nervi hi communiter Intercoſtales vocantur. Nomen hoc nequaquam eorundem ſitui, neque extenſioni eorundem decurſus reſpondet, quemadmodum poſtea pateſcet. Illud magnorum Nervorum Sympathicorum, ob eorundem cum quamplurimis aliis primariis totius Corporis Humani Nervis communicationes admodum frequentes iisdem melius convenire credidi.

362. Duo hi Nervi in genere juxta totam longitudinem partium lateralium Corporum cunctarum viginti quatuor Vertebrarum, immediate ante Radices earundem Apophyſium Transverſarum,

ſarum, & juxta longitudinem partium lateralium Faciei internae Oſſis Sacri ſiti ſunt.

363. In tota hacce extenſione duos Funiculos diviſos, & per magnum numerum parvorum Tumorum Gangliformium per intervalla quaſi interruptos praeſentant, mediantibus quibus poſterius cum Gangliis Medullae Spinalis per Fila collateralia admodum brevia communicationem alunt, & anterius cunctos eorundem Ramuſculos peculiares producunt.

364. Tumores hi Gangliformes, ſive Ganglia, plus minusve volumine, colore & conſiſtentia differunt; atque ceu totidem origines ſive germina a magno hoc Pari Nervorum Sympathicorum diſperſa, & per conſequens ceu totidem parva Cerebra conſiderari poſſunt. In Tractatu de Capite fuſius de iisdem loquar, hicque tantum diſtributionem horum Nervorum, & decurſum eorundem Ramuſculorum ſequar.

365. Reſpectu numeri Gangliorum, ſufficit eadem in genere, fere uti Nervos Vertebrales, in Cervicalia, Dorſalia, Lumbaria & Sacra diſtribuere, absque ut numerus eorundem in ſpecie determinetur.

366. Primum Ganglion Cervicale ratione magnitudinis atque craſſitiei omnium Gangliorum quam maxime notabile eſt, aſt ratione conſiſtentiae contrarium obtinet. Tumorem Olivarem admodum oblongum & parumper molliusculum apprime praeſentat. Juxta longitudinem ante radicem trium priorum Vertebrarum

Colli, & immediate retro Pharyngem ſitum obtinet.

367. Ganglion hoc ex ſuperiore ſua extremitate ſive vertice ſpeciem Nervi tenuis & molliusculi producit, qui cum Arteria Carotide interna ejusdem lateris in Canali Oſſeo Apophyſis Petroſae Oſſis Temporum aſcendit.

368. Nervus hic poſt ſuum in Canalem Oſſeum introitum in plura Fila Plexiformia dividitur, quae Arteriam Carotidem in eodem tranſitu circumdant, illiusque curvaturas ad introitum uſque in Cranium comitantur. Arteriae arcte admodum adhaerent, atque itidem uti eorundem Trunci admodum tenera ſunt, & ſaepe neque conſiſtentia neque colore Filorum Nerveorum gaudent, quoniam pauxillum ſubrubicunda, & quandoque mucilaginoſa quaſi ſunt. Cave ne dilaceratas quasdam Durae Matris portiones eundem Canalem Oſſeum inveſtientes pro Filis his Plexiformibus habeas.

369. Ex Filis hiſce duo aut tria praecipua inveniuntur, quae non niſi ſimplex parvi Trunci diviſio eſſe videntur, quaeque in introitu in Cranium denuo colliguntur, parvumque Truncum Trunco inferiori firmiorem formant. Parvus Truncus ſuperior ſtatim poſt in Fila dividitur, quorum unum cum Nervo ſexti Paris unitur, reliquaque quinto, quemadmodum ſupra indicatum eſt, ſe aſſociant. Filum quod ſextum Par petit, quodque ordinarie ſimplex tantum exiſtit, uſque ad ipſius cum ſexto Pari unionem diviſum penitus aut duplex inveni.

370. Immediate infra Orificium inferius magni Canalis Apophyſis Petroſae Oſſis Temporum, uſque ad inferiora Condyli Occipitalis ejusdem lateris, id eſt, ad apicem uſque primi Ganglii Cervicalis, parvus Truncus aſcendens minus molliuſculus, & parumper robuſtior quam in Canali exiſtit.

371. Primum Ganglion Cervicale conſiſtentia mediocri gaudet, atque Trunco octavi Paris ſive Nervo Sympathico medio per plura parva Fila communicationis arcte adhaeret.

372. In utroque latere quoque mediantibus Ramis brevibus cum nono & decimo Pari Medullae Oblongatae cum primo, ſecundo, & quandoque tertio Pari Cervicalium, imo etiam cum Ramo, quem octavum Par ad Laryngem ablegat, communicationem alit.

373. In decurſu Pharyngi, parvis Muſculis vicinis atque Arteriae Carotidi Fila largitur, a qua Vaſa Capillaria admodum ſubtilia, in inflammationibus vero ſatis apparentia accipit; quae Vaſa Reticuli ſubtilis ſpeciem cum Filis Nerveis formant.

374. Filum tandem Nerveum admodum longum deorſum mittit, quod verſus Pectus cum aliis ſeſe uniendo deſcendit, de quo in ſequentibus ſermo erit.

375. Poſtea Ganglion in Funiculum ſive Truncum admodum tenuem inferius deſinit, qui ſupra Muſculos Vertebrales anteriores Colli deſcendit, eandem quam octavum Par atque Arteria Carotis ejusdem lateris, viam ſequens, cum quibus per Expanſiones Membranaceas ceu in ſpecie Vagi-

nas

nae ad ultimam Colli Vertebram uſque ligatus eſt.

376. In hocce Trajectu Truncus ſive Funiculus deſcendens in latere externo ſive poſterius cum tertio, quarto, quinto & ſaepe ſexto Pari Cervicalium, mediantibus Ramis brevibus & plus minusve obliquis, a quibus ea proportione, qua deſcendit, pauxillum craſſior fieri videtur, communicat.

377. In locis harum communicationum in Trunco ſive Funiculo parva Ganglia, quae in quibusdam ſubjectis fere inſenſilia ſunt, reperiuntur. Admodum difficile eſt quaenam horum Ramorum extremitas ipſorum origo, & quaenam ipſorum inſertio ſit, determinare.

378. In latere interno ſive anterius Truncus duo aut tria Fila ablegat, quae oblique verſus Arteriam Aſperam, quo in Pectus intrent, deſcendunt. Filum inde infra primum Ganglium Cervicale abſcedit, quod Filum ante Arteriam Carotidem excurrit, cum octavi Paris Filo unitur, & cum eodem parvumFuniculum peculiarem format.

379. Parvus hic Funiculus ante Venam Subclaviam deſcendit, magisque inferius cum Filo, quod retro Arteriam Subclaviam oritur, itidemque deſcendit, quemadmodum in ſequentibus videbimus, unitur. In decurſu Fila ad Oeſophagum partesque vicinas mittit.

380. Poſtquam Truncus e regione ultimae Vertebrae Colli pervenit, parvum Ganglion, quod ultimum Ganglion Cervicale ſive Ganglion Cervicale

vicale inferius dicitur, format. Parvum hoc Ganglion admodum firmum, & quandoque duplex eſt.

381. Statim poſt Truncus ſeſe ab interiori extrorſum verſus primae Coſtae radicem, retro Arteriam Subclaviam vertit, ubi aliud Ganglion majus format, quod primum Ganglion Thoracicum ſive Dorſale vocatur.

382. Duo haec Ganglia cum non niſi per parvam Trunci portionem, quae admodum brevis & quandoque duplex eſt, quaeque quibusdam in ſubjectis ſpeciem parvi Plexus retro Arteriam Subclaviam format, a ſe invicem ſeparata ſint, ſibi admodum vicina, acſi ſe attingere vellent, exiſtunt.

383. A parte anteriore ultimi Ganglii Cervicalis parvus Funiculus Nerveus procedit, qui ante Arteriam Subclaviam excurrit, inferius quoque incurvatur, & in vertice primi Ganglii Dorſalis finitur, ita ut Anſa Nervea inde exurgat, quae Arteriam Subclaviam amplectitur.

384. Duo haec Ganglia mediantibus Ramis brevibus & plus minusve obliquis cum Nervis Vertebralibus vicinis, cum ſexto ſcilicet & ſeptimo Pari Cervicalium, & quandoque cum quarto mediante longo Filo, quod ab eodem deſcendit, communicationem alunt. Primum Ganglion Dorſale cum primo Pari Dorſali quoque communicat.

385. Ultimum Ganglion Cervicale (quandoque primum Dorſale) Filum communicationis deorſum ad magnum Nervum Recurrentem octavi Paris ablegat, & ex hac unione Filum pullulat, quod retro Truncum communem Arteriae Axillaris

laris atque Arteriae Carotidis excurrit, cum Filo octavi Paris unitur, & compoſitionem implicationis, quae Plexus Pulmonalis dicitur, intrat.

386. A parva Trunci portione Plexiformi, quae ultimum Ganglion Cervicale atque primum Dorſale retro Art iam Subclaviam invicem jungit, Filum peculiare deſcendit, quod cum parvo Funiculo communi magni Sympathici atque octavi Paris unitur, qui Funiculus ante Subclaviam, quemadmodum ſuperius indicavimus, deſcendit. Plexum Cardiacum invicem componunt.

387. In latere dextro Filum hoc verſus Ventriculum Cordis ejusdem lateris deſcendit, & inter Aortam atque Arteriam Pulmonalem repit, ubi poſtmodum cum quibusdam Filis Nervi Recurrentis ſiniſtri octavi Paris communicationem alit.

388. In latere ſiniſtro Filum ab ultimo Ganglio Cervicali, atque aliud a primo Ganglio Thoracico ſive Dorſali procedit, quae etiam invicem uniuntur, quaſi ſpeciem Anſae formare vellent, quam tamen nihil tranſit.

389. Ex hacce unione ſive Anſa Nervus peculiaris exurgit, qui inter Arcum ſive Curvaturam Aortae Ramumque Arteriae Pulmonalis ſiniſtrum deſcendit, ubi cum Filo octavi Paris communicat, & conjunctim cum ſimilibus unionibus atque communicationibus lateris dextri Plexum Gangliformem efficit.

390. A Gangliformi hoc Plexu, qui pro ortu ſive origine Plexus Cardiaci ſuperioris haberi poteſt, quamplurima Fila deſcendunt, quae ſupra Truncos

coſ magnorum Vaſorum Sanguiferorum, ſupra Auriculas & ſupra Ventriculos Cordis ſeſe expandunt.

391. Primaria horum Filorum retro Aortam in Texto Celluloſo inter eandem atque Truncum Arteriae Pulmonalis repunt, ubi in multos Nervos graciles dividuntur, qui ante & retro Aortam excurrunt, quo ſupra Cordis Baſin & ſupra Auriculas expandantur.

392. Fila quae a Trunco ipſo inter primum atque ultimum Ganglion Cervicale deſcendunt, in Pectore cum ultimi Ganglii Cervicalis atque primi Ganglii Thoracici ſive Dorſalis Filis uniuntur atque implicantur, quo ad formationem Plexus Cardiaci, & ex parte ad iſtam Plexus Pulmonalis concurrant.

393. Longum primi Ganglii Cervicalis Filum huc etiam contribuit. Juxta longitudinem lateris interni Trunci deſcendit, & deinde cum Filis ultimi Ganglii Cervicalis, cum iſtis primi Ganglii Dorſalis & cum magno Nervo Recurrente unitur.

394. Ex unionibus hiſce in multis ſubjectis Funiculus peculiaris formatur, qui retro Aortam pari Funiculo alterius lateris obviam fit. Duo hi Funiculi ſpeciem Trunci ſecundarii tranſverſum digitum longitudine circiter aequantis, invicem efficiunt, a quo a dextris atque ſiniſtris & ex medio plura Fila procedunt, quae in vicinis partibus diſtribuuntur.

395. A primo Ganglio Dorſali Truncus juxta totam longitudinem ante Caput atque Collum cunctarum Coſtarum ſupra Ligamenta earundem Articu-

Articulationum cum Vertebris deſcendit. Super ultima Coſta Spuria parvum flexum inſtituit, atque verſus Corpus Vertebrarum propius accedit.

396. In hocce deſcenſu Truncus inter quamlibet Coſtam parvum Ganglion format, atque poſterius inter quamlibet Coſtam per duo parva Fila admodum brevia & plus minusve obliqua cum Nervo Coſtali ſive Dorſali vicino communicationem alit.

397. Unum horum duorum Filorum communicationis altero obliquius atque ſaepe gracilius exiſtit; unum retrorſum verſus Ganglion Nervi Coſtalis ſive Dorſalis vicini ſeſe confert, alterumque ſupra Caput Coſtae procedit, quo Truncum Nervi Sympathici petat; id quod efficit, ut ſaepe unum horum duorum Filorum altero anterius magis longiusque eſſe videatur.

398. A medio hujus in Thoracem deſcenſus ad ultimam Dorſi Vertebram uſque, Truncus ordinarie quinque Ramos oblique deorſum ſupra partem lateralem & verſus partem anteriorem Corporum Vertebrarum mittit.

399. Quatuor priores quinque horum Ramorum obliquorum ordinarie a quinto, ſexto, ſeptimo & octavo Ganglio Thoracico veniunt; & ultimus eorundem horum Ramorum a pluribus Gangliis ſequentibus originem ſuam ducit. Primus longiſſimus atque ultimus craſſiſſimus eſt.

400. Cuncti hi Rami quo magis deſcendunt, eo magis ad ſe invicem accedunt, uſque ad latus ultimae Vertebrae Dorſi, ubi invicem uniuntur,

atque

atque craſſum Funiculum brevem inſtar Funiculi collateralis formant, qui portionem lateralem ſuperiorem Muſculi inferioris Diaphragmatis, Faciei ipſius ſuperiori Fila quaedam largiens, perforat.

401. Poſtquam craſſus hic Funiculus ſive Truncus collateralis infra Diaphragma pervenit, & poſtquam Fila quaedam Faciei ipſius inferiori praebuit, retro Glandulam Supra-Renalem ſpeciem Ganglii irregularis, longiuſculi & incurvati producit, quod Ganglion ſive Plexus Semilunaris vocatur.

402. Convexitas hujus Plexus ſive Ganglii Semilunaris oblique retrorſum atque deorſum, concavitas antrorſum & ſurſum vertitur. Unum ipſius Cornuum ſurſum, & alterum antrorſum ſpectat; ita ut Ganglion Semilunare lateris dextri illudque lateris ſiniſtri mediantibus ſuis Cornibus inferioribus ſibi mutuo obvertantur.

403. Duo Ganglia Semilunaria magni Nervi Sympathici, ſcilicet illud lateris dextri & illud lateris ſiniſtri, retro Ventriculum ſupra Arteriam Coeliacam invicem communicant. Cum octavo quoque Pari ſive Nervo Sympathico medio, praecipue mediante Funiculo Stomachico poſteriore ejusdem Paris communicationem alunt.

404. Ex reciproca duorum horum Gangliorum Semilunarium communicatione ſpecies Plexus intermedii formatur, qui Arteriam Coeliacam ex parte amplectitur, & ex parte in Meſocolo diſpergitur.

405. Ganglion Semilunare lateris dextri cum magna portione vicina Plexus Coeliaci, & qui-

busdam Plexus Stomachici Filis,implicationem notabilem, quae Plexus Hepaticus appellatur, format.

406. Poſtquam Plexus Hepaticus cum Filis quibusdam Nervi Diaphragmatici communicavit, plura Filā Nervea producit, quae Arteriam Hepaticam & Venam Portae inſtar Vaginae Reticulatae ampleċtuntur, atque Ramos horum Vaſorum in tota Hepatis Subſtantia comitantur. Plexus Hepaticus quoque Veſiculae Fellis, Duċtibus Biliariis, Duodeno, Pancreati, & Glandulis Supra-Renalibus proſpicit.

407. Ganglion Semilunare ſiniſtrum, a Funiculo anteriore ſive Trunco collaterali lateris ſiniſtri formatum, plures Ramulos generat, qui Plexum Splenicum eodem fere modo uti ſupra componunt.

408. Poſtquam Plexus Splenicus cum Plexu Hepatico, & mediante Plexu Stomachico cum oċtavo Pari communicavit, Arteriam Splenicam ampleċtitur, Pancreati proſpicit, & in Liene tandem diſtribuitur.

409. Ganglion Semilunare ſiniſtrum quandoque ab alio Ganglio peculiari comitatur, quod Lieni Fila praebet.

410. Quodlibet Ganglion Semilunare e convexitate ſua Ramulos largitur, qui Filis priorum Gangliorum Lumbarium junċti, implicationem, quae Plexus Renalis dicitur, formant, qui Arteriam Renalem ampleċtitur, in Renibus, atque in Glandulis Supra-Renalibus diſtribuitur, & Filum aut plura ablegat, quae Vaſa Spermatica comitantur.

411. Idem Plexus Renalis quoque cum Ganglio Semilunari ad formationem magni Plexus Meſenterici concurrit, & per plura Fila cum Plexu Coronario Stomachico communicationem alit.

412. Iſte lateris dextri in ſpecie cum Plexu Hepatico, iſte lateris ſiniſtri cum Plexu Splenico, & quilibet mediantibus duobus Filis cum vero Trunco, ad latus duarum priorum Vertebrarum Lumbarium communicat. Portio haec Trunci primarii communiter Funiculus inferior Nervi Intercoſtalis appellatur.

413. Duo Ganglia Semilunaria, dextrum ſcilicet atque ſiniſtrum, ſibi mutuo Faſciculos Nerveos mittunt, qui implicantur, & unione ſua ſpeciem Ganglii plani ſive implicationem Plexiformem, immediate infra Diaphragma, ante Symphyſin ultimae Dorſi Vertebrae cum prima Lumborum formant.

414. Ab hacce unione Plexiformi, quae communiter Plexus Solaris vocatur, plura Fila abſcedunt, quae Radiorum inſtar in Meſocolo & in Meſenterio diſperguntur. Diaphragma quoque inde dotatur.

415. Quamplurima adhuc alia Fila inde oriuntur, quae cum Filis ab his ablegatis, ſpeciem Vaginae, Capſulae ſive Involucri Nervei circum Arteriam Meſentericam ſuperiorem formant, & in eadem omnes ipſius Ramuſculos uſque circum Inteſtina, Glandulis quoque Meſentericis proſpiciendo, includunt. Id quod Plexus Meſentericus ſuperior ſalutatur, qui praecipue a Plexus Hepa-

 tici,

tici, Plexus Renalis atque Ganglii Semilunaris lateris dextri Filis provenit.

416. Plexus Meſentericus ſuperior in ſua origine juxta longitudinem Aortae, retro portionem deſcendentem Meſocoli ab Arteria Meſenterica ſuperiore uſque ad Arteriam Meſentericam inferiorem, plura Fila ſive Faſciculos Nerveos diverſimode implicatos deorſum mittit, unde itidem Involucrum Nerveum oritur, quod Arteriam Meſentericam inferiorem, ipſiusque Ramuſculos uſque in Inteſtina eodem modo amplectitur. Id quod Plexum Meſentericum inferiorem ſalutarunt.

417. Faſciculi Nervei deſcendentes, qui inter duas Arterias Meſentericas ſunt, quique Faſciculi Poſt-Meſenterici appellari poſſunt, Fila quaedam communicationis ab utroque Plexu Renali accipiunt. Cum ipſo quoque magni Nervi Sympathici Trunco, mediantibus Filis quae a Gangliis Lumbaribus oblique deſcendunt, communicationem alunt. In utroque poſtmodum latere Filum Nerveum ſuppeditant, quod Vaſa Spermatica comitatur.

418. Poſtquam Faſciculi Poſt-Meſenterici Plexum Meſentericum inferiorem produxere, alios Faſciculos deorſum mittunt, qui ſupra extremitatem Aortae, retro flexum Coli inferiorem deſcendunt.

419. Inferiores hi Faſciculi partibus Peritonaeo vicinis fortiter annectuntur, & cum Filis ipſius Trunci utriusque lateris tertium Plexum formant,

mant, qui Plexus Infra-Meſentericus ſive Plexus Hypogaſtricus appellari poteſt.

420. Plexus infra-Meſentericus ſive Hypogaſtricus in extremitate S Romani ſive flexus Coli inferioris ante ultimam Vertebram Lumbarem in duo Ganglia plana finditur, quae initium Inteſtini Recti poſterius amplectuntur, indeque in hoc Inteſtino, in Veſica, in Vaſis Spermaticis diſperguntur, & poſtquam mediantibus Filis lateralibus cum utroque magni Nervi Sympathici Trunco communicarunt, Fila Nervea cunctis partibus in Pelvi contentis praebent.

421. Poſtquam Truncus magni Nervi Sympathici quinque illos Ramos Funiculum ſive Truncum collateralem componentes largitus eſt, tenuior evadit. Cum ad undecimam Dorſi Vertebram pervenit, ad Funiculum collateralem accedit, & uti ille partem lateralem Muſculi inferioris Diaphragmatis perforat.

422. Deinde antrorſum magis ſupra Corpora Vertebrarum procedit, & ſtatim poſt a Filis communicationis duorum ultimorum Parium Dorſalium craſſior redditur.

423. Ita inferiora verſus pergit, dum inter Muſculum Pſoam atque Tendines vicinos parvi Muſculi Diaphragmatis, ſupra partes laterales Corporum Vertebrarum Lumbarium atque Faciei anterioris Oſſis Sacri repit.

424. Ibi duo Trunci Sympathici, iſte ſcilicet lateris dextri atque ille lateris ſiniſtri pedetentim ad ſe invicem accedunt, & in extremitate Oſſis Sacri communi-

municationem in modum Arcus inverſi formant.

425. In hocce trajectu ordinarie duo Fila a quolibet Ganglio Nervorum Lumbarium & Sacrorum accipit, atque itidem parva Ganglia hiſce in locis inter quamlibet Vertebram format, quae partibus vicinis Fila praebent, atque alia quae cum Faſciculis Nerveis Plexuum Meſentericorum communicationem alunt.

426. Paria Filorum, quae a duobus aut tribus prioribus Gangliis Lumbaribus proficiſcuntur, parumper deſcendunt. Ea quae ſequuntur plus minusve proportionate aſcendunt. In tranſitu notandum, quod Vaſa Sanguifera Capillaria inter & juxta totam longitudinem Filorum cujuslibet Paris reperiantur.

427. Arcus inverſus ſive duorum Truncorum unio inferior conjunctim cum duobus ultimis Nervis Sacris Recto, Muſculis Elevatoribus Ani atque Muſculis Coccygis Fila praebet.

NOTA.

428. Magnus Nervus Sympathicus a prima Colli Vertebra ad extremitatem Oſſis Sacri uſque, mediantibus Filis cum omnibus Nervis Vertebralibus, quemadmodum jam dictum eſt, communicat. Aſt notabile eſt, quod Fila haec communicationis in Pectore, ubi Truncus Nervi Sympathici craſſus eſt, parva atque gracilia exiſtant, quodque infra Diaphragma, ubi Truncus craſſitie decreſcit, praecipue in Oſſe Sacro, ubi Truncus admodum tenuis exiſtit, robuſtiora ſint. Idem reſpectu Gangliorum Trunci, primo Ganglio Cervicali excepto, obſervandum eſt.

TRA-

TRACTATUS
SYNOPTICUS
PARTIUM
CORPORIS HUMANI,

Cum Enumeratione Arteriarum, Venarum atque Nervorum cujuslibet harum Partium; & Hiſtoria generali Tegumentorum. *

Corpus Humanum in genere ex Partibus firmis & Partibus liquidis compoſitum eſt. Partes firmae communiter Partium Solidarum, atque liquidae Fluidarum nomine veniunt. Partes firmae duplicis ſpeciei ſunt; quaedam durae, & plus minusve compactae exiſtunt; aliae molles atque plus minusve flexibiles ſunt.

2. Hiſtoria Partium firmarum primarium Anatomiae proprie dictae objectum eſt. Per Graecum huncce Terminum, qui originitus Diſſectio-

P 4

* NOTA In Praefatione rationem, cur hicce Tractatus huncce locum occupat, reperies.

ctionem ſignificat, nonſolum artificialis Corporis Humani Separatio, verum etiam methodica partium ſeparatarum Demonſtratio atque Deſcriptio intelligitur.

3. Hiſtoria Partium liquidarum in eadem non niſi incidenter & in tranſitu quaſi locum habet. De eadem Expoſitio peculiaris ſub nomine Phyſiologiae ſive Oeconomiae Animalis inſtituitur.

4. Anatomici communiter cunctas Corporis humani Partes Firmas ad certas Claſſes generales referunt, quae per Nomina ſive Terminos communes, ceu per totidem Denominationes genericas exprimuntur, quorum quam maxime ordinariae ſequentes ſunt: Os, Cartilago, Ligamentum, Fibra, Membrana, Vas, Arteria, Vena, Nervus, Muſculus, Glandula, Pinguedo, Viſcus, Organum, &c.

5. Veteres, qui partium Corporis humani generalem diviſionem ex ſola earundem ſtructurae forma externa ſtabilivere, quasdam earundem ſimilares ſive ſimplices; & reliquas organicas ſive compoſitas vocarunt. Ceu Terminos Anatomiae eosdem conſidero, quibus generaliter plures partes indicantur, quae eadem fere ſtructura gaudere videntur. Et quoniam ſaepe eorundem in hacce intentione mentio fit, hic in favorem Tyronum brevem eorundem, qui frequentius occurrunt, Explicationem appono.

EXPLI-

EXPLICATIO TERMINORUM ANATOMIAE QUAM MAXIME GENERALIUM.

6. *Os*. Partes duriſſimae, ſolidiſſimae, firmiſſimae atque quam maxime inflexibiles omnium earum e quibus Corpus Humanum componitur, Oſſa vocantur. Illorum ſpecialiora in Expoſitione quam in Tractatu peculiari Oſſium Siccorum & in iſto Oſſium Recentium tradidi, hauriri poſſunt.

7. *Cartilago*. Eſt materia albicans, atque aliquo modo Margaritae colorem referens, Oſſe minus dura, durior quam ulla alia Corporis pars, unita, polita, flexibilis & elaſtica, id eſt, quae, vi premente ceſſante, ſe in priſtinum ſtatum iterum reſtituere poteſt. Videatur Tractatus de Oſſibus Recentibus.

8. *Ligamentum*. Eſt Subſtantia alba, fibroſa, conſtricta, compacta, Cartilagine magis flexibilis & plicatilis, quae difficulter diſrumpi aut dilacerari, quaeque, quando trahitur, fere plane non aut admodum difficulter extendi poteſt. Fuſius de eodem, uti & de Cartilagine, in Tractatu de Oſſibus Recentibus locutus ſum.

9. *Fibra*. Nomen hoc generale Filis gracilibus imponitur, quae partes ſimpliciſſimae omnium reliquarum Corporis partium eſſe videntur, quaeque earundem diſpoſitione peculiari earumque diverſa connexione reliquas componunt. Fibrae reſpectu

P 5 ipſarum

ipſarum Subſtantiae differunt, ita ut vel Membranaceae, vel Carnoſae, vel Tendinoſae, imo etiam Oſſeae ſint. Ratione earundem Directionis, in rectas, in obliquas, in longitudinales, in transverſas, in circulares, in ſpirales dividuntur. Ratione earundem Voluminis, craſſae, ſubtiles, longae, breves dantur.

10. *Membrana*. Per huncce terminum Fibrarum in eodem Plano diſpoſitarum ſive implicatarum Textum flexibile intelligitur. Membranae, ſecundum majorem minoremve earundem Fibrarum ſubtilitatem, atque ſecundum earundem Planorum peculiarium pluralitatem plus minusve craſſae exiſtunt. Plana haec peculiaria Laminae audiunt, quae in externas, internas, medias, &c. diſtinguuntur.

11. Differentia Membranarum in genere a diverſitate Fibrarum, e quibus componuntur, dependet. Parvae Membranae portiones, inprimis quando portiones hae tenues ſunt, Pelliculae appellantur. Dantur Laminae Membranaceae, quae ſecundum extenſionem ipſarum ſuperficiei mediante Texto peculiari, ex hiſce Pellicularum ſpeciebus ſive portionibus Membranaceis & Fibroſis compoſito, invicem cohaerent. Textum Spongioſum ſive Textum Celluloſum vocatur.

12. *Vaſa*. Certi Tubi, Ductus ſive Canales plus minusve flexibiles & ductiles, e diverſis Membranis peculiaribus, quorum Strata ordinarie nomen Tunicarum gerunt, compoſiti, Vaſa ſalutantur. Inveniuntur quae in Ramos diviſa ſunt, atque adhuc in Ramulos & in Ramuſculos ſubdividuntur, quorum volumen, aſt absque cavitatis ſuae jactura, proportionate decreſcit.

13. Vaſa

13. Vaſa in genere ad certos liquores continendos inſerviunt; unde Vaſa juxta horum Liquorum differentiam nominantur, uti Vaſa Sanguifera, Vaſa Lactea, Vaſa Lymphatica, &c. Ultimae atque ſubtiles cunctarum ſpecierum Vaſorum extremitates in genere Vaſa Capillaria vocantur.

14. *Arteria. Vena. Sinus.* Vaſa Sanguifera duplicis ſpeciei ſunt: quaedam Sanguinem a Corde accipiunt, eumque in cunctis Corporis partibus diſtribuunt, & haec Arteriae audiunt. Quaedam Sanguinem a partibus recipiunt, eumque ad Cor revehunt. Haec Venae appellantur, & quaedam ex iisdem Sinus vocantur.

15. Arteriae Venis craſſiores exiſtunt, & exinde in cadavere diſſecto diſtinguuntur. Durante vita per certam vibrationem, quae Pulſus vocatur, ſeſe percipiendas praebent. Venae propius Corporis ſuperficiem quam Arteriae locantur.

* 15. Venae hoc inſuper peculiare habent, quod interius Valvulis, id eſt, parvis Sacculis Membranaceis, parietibus ipſarum cavitatis per intervalla annexis, praeditae ſint. Apertura harum Valvularum admodum lata eſt, atque magnam capacitatem portionis, cui quaelibet Valvula annectitur, reſpicit. Earundem fundus anguſtior exiſtit, & verſus parvam capacitatem ejusdem portionis vertitur. Quibusdam in locis ſimplices atque ſolitariae, & in aliis duplices, triplices &c. ſunt.

16. *Nervus.* Anatomici Funiculos albos e Cerebro, Cerebello atque Medulla Spinali oriundos, quique in omnibus Corporis partibus Filorum & Fila-

Filamentorum inſtar, & per ſpeciem Ramuſculorum expanduntur, Nervos vocant.

17. Quilibet Funiculus peculiaris ceu Vas Membranaceum, cujus Cavitas ab innumeris Septis Membranaceis, longitudinalibus atque Filis Medullaribus ſive Medulloſis inter haec Septa, ab una extremitate ad alteram uſque repletis, occupatur, conſiderari poteſt.

18. *Muſculus. Tendo.* Per primum terminum Fibrarum, quas Anatomici Fibras Motrices vocant, plus minusve longarum, rubrarum ſive rubicundarum Faſciculi intelliguntur.

19. Portio Fibrarum Motricium media primaria eſt, atque ab extremitatibus ſuis differt, quoniam ordinarie rubra, craſſa, molliuſcula eſt, atque contrahi ſive abbreviari poteſt, cum e contrario extremitates ejusdem hujus Fibrae albae, graciles, conſtrictae ſint & extendi nequeant.

20. Portio media Fibrae Motricis in ſpecie Fibra carnoſa appellatur, atque id, quod proprie Caro vocatur, format. Extremitates Fibrae Motricis in ſpecie Fibrae Tendinoſae audiunt, & Corpora quae formant, Tendines nominantur.

21. *Glandula.* Certa Glomera peculiaria & certae Maſſae ſive parvae molis Corpuſcula, ab omnibus reliquis Corporis Humani partibus, per ipſorum flexum, formam, conſiſtentiam, textum atque connexionem diſtincta Glandulae audiunt.

22. In genere ex Arteriis, Venis, Nervis & Vaſis collectis & ex Subſtantia peculiari, quae cuncta haec Vaſa diverſimode plicata, replicata, contorta, impli-

implicata & plus minusve in idem Involucrum Membranaceum coacta intime unit, compoſitae ſunt.

23. Earundem functio in genere eſt, ut a Sanguinis Maſſa mediantibus certis Vaſis propriis, quae Vaſa Secretoria dicuntur, certos Liquores ſeparent, qui ex iisdem ſive immediate, ſive per alia Vaſa propria, quae Vaſa Excretoria vocantur, profluunt, & in peculiaribus Receptaculis cumulantur, aut in Cavitates communes confluunt, aut extra Corpus pelluntur.

24. *Pinguedo. Medulla.* Duo hi termini admodum aequivoci ſunt. Subſtantia unctuoſa, molliuſcula, alba ſive flaveſcens, & plus minusve ſpiſſa, quae Cutim inter & Muſculos, in Interſtitiis Muſculorum, circum Viſcera &c. coacervata reperitur, quaeque ex parte e Texto ſpongioſo ſive Celluloſo, mere Membranaceo, & ex parte ex materia oleoſa plus minusve ſpiſſa componitur, in genere Pinguedo audit. Pinguedinis nomen in ſpecie materiae iſti oleoſae, de qua modo dixi, praecipue quando a Texto Celluloſo ſeparata eſt, imponitur. Ab Anatomicis quoque Corpus Pingue ſive Corpus Adipoſum ſalutatur.

25. Medulla non niſi ſpecies Pinguedinis eſt, & a Subſtantia quae communiter Pinguedo audit, ſubtilitate tantum Texti Membranacei, mollitie Materiae oleoſae, atque ſitu in Oſſibus ipſis differt. Terminus Medullae eadem ex ratione, uti modo reſpectu Pinguedinis dixi, aequivocus eſt.

26. *Viſcus. Organum.* Viſceris nomen communiter

niter partibus magnae cuidam Cavitati incluſis, absque ut mediante tota eorundem ſuperficiei ſive circumferentiae extenſione in eadem annectantur, tribuitur; qualia in Abdomine Ventriculus, Inteſtina, &c. & in Pectore Pulmones ſunt.

27. Terminus Organon, qui idem quod Inſtrumentum ſignificat, in genere toti parti, quae functionem quandam exercere poteſt, ſive pars haec magis, ſive minus compoſita ſit, convenit; exempli gratia Organon Viſus, Organa Reſpirationis, &c.

DIVISIO GENERALIS CORPORIS HUMANI.

28. Corpus Humanum ordinarie in Caput, in Truncum & in Extremitates dividitur. Truncus deinde in Collum, in Thoracem ſive Pectus, & in Abdomen ſive Infimum Ventrem; atque in Extremitates, in duas ſuperiores, quae in genere Brachia dicuntur, & in duas inferiores, quae in genere Crura vocantur, ſubdividuntur.

29. Veteres Corpus Humanum in tres magnas Cavitates, quas Ventres appellabant, & in quatuor Extremitates dividebant. Caput Ventrem ſuperiorem, Pectus Ventrem medium, & Abdomen Ventrem inferiorem ſive infimum vocabant. Ex tribus hiſce nominibus ultimum tantum retentum eſt. Reſpectu Colli, quidam illud ad Caput, quidam ad Pectus referunt.

30. Di-

30. Diviſio quam maxime naturalis & minori difficultate ſtipata illa eſt, qua Corpus humanum ſimpliciter in Caput, Collum, Pectus, Abdomen ſive Infimum Ventrem, in Brachia & Crura dividitur; & deinde quaelibet harum portionum primariarum in alias portiones ſecundarias ſubdividitur.

31. Quaelibet harum portionum non ſolum reſpectu ipſarum ſuperficiei ſive conformationis externae, ſed etiam reſpectu earundem compoſitionis ſive ſtructurae internae, uti & reſpectu Viſcerum, & reſpectu Organorum, quae ſuſtinent, conſiderari & examinari debet.

32. Hoc Veteribus occaſionem ſubminiſtravit, ut praecipuas Corporis Humani portiones in Partes continentes & in Partes contentas diviſerint, atque partes continentes iterum in partes continentes communes & in partes continentes proprias ſubdiviſerint. Partibus continentibus communibus nomen Tegumentorum inditum eſt, & ſub hoc termino Cutis praecipue atque Membrana Adipoſa comprehenſa eſt.

PARTES CAPITIS EXTERNAE.

33. Caput ſecundum partes ſuas externas in Capillitium ſive Partem Capillatam, & in Faciem ſive Vultum dividitur.

34. Capillitium ſive Pars Capillata omne id, quod portioni ſuperiori Oſſis Coronalis ſive Frontalis, Oſſibus Parietalibus, Oſſi Occipitis, portioni ſuperiori atque portioni inferiori Oſſis Temporum reſpondet, contegit.

35. Sum-

35. Summum Capillitii ſive Partis Capillatae, Vertex Capitis ſive Fontanella ſalutatur; pars poſterior Occiput nominatur; latera nomen Temporum gerunt. Vertex ab Occipite per ſpeciem Turbinis Capillitii diſtinguitur. Tempora inferius Auribus terminantur.

36. Arteriae cujuslibet lateris partis Capillatae Capitis:

Arteria Carotis externa, in genere.
Arteria Temporalis.
Arteria Occipitalis.
Arteria Angularis; per communicationem.
Arteria Cervicalis poſterior; per communicationem.
Arteria Vertebralis; per communicationem.
Arteria Carotis interna; per comunicationem.

37. Venae cujuslibet lateris partis Capillatae Capitis:

Vena Jugularis externa in genere.
Jugularis externa poſterior.
Vena Temporalis.
Vena Occipitalis.
Vena Vertebralis.
Jugularis externa anterior; per communicationem.
Jugularis interna; per communicationem.
Sinus lateralis Durae Matris; per communicationem.
Vena Axillaris; per communicationem.
Vena Cephalica; per communicationem.

38. Nervi cujuslibet lateris partis Capillatae Capitis:

Nervi

Nervi Sub-Occipitales, communiter Nervi decimi Paris Medullae Oblongatae dicti.

Nonum Par Medullae Oblongatae.

Primum Par Cervicale.

Secundum Par Cervicale; per communicationem.

Nervi Diaphragmatici; per communicationem.

Ramulus Frontalis Nervi Orbitarii, communiter Nervi Ophthalmici.

Parvus Nervus Sympathicus, Portio Dura Nervi Auditorii vocatus.

Nervus Sympathicus medius; ſive Nervus octavi Paris Medullae Oblongatae; per communicationem.

Magnus Nervus Sympathicus, communiter Nervus Intercoſtalis; per communicationem.

39. *Facies* ſive *Vultus* omne id, quod in tota extenſione ſuperficiali Capitis inter Capillitium ſive partem Capillatam atque Collum cernitur, Frontem ſcilicet, Supercilia, Palpebras, Oculos, Naſum, Os, Mentum, Genas, Aures comprehendit.

40. *Oculus.* Partes externae: Portio anterior Globi Oculi; Membrana albuginea ſive conjunctiva; Cornea tranſparens, Iris, Pupilla; Caruncula lacrymalis, Anguli Palpebrarum; Cilia ſive Pili cujuslibet Palpebrae. Partes internae in genere: Globus Oculi; Tunica ſive Membrana Sclerotica, alias Cornea opaca; Choroïdea; Arachnoïdes; Lens Criſtallina; Humor Vitreus; Humor

Aqueus; Camera anterior; Camera poſterior; Muſculi; Nervus Opticus.

41. *Auris.* Partes externae: magna Concha; convexitas hujus Conchae ſive Auris pars poſterior, magnus margo, Plica ſive Helix; concavitas, Eminentia lata ſive Anthelix, parva Eminentia anterior ſive Tragus, parva Eminentia poſterior ſive Antitragus, Lobulus ſive extremitas inferior Auris, Meatus.

42. *Naſus.* Partes externae: Extremitas ſuperior ſive Radix Naſi, Fornix ſive Dorſum, Latera Fornicis, Apex Naſi, Alae, Nares, Septum Narium. Partes internae: Cavitas atque fundus Narium, Anfractus, Sinus Maxillares, Sinus Sphenoïdales, imo etiam Sinus Frontales.

43. *Os.* Partes externae: Labia, unum ſuperius & alterum inferius; Anguli ſive Commiſſurae Labiorum, Margo & portio utriusque Labii, Foſſula, quae a Septo Narium uſque ad marginem Labii ſuperioris deſcendit; Plica transverſalis, quae Labium inferius a Mento ſeparat.

44. Partes Oris internae in genere ſunt: Palatum, Septum Palati, Uvula, Amygdalae, Gingivae, Frenulum Labiorum, Lingua, ipſius Apex, ipſius Radix, ipſius Latera, ipſius Frenulum. Reliquae partes internae Oris, quales ſunt Glandulae, Membranae, Muſculi &c. uti & iſtae Oculi, Naſi, Auris in Tractatu peculiari exponentur.

45. *Genae.* Genae partes Faciei laterales ſunt, quae ab Oculis atque Temporibus verſus inferiora uſque, inter Naſum atque Aurem cujuslibet lateris

exten-

extenduntur. Earundem pars ſuperior, quae ordinarie eminet, Mala audit.

46. *Mentum* Protuberantia eſt, quae Faciem anterius inferiora verſus terminat, quaeque poſtmodum inferius ad Collum uſque continuatur. Pars haec ad diſtinctionem Juguli Colli, quod ab illo per ſpeciem plicae ab una Aure ad alteram uſque ſeparatur, Baſis Menti ſive Jugulum Menti vocatur. Mentum in medio quandoque Depreſſione ſive Foſſula inſtructum eſt.

47. Arteriae quae in genere cuilibet lateri Faciei exterius reſpondent:

Carotis externa.
Carotis interna; per communicationem.
Arteria Vertebralis; per communicationem.
Arteria Cervicalis; per communicationem.

48. Venae quae in genere exterius in quolibet latere Faciei diſtribuuntur:

Jugularis externa.
Jugularis interna; per communicationem.
Vena Vertebralis; per communicationem.

49. Nervi qui in genere ſupra quodlibet latus Faciei exterius excurrunt, quique huc pertinent:

Nervus Olfactorius.
Nervus Opticus.
Nervus Orbitarius, alias Nervus Ophthalmicus, ſive primus Ramus quinti Paris Medullae Oblongatae.

Nervus Maxillaris ſuperior.
Nervus Maxillaris inferior.
Nervus Trochleator, alias Patheticus, ſive quarti Paris.
Nervus Motor externus, ſive Muſcularis externus, alias ſexti Paris.
Parvus Nervus Sympathicus, alias Portio Dura Nervi Auditorii.
Nervus Sympathicus medius, alias octavi Paris.
Magnus Nervus Sympathicus, ſive Nervus Sympathicus univerſalis; communiter Nervus Intercoſtalis dictus.
Nervus noni Paris, ſive magnus Nervus Hypogloſſus.
Secundum Par Nervorum Cervicalium.

50. Arteriae Frontis:
Arteria Temporalis; Ramus Carotidis externae.
Arteria Angularis; Ramus Carotidis internae.
Carotis interna; per communicationem.

51. Venae Frontis:
Vena Frontalis, olim Vena Praeparata.
Vena Temporalis.
Vena Angularis.
Sinus Orbitarius.
Sinus longitudinalis ſuperior Durae Matris; per communicationem.
Sinus longitudinalis inferior Durae Matris; per communicationem.
Vena Jugularis interna; per communicationem.

52 Nervi Frontis:

Nervus Orbitarius; alias Nervus Ophthalmicus, ſive Primus Ramus quinti Paris Medullae Oblongatae.

Nervus Maxillaris ſuperior.

Nervus Maxillaris inferior.

Parvus Nervus Sympathicus; alias Portio Dura Nervi Auditorii

53. Arteriae quae ad Oculum tendunt:

Arteria Temporalis; Ramus Carotidis externae.

Arteria Maxillaris externa ſive Angularis; Ramus Carotidis externae.

Arteria Maxillaris interna; Ramus Carotidis externae.

Carotis interna.

54. Venae quae ad Oculum pertinent:

Vena Temporalis; Ramus Jugularis externae poſterioris.

Vena Angularis; Ramus Jugularis externae anterioris.

Vena Frontalis; olim Vena Praeparata; Ramus Jugularis externae anterioris.

Sinus Orbitarius.

Sinus longitudinales Durae Matris; per communicationem.

Jugularis interna; per communicationem.

55. Nervi qui Oculo proſpiciunt:

Nervus Olfactorius; per communicationem.

Nervus Opticus.

Nervus Motor communis, ſive tertii Paris.

Nervus Trochleator, ſive quarti Paris.

Nervus Orbitarius, alias Ophthalmicus; Ramus quinti Paris.

Nervus Maxillaris ſuperior; Ramus quinti Paris.

Nervus Motor externus, ſive ſexti Paris.

Parvus Nervus Sympathicus, ſive Portio Dura Nervi Auditorii.

Magnus Nervus Sympathicus, ſive Nervus Sympathicus Univerſalis, communiter Nervus Intercoſtalis vocatus.

56. Arteriae quae in Naſo diſtribuuntur:

Eaedem quam iſtae Oculi, quasque modo nominavi, e quibus Carotis interna Naſo per communicationem proſpicit.

Arteria Orbicularis Labiorum; per communicationem.

57. Venae, quae ad Naſum pertinent:

Omnes iſtae, quas ſupra pro Oculo nominavi.

58. Nervi qui Naſo proſpiciunt:

Nervi Olfactorii.

Nervus Orbitarius ſive Ophthalmicus; Ramus quinti Paris; ex parte immediate; ex parte per communicationem.

Nervi Motores communes, ſive tertii Paris; per communicationem.

Nervi Maxillares ſuperiores; Rami quinti Paris.

Parvus Nervus Sympathicus.

Ner-

Nervus Sympathicus medius; per communicationem.

59. Arteriae quae ad Aurem tendunt:

Arteria Temporalis; Ramus Carotidis externae.

Arteria Auricularis; Ramus Temporalis.

Arteria Occipitalis; per communicationem.

Arteria Vertebralis, mediante Arteria Baſilari, quae ejusdem continuatio eſt.

Carotis interna; per communicationem cum Arteria Baſilari.

60. Venae quae ad Aurem pertinent:

Vena Temporalis.

Vena Occipitalis.

Vena Cervicalis.

Vena Maxillaris; omnes tres Rami Jugularis externae.

Jugularis interna; per plures communicationes.

Sinus Petroſus, ſive Lithoïdes Durae Matris.

61. Nervi qui in Aure diſtribuuntur:

Nervus Maxillaris inferior; tertius Ramus quinti Paris.

Nervus Auditorius; ſeptimum Par.

Parvus Nervus Sympathicus, Portio Dura Nervi Auditorii communiter dictus.

Nervus Hypogloſſus externus, ſive noni Paris Medullae Oblongatae; per communicationem.

Nervus Sub-Occipitalis, ſive decimi Paris; per communicationem.

Secundum Par Cervicale.

Nervus Sympathicus Medius, ſive Octavi Paris.

Nervus Sympathicus Univerſalis; communiter Intercoſtalis.

62. Arteriae quae ad Os & Linguam &c. ſe conferunt:

Arteria Mentalis.

Arteria Coronaria ſive Orbicularis Labiorum; ambae Rami Carotidis externae.

Arteria Maxillaris interna.

Arteria Sublingualis.

63. Venae quae ab Ore atque Lingua, &c. revehunt:

Vena Maxillaris externa.

Vena Maxillaris interna.

Venae Raninae; omnes tres Rami Jugularis externae.

Jugularis interna; per plures communicationes.

Vena Gutturalis ſuperior; Ramus Jugularis internae.

Vena Axillaris; quando Gutturalem ſuppeditat.

64. Nervi qui in Ore, in Lingua, in Glandulis Salivalibus &c. diſtribuuntur:

Nervus Maxillaris ſuperior.

Nervus Maxillaris inferior; ambo Rami quinti Paris.

Par-

Parvus Nervus Sympathicus, ſive Portio Dura Nervi Auditorii.

Nervus Sympathicus medius, ſive octavum Par.

Nonum Par Medullae Oblongatae.

Secundum Par Nervorum Cervicalium.

Magnus Nervus Sympathicus, ſive Nervus Intercoſtalis; per communicationem.

65. *Gena* utriusque lateris Arterias atque Venas a Ramuſculis vicinis Arteriae atque Venae Temporalis & Maxillaris accipit. Portio Dura Nervi Auditorii, Nervus Maxillaris ſuperior atque Nervus Maxillaris inferior eidem Nervos ſuos ſuppeditant.

PARTES COLLI IN GENERE.

66. Collum in genere in Jugulum ſive partem anteriorem, in Cervicem ſive partem poſteriorem, & in partes laterales dividitur. Jugulum per Eminentiam incipit, & per Foſſulam terminatur. Cervix per Foſſulam, quae Cavum Nuchae dicitur, quaeque deſcendendo obliteratur, initium ſumit. Collum Laryngem & portionem Aſperae Arteriae, Pharyngem, atque portionem Oeſophagi, Muſculos Cutaneos, Sterno-Maſtoïdeos, Sterno-Hyoïdeos, Thyro-Hyoïdeos, Homo-Hyoïdeos, Splenios, Complexos, Muſculos Vertebrales, qui ſeptem Vertebras priores contegunt, atque portionem Medullae Spinalis, quae eidem reſpondet, includit.

67. Arteriae quae ad Collum tendunt:
Arteriae Carotides in genere.
Carotides externae.
Carotides internae.
Arteriae Vertebrales.
Arteriae Cervicales.

68. Venae quae ad Collum pertinent:
Venae Jugulares in genere.
Jugulares externae.
Jugulares internae.
Venae Cervicales.
Venae Vertebrales.

69. Nervi qui in Collo diſtribuuntur:
Parvi Nervi Sympathici, ſive Portionis Durae utriusque Nervi Auditorii.
Nervi Sympathici medii, ſive octavi Paris Medullae Oblongatae.
Nervi Acceſſorii octavi Paris.
Nonum Par Medullae Oblongatae.
Nervi Sub-Occipitales, ſive decimi Paris.
Septem Paria Cervicalia.
Magni Nervi Sympathici, communiter Nervi Intercoſtales dicti.

PARTES PECTORIS.

70. Sub nomine Pectoris communiter omne id quod extenſioni Sterni, Coſtarum atque Vertebrarum Dorſi, ſive exterius ſive interius reſpondet, comprehenditur. Anatomici idem Thoracem appellant.

71. Thorax in partem anteriorem, quae Pectus in

in ſpecie dicitur; in partem poſteriorem, ſub nomine Dorſi, in partes laterales ſimpliciter Latera dictas, atque in Latus dextrum & in Latus ſiniſtrum diſtinctas, dividitur.

72. Partes Thoracis externae, praeter Cutem atque Membranam Adipoſam praecipue ſunt Mammae, atque Muſculi, qui ſuperficiem Coſtarum externam contegunt, earundemque intervalla replent. In Mammis Papilla parvusque Circulus coloratus, qui Papillam ambit, occurrunt. Muſculi praecipue ſequentes ſunt: Pectorales majores & minores, Subclavii, Serrati majores, Serrati poſteriores ſuperiores, Latiſſimi Dorſi, Vertebrales, quibus ii, qui Homoplatas cooperiunt, addi poſſunt.

73. Partes Thoracis internae in magna Cavitate hujus Portionis Trunci includuntur, cui Cavitati Veteres nomen Ventris medii, quemadmodum ſuperius dixi, impoſuere, quamque Recentiores ſimpliciter Cavitatem Pectoris vocant. Cavitas haec Membrana, quae Pleura dicitur, inveſtitur, & in duas Cavitates laterales per Septum Membranaceum, Mediaſtinum dictum, quod non niſi productio ſive duplicatura Pleurae eſt, dividitur.

74. Partes hae praecipue ſunt Cor, Pericardium, Truncus Aortae, magna Curvatura Aortae, Trunci Arteriarum Carotidum, Arteriae Subclaviae, Trunci Arteriarum Vertebralium, Arteriarum Axillarium, portio ſuperior Aortae Deſcendentis, Arteriae Intercoſtales; Vena Cava ſuperior, Vena Azygos, Venae Subclaviae, Venarum

rum Jugularium, Venarum Vertebralium, Venarum Axillarium Trunci; Portio Arteriae Aſperae, portio Oeſophagi; Ductus Lacteus, ſive Canalis Thoracicus; Pulmones; Arteria Pulmonalis, Venae Pulmonales &c.

75. Arteriae & Venae Thoracis peculiares & propriae ſunt:

Arteriae & Venae Thoracicae ſuperiores & inferiores.

Arteriae & Venae Mammariae, internae & externae.

Arteriae & Venae Intercoſtales, ſuperiores & inferiores.

Arteriae & Venae Spinales cum Sinubus Venoſis Canalis Spinae Vertebralis.

76. Nervi qui in Thorace diſtribuuntur:

Sympathici medii, ſive octavum Par.

Sympathici Univerſales, ſive Magni Sympathici, communiter Nervi Intercoſtales dicti.

Ultimum Par Cervicale.

Duodecim Paria Dorſalia.

Nervi Diaphragmatici.

77. Pectoris Cavitas inferius per Diaphragma, quod eandem ab iſta Abdominis ſeparat, terminatur.

PARTES ABDOMINIS.

78. Abdomen immediate infra Pectus incipit, & per fundum Pelvis Oſſium Innominatorum terminatur. Circumferentia ipſius in Regiones dividitur. Anterius tres earundem numerantur, Regio ſcilicet Epigaſtrica, ſive ſuperior; Regio Umbi-

Umbilicalis, ſive media; & Regio Hypogaſtrica, ſive inferior. Poſterius non niſi unica, ſub nomine Regionis Lumbaris, numeratur.

79. Regio Epigaſtrica immediate infra Apicem Xiphoïdem per parvam depreſſionem ſuperficialem, quae Scrobiculus Cordis dicitur, incipit, atque in Adulto ordinarie ſupra Umbilicum in altitudine lineae transverſalis, quae ab extremitate ultimarum Coſtarum Spuriarum lateris dextri, uſque ad extremitatem ultimarum Coſtarum Spuriarum lateris ſiniſtri duceretur, terminatur.

80. Regio haec in tres partes ſubdividitur, unam ſcilicet mediam, quae Epigaſtrium vocatur; & in duas laterales, quae Hypochondria appellantur. Epigaſtrium ſpatium anterius quod inter Coſtas Spurias unius lateris atque Coſtas Spurias alterius lateris eſt, comprehendit. Hypochondria ſpatia illa ſunt, quae Coſtis Spuriis conteguntur.

81. Regio Umbilicalis in Adulto ſupra Umbilicum in altitudine lineae transverſalis, de qua modo dixi, incipit, & infra Umbilicum in altitudine lineae, quae cum altera linea a Criſta Oſſis Ilii lateris dextri uſque ad Criſtam Oſſis Ilii lateris ſiniſtri parallela duceretur, terminatur.

82. Regio haec itidem in tres partes; unam mediam, quae Regio Umbilicalis proprie dicitur, & duas laterales communiter Latera, & olim Ilia, a Latino vocabulo Ilia, vocatas dividitur. Partes hae latesales intervallo quod inter partem inferio-

inferiorem Coſtarum Spuriarum & partem ſuperiorem Oſſis Ilii eſt, reſpondent.

83. Regio Hypogaſtrica a limitibus inferioribus Regionis Umbilicalis uſque verſus inferiora extenditur. Itidem in tres partes, unam mediam, quae Pubis appellatur, & duas laterales, quae Inguina vocantur, dividitur.

84. Regio Lumbaris pars Abdominis poſterior eſt, atque ſpatium quod ab ultimis Coſtis cujuslibet lateris, & ultimae Vertebrae Dorſi, uſque ad Os Sacrum partesque vicinas Criſtae Oſſis Ilii extenditur, comprehendit. Partes laterales hujus Regionis Lumbi vocantur, & pars media quae eosdem diſtinguit, in Animalibus Lumbus vocatur.

85. Fundus denique Infimi Ventris, qui Pelvi Sceleti reſpondet, anterius per Partes Naturales ſive Pudendas, & poſterius per Nates & Anum, qui communiter Sedes ſive Podex dicitur, terminatur. Nates a ſe invicem per Fiſſuram, quae ad Anum ducit, ſeparantur, & quilibet Clunis inferius per magnam plicam, quae eundem a reliquo Femoris diſtinguit, terminatur.

86. Regio haec etiam in utroque latere Muſculum Quadratum Lumborum, ſive Lumbarem externum, portionem inferiorem Muſculi Sacro-Lumbaris; iſtam Longiſſimi Dorſi, iſtam Latiſſimi Dorſi, Muſculos Vertebrales vicinos, Muſculum Sacrum &c. comprehendit.

87. Spatium quod inter Anum & Partes naturales eſt, Perinaei nomen gerit, & per ſpeciem Stilli-

Stillicidii bene notati, quod in Viris ulterius quam in Foeminis extenditur, quemadmodum in alio Tractatu peculiari videbimus, in partes laterales aequaliter dividitur.

88. Cavitas Abdominis per partes, quas modo generaliter expoſui, formata, quaeque Cute atque Membrana Adipoſa conteguntur, interius Membrana peculiari, qnae Peritonaeum dicitur, inveſtitur. A Cavitate Thoracis per Diaphragma ſeparatur, & inferius Muſculis Ani Elevatoribus terminatur.

89. Ventriculum, Inteſtina, quae in tria tenuia, Duodenum, Jejunum & Ileum appellata, & in tria craſſa, Caecum, Colon, Rectum dicta, dividuntur; Meſenterium, Meſocolon, Epiploon, Hepar & Veſiculam Felleam; Lienem, Pancreas, Glandulas Meſentericas, Venas Lacteas, Chyli Receptaculum, Renes, Capſulas Atrabiliarias ſive Glandulas Supra-Renales, Ureteres, Veſicam, Partes Naturales internas utriusque Sexus includit.

90. Arteriae Abdominis primariae:

Portio inferior Arteriae Mammariae internae, quae Portio Arteria Epigaſtrica ſuperior vocari poteſt.

Aorta inferior.

Arteria Coeliaca.

Arteria Meſenterica ſuperior.

Arteriae Renales, olim Emulgentes.

Arteriae Spermaticae.

Arteriae Meſentericae inferiores.

Arteriae

Arteriae Lumbares.
Arteriae Iliacae.
Arteriae Hypogaſtricae.
Arteriae Epigaſtricae inferiores.
Arteriae Haemorrhoïdales.
Arteriae Pudendae.

91. Venae Abdominis primariae:
Portio inferior Venarum Mammariarum internarum.
Venae Renales.
Venae Lumbares.
Venae Spermaticae.
Venae Iliacae.
Venae Hypogaſtricae.
Venae Haemorrhoïdales externae.
Venae Epigaſtricae.
Magna Vena Portae, ſive Vena Portae Ventralis.
Sinus parvae Venae Portae, ſive Vena Portae Hepatica.
Magna Vena Meſaraïca.
Vena Splenica.
Parva Vena Meſaraïca, ſive Vena Haemorrhoïdalis interna.

92. Nervi primarii Infimi Ventris:
Nervi Stomachici, ab extremitate Nervorum Sympathicorum mediorum, ſive octavi Paris formati.
Magni Nervi Sympathici, ſive Nervi Intercoſtales ſpurii; portio inferior.
Duo Ganglia Semilunaria ſive Plexiformia.

Plexus

Plexus Stomachicus.
Plexus Hepaticus.
Plexus Splenicus.
Plexus Renalis cujuslibet lateris.
Plexus Meſentericus ſuperior.
Plexus Meſentericus inferior.
Nervi Lumbares.
Nervi Sacri.
Origo Nervorum Cruralium.
Origo Nervorum Iſchiadicorum.

PARTES UTRIUSQUE EXTREMITATIS SUPERIORIS.

93. Diviſio generalis Brachii integri eadem ac illa Extremitatis ſuperioris Sceleti in Humerum, Brachium, Brachium anterius atque Manum eſt. Hic Summum Humeri, Axilla ſive Cavum Axillae, Cubitus, Plica Brachii, & Cavum Manus adduntur.

94. Corpus ſive Venter Muſculi Deltoïdis Summum Humeri efficit; Cavum Axillae a margine vicino Muſculi Pectoralis majoris, & ab iſto Muſculi Latiſſimi Dorſi formatur. Cubitus Olecrano reſpondet : plica Brachii ante Articulationem Oſſis Brachii cum Oſſibus Brachii anterioris eſt. Cavum Manus in medio Palmae Manus exiſtit.

95. Brachium a Summo Humero uſque Muſculo potiſſimum Bicipite, Brachiaeo, & tribus Muſculis Anconaeis vicinis contegitur. Brachium anterius iis, qui Radium ad Os Cubiti,

& Carpum ad Brachium anterius movent, inſtructum eſt. Manus paucis partibus carnoſis notabilibus gaudet, Muſculo Thenare & Hypothenare exceptis, qui per eorundem Intervallum Cavum Manus formant.

96. Arteriae totius Extremitatis ſuperioris ſive Brachii in genere:

Arteria Axillaris.
Arteria Humeralis, ſive Supra-Humeralis.
Arteriae Scapulares.
Arteria Articularis, ſive Infra-Humeralis.
Arteria Brachialis.
Arteriae Collaterales.
Arteria Cubitalis.
Arteria Radialis.
Arteria Interoſſea anterior.
Arteriae Interoſſeae poſteriores.
Arcus Arterioſi ſive Palmares.

97. Venae totius Extremitatis ſuperioris ſive Brachii in genere:

Parva Vena Cephalica.
Jugularis externa; per communicationem cum parva Cephalica.
Vena Axillaris.
Venae Muſculares ſive Humerales.
Venae Scapulares.
Vena Cephalica Brachii.
Vena Baſilica Brachii.
Venae Satellites Arteriae Brachialis.
Vena Profunda ſuperior, ſive Profunda Brachii.

Vena

Vena Mediana ; Mediana Cubitalis , ſive Mediana Baſilica ; Mediana Radialis, ſive Mediana Cephalica , Mediana media, ſive Mediana magna.

Vena Profunda Brachii anterioris.

Vena Baſilica Brachii anterioris, ſive Vena Cubitalis.

Vena Cephalica Brachii anterioris , ſive Vena Radialis.

Venae Satellites Brachii anterioris.

Cephalica Pollicis.

Salvatella, ſive Auricularis.

Areolae Venoſae Dorſi Manus.

98. Nervi totius Extremitatis ſuperioris , ſive Brachii in genere :

Nervi Brachiales in genere, per quatuor ſive quinque ultima Paria Cervicalia atque primum Dorſale formati.

Nervus Muſculo-Cutaneus.

Nervus Medianus.

Nervus Cubitalis.

Nervus Cutaneus internus.

Nervus Radialis.

Nervus Axillaris ſive Articularis.

99. Quaelibet Extremitatum inferiorum Corporis integri itidem , uti iſtae Sceleti, in Femur, Crus & in Pedem dividitur.

100. Femur carnoſum anterius ad latus Plicae Inguinis incipit. Poſterius pauxillum ſupra Medium inferius Clunis initium ſumit. Anterius in Rotula per Genu , & poſterius per Cavum,

quod Poples vocatur, terminatur. A Muſculis praecipue qui Femur circumdant, quique in Aponevroſi Faſciae Latae includuntur, formatur; a Glutaeo ſcilicet majore, duobus Vaſtis, Cruraeo, Bicipite, Tricipite, Semi-Membranoſo, Semi-Tendinoſo, Gracili interno, Gracili externo, & Sartorio.

101. Crus anterius admodum parum Muſculis dotatur, poſterius vero multis inſtruitur, ubi Muſculi Gaſtrocnemii ſive Gemelli majores atque Muſculus Solaeus ſpeciem Ventris, qui communiter Sura ſive Pars carnoſa Cruris vocatur, formant. Anterius per Genu infra Rotulam & poſterius per Poplitem incipit. Inferius per Malleolos terminatur.

102. Pes praeter partes in Expoſitione Sceleti indicatas, ſequentem etiam in modum dividitur: Convexitas ipſius, praecipue verſus Articulationem cum Crure, Collum Pedis vocatur. Pars inferior, quae Baſis quaſi totius Extremitatis inferioris eſt, Planta Pedis dicitur. Uti Manus admodum paucis partibus carnoſis inſtruitur.

103. Arteriae totius Extremitatis inferioris cujuslibet lateris:

Arteria Obturatoria; Ramus Hypogaſtricae.

Arteria Glutaea; Ramus Hypogaſtricae.

Arteria Iſchiadica; per communicationem.

Arteria Pudenda; per communicationem.

Arteria

Arteria Cruralis.
Arteria Poplitea.
Arteria Tibialis anterior.
Arteria Tibialis poſterior.
Arteria Peronea.
Arteria Plantaris, ſive Arcus Arteriae Plantaris.

104. Venae totius Extremitatis inferioris cujuslibet lateris:

Vena Obturatoria.
Vena Glutaea.
Vena Cruralis.
Vena magna Saphena.
Vena Iſchiadica.
Vena parva Saphena, ſive Saphena externa.
Vena Poplitea.
Venae Tibiales.
Vena Peronea.
Vena Plantaris.

105. Nervi totius Extremitatis inferioris cujuslibet lateris:

Nervus Cruralis, per complicationem quinque craſſorum Nervorum Lumbarium, praecipue quatuor priorum formatus.
Nervus Iſchiadicus; ex Conſociatione duorum ultimorum Lumbarium cum tribus prioribus craſſis Nervis Sacris oriens.
Magnus Nervus Sympathicus, ſive ſic dictus Intercoſtalis; per communicationem

cum Nervis Lumbaribus atque Nervis Sacris.

Nervus Popliteus.

Nervus Iſchiadicus internus, ſive Nervus Popliteus internus.

Nervus Iſchiadicus externus, ſive Nervus Popliteus externus.

Nervus Plantaris externus.

Nervus Plantaris internus.

HISTO-

HISTORIA GENERALIS TEGUMENTORUM CUM ISTA PILORUM ET UNGUIUM.

TOta partium Corporis Humani Congeries pluribus communibus ſive univerſalibus Involucris, quae Anatomici Tegumenta appellant, inveſtitur.

2. Per aliquot tempus circa numerum Tegumentorum diſcreparunt. Veteres quinque eorundem, Epidermidem ſcilicet ſive Cuticulam, Cutem, Membranam Adipoſam ſive Pinguedineam, Panniculum carnoſum atque Membranam communem Muſculorum numerarunt.

3. Tria priora horum Involucrorum revera communia ſive univerſalia ſunt, id eſt, ſupra totum Corpus extenduntur, illudque integrum contegunt; aſt proprie loquendo tria haec Involucra duo tantum efficiunt; Epidermidem enim potius

tanquam partem Cutis & tanquam ipſius Epiphyſin, quam tanquam Involucrum conſidero.

4. Duo reliqua de quibus olim ſermo fuit, tantum Involucra peculiaria, atque ad certa Corporis loca adſtricta ſunt.

CUTIS.

5. Cutis Textum admodum extenſum, ex pluribus Fibrarum ſpeciebus, Tendinoſis ſcilicet, Membranaceis, Nerveis & Vaſculoſis compoſitum eſt, quarum implicatio eo magis miranda eſt, quo difficilius evolvi poteſt, quoniam in omnes ſenſûs fere inſtar materiei Pilei fabrefacta eſt.

6. Textum hoc communiter Corium vocatur, atque corpus quaſi Cutis conſtituit. Dilacerationi reſiſtit, in omnes ſenſus extendi poteſt, atque poſtea priſtinam ſuam extenſionem recipit, quemadmodum in corpulentia, graviditate atque tumoribus videre eſt. In quibusdam locis craſſior atque ſtrictior quam in aliis exiſtit.

7. Ipſius craſſities atque conſiſtentia non ubique aequaliter ſe comitantur; in partibus enim Corporis poſterioribus ordinarie craſſior minusque ſtricta eſt quam anterius, & in Cavo Manuum atque in Plantis Pedum aequaliter fere craſſa atque ſtricta exiſtit. Interim ordinarie difficilius in Ventre quam in Dorſo inſtrumentis pungentibus perforari poteſt.

8. Externa hujus Texti Superficies in parvas Eminentias deſinit, quas Papillas appellare Anatomicis placuit, ad quas Capillaria Nervorum Cutaneo-

taneorum Fila inſtar parvorum Penicillorum radiatorum terminantur.

9. Papillae hae ratione figurae atque diſpoſitionis in diverſis Corporis Humani partibus multum inter ſe differunt, ita ut in plures ſpecies diſtingui poſſint.

10. Quoad maximam partem complanatae & plus minusve latae, a ſe invicem ſeparatae, & per Sulcos, quorum interſtitia Rhombos irregulares formant, quaſi interruptae ſunt. Figura pyramidalis quae iisdem in genere attribuitur, naturalis non eſt, nec niſi quando frigore, morbo, coctione, aut alia praeparatione artificiali, quae earundem conformationem ordinariam mutat, conſtrictae ſunt, apparet.

11. Papillae Palmae Manus, Plantae Pedum totiusque extenſionis vicinae Digitorum altiores quam aliis in locis exiſtunt, aſt tenuiores, arcte invicem conglutinatae, & per ordines peculiares, qui varias linearum ſpecies in Cute, rectas ſcilicet, curvas, fluctuantes ſpirales, &c. formant, una verſus alteram erectae quaſi poſitae ſunt. Ultimae hae ſpecies admodum frequenter in locis Palmae Manus primis Digitorum Phalangibus quam maxime vicinis conſpiciuntur.

12. Portio Labiorum rubicunda e Papillis inſtar Pilorum ſive Serici Villoſi formatis, admodum ſubtilibus, atque ſibi invicem agglutinatis compoſita eſt.

13. Species alia peculiaris ſub Unguibus reperitur. Papillae ibidem magis acuminatae, aut

aliquo modo conicae ſunt, & verſus extremitates Digitorum oblique vergunt. Peculiares adhuc ſpecies ex iis, quae in Cute Capillata Capitis, in Scroto, &c. reperiuntur, formari poſſunt.

14. Papillae primae atque ſecundae ſpeciei circum earundem baſes Subſtantia molli, mucilaginoſa, aſt admodum tenaci circumdatae videntur, quae fundum interſtitiorum harum Papillarum inſtar ſpeciei Reticuli ſive Cribri replet, cujus Areolae ſive Foramina quamlibet Papillam circumdant. Corpus Reticulare ſive Corpus Mucoſum communiter vocatur.

15. Corporis hujus Reticularis origo nondum bene evoluta eſt; nec argumentis convincentibus demonſtratum eſt, an ſeparatim Involucrum univerſale conſtituat, aut an potius ad Corpus Cutis quam ad Papillas atque Epidermidem pertineat.

16. Quo Corpus hoc Reticulare in Curſibus publicis aut privatis demonſtrari poſſit, communiter Linguis Bovinis aut Vervecinis coctis utuntur. Aſt demonſtratio haec falſa, & fallax eſt, atque quamplurimis Auditorum non niſi erroneas ideas ſubminiſtrat. De his in ſequentibus adhuc mihi ſermo erit.

17. In inflammationibus naturaliter Reticulum peculiare Vaſorum Capillarium, in ſuperficie Cutis plus minusve extenſum obſervatur. Anatomici curioſi Reticulum hoc injectonibus ſuis tenuibus atque ſubtilibus, quae tanquam inflammationes artificiales conſiderari poſſunt, evidenter demonſtrant. Neque hae, neque illae, quod Vaſa haec Capillaria in ſtatu naturali Vaſa Sanguifera proprie dicta,

dicta, id eſt, Vaſa rubicundam Sanguinis portionem continentia ſint, evincunt.

18. Textum hoc Vaſculoſum probabile magis non niſi Arteriarum Venarumque Capillarium ſummae ſubtilitatis continuatio ſive productio eſſe videtur, quae in ſtatu ſuo naturali fere non niſi ſeroſae ſive Lymphaticae Sanguinis portioni tranſitum concedunt, dum interim rubicunda portio viam regiam per Ramuſculos minus anguſtos, quique magis proprie Vaſorum Sanguiferorum nomen retinent, ſequitur.

19. Textum hoc ſive Reticulum Vaſculoſum in diverſis Corporis locis diverſe diſpoſitum & figuratum eſt; nam plane aliter in Cute Faciei quam alibi ſeſe habet, imo in diverſis quoque Faciei locis admodum differt, quemadmodum ex inſpectione ope Vitrorum Lenticularium ſimpliciſſimorum patet. Fortaſſis hinc, cur una Corporis pars rubore facilius prae alia tingatur, explicari poterit.

20. Interna corporis Cutis ſuperficies tota parvis Granis ſive Glomis, qui communiter Glandulae Cutaneae vocantur, obſita eſt. Glandulae quoque Miliares, ob aliqualem quam cum granis Milii alunt ſimilitudinem, appellantur.

21. Grana haec ſive parvi Glomi mediantibus parvis Foſſulis, quae totidem parvis Tuberculis ſive Galericulis Corporis Adipoſi reſpondent, Cutis craſſitiei ex parte immiſſa ſunt. Eorundem Tubi excretorii in ſuperficie Cutis, modo lateraliter, modo per Papillas, quemadmodum in apicibus Digitorum, etiam absque Microſcopii ope videre eſt, aperiuntur.

22. Quoad

22. Quoad maximam partem ſudoris ſcaturigines exiſtunt. Dantur quae materiam unctuoſam & pinguem, plus minusve craſſam ſubminiſtrant, uti in Cute Capillata Capitis, in Dorſo, retro Aures, in apice Naſi, ubi quibusdam in ſubjectis facili admodum negotio materia haec ſub forma vermiculorum exprimitur. In genere Cutis Squalor vocatur.

23. Maceratio in aqua communi ſive alio liquore conveniente Grana haec ſive Corpuſcula admodum ſenſibilia, inprimis in Cute apicis Naſi, & in iſta Cavi Axillae reddit. Defunctus Dn. Duverney Academiae Regiae Scientiarum ſtructuram quarundam harum Glandularum Cutanearum, quae inſtar gyrorum parvorum Inteſtinorum Vaſis Capillaribus dotatorum apparent, clariſſime demonſtravit. Illuſtris Dn. Morgagni Profeſſor Patavinus nomen Glandularum Sebacearum iſtis, quae materiam unctuoſam, de qua modo dixi, ſubminiſtrant, impoſuit.

24. Praeter hos Glomos ſive Grana, Cutis craſſities alia parva Corpora firma imo etiam pauxillum dura, figurae fere ovalis continet. Radices haec ſunt, aut ſi mavis, Cepae ſive Bulbi e quibus Pili naſcuntur. Inveniuntur etiam qui ultra craſſitiem ſive internam Cutis ſuperficiem exporriguntur. In ſequentibus plura de iisdem dicam.

25. Cutis pluribus aperturis notabilibus gaudet, quarum quaedam nomina propria gerunt, qualis Fiſſura Palpebrarum, Nares, Os, Foramen externum Aurium, Anus, atque Partium Naturalium apertura eſt.

26. In-

26. Innumeris quoque parvis Foraminibus, qui Pori dicuntur duplicisque ſpeciei ſunt, perforatur. Quidam plus minusve ſenſibiles exiſtunt, quales orificia Ductuum Lacteorum Mammarum, orificia Canalium excretoriorum Glandularum Cutanearum, atque tranſitus Pilorum ſunt.

27. Reliqui Pori Microſcopii ope admodum ſenſibiles nudum oculum fugiunt. Per tranſpirationem Cutaneam adhuc & per immiſſionem partis ſubtilis Remediorum Topicorum demonſtrantur; id quod Poros hos in Arterioſos & Venoſos dividere anſam ſuppeditare poſſet.

28. In Cute adhuc ipſius Inſertiones ipſiusque Plicae notandae ſuperſunt. Ubique Membranae Adipoſae agglutinata eſt, quemadmodum, quando de hac Membrana mihi ſermo erit, dicam. Hic referre ſufficit, quod eidem quibusdam in locis arctius quam in aliis, uti in Palma Manuum & in Planta Pedum, in Cubito & in Genu annexa ſit.

29. Reſpectu Plicarum Cutis dantur quae ab Adipoſae ſive Celluloſae Membranae conformatione dependent, quales iſtae Colli atque Natium ſunt; quaedam ab eadem non dependent, quales Rugae Frontis, iſtae Palpebrarum &c. ſunt, a Muſculis enim Cutaneis formantur, & magis minusve in ſenſum horum Muſculorum contrarium diſponuntur. Proceſſu aetatis ſenſibiliores evadunt.

30. In Cute Cubiti, in iſta Genu, in iſta Condylorum Digitorum Manus atque Pedis ſpecies adhuc Plicarum peculiarium reperitur; quae Plicae neque a Membranae Adipoſae conformatione, neque ab ullo Muſculo dependent.

31. Tan-

31. Tandem Plicae, ſive potius ſpecies linearum invenitur, quae in Palma Manus, in Planta Pedum, & in parte ſive facie Digitorum quae Palmae atque Plantae reſpondet, diverſimode excurrunt. Lineae hae objectum Chiromantarum conſtituunt, quorum ſuperſtitio ab Eccleſia damnatur, atque vanitas a veris Sapientibus flocci penditur.

CUTICULA ſive EPIDERMIS.

32. Totus hicce Cutis apparatus exterius Tela admodum tenui atque transparenti, quae eidem arcte annectitur, cooperitur. Quae Epidermis ſive Cuticula nominatur.

33. Epidermidis Subſtantia in latere Cutis admodum uniformis, & exterius e pluribus parvis Laminis ſquamoſis magnae ſubtilitatis, aſt ubique absque ulla Texti Fibroſi ſive Vaſculoſi ſpecie, parvis Filis quae eandem Papillis annectunt, & a quibus fortaſſis disjuncta fuere exceptis, compoſita eſſe videtur.

34. Subſtantia haec firma atque conſtricta eſt, licet aliquo modo inflari aut craſſior reddi poſſit, quemadmodum ſimplex in aqua communi maceratio, atque Veſicae ſive Ampullae, quae a Veſicatoriis aut alio modo in Cute elevantur, illud manifeſtant; ita ut hinc ſpecies Texti Spongioſi eſſe videatur. In tumoribus notabiliter ſeſe extendere patitur, aſt non ſemper uti Corpus Cutis iis reſiſtit.

35. Quantum Epidermidis origo obſcura, tantum regeneratio ipſius evidens, prompta, imo etiam miranda exiſtit, quoniam toties reparatur, quo-

ties

ties deſtructa fuit. Credibile eſt, quod originem ſuam a materia, quae ex Papillis exudat, ducat; ita ut Veteres, non plane abſque ratione eandem Cutis florem appellaſſe videantur.

36. Non nobis perſuadere debemus, quaſi aëris actio materiam hancce Mucilaginoſam exſiccaret, eique Epidermidis formam conciliaret; Epidermis enim ſimiliter in Foetu qui continue aquae innatat, formata reperitur: in Oris Palato, poſtquam ab alimentis nimis calidis deſtructa fuit, imo etiam aliis in locis ſub ipſis Emplaſtris ibidem applicitis regeneratur.

37. Contrectationes rudiores atque iteratae plus minusve inſenſibiliter eandem ſeparant, ſtatimque nova portio ſive ſtratum regeneratur, quod primum attollit, cuique ſimili in caſu ſimilis quoque ſeparatio per ortum tertii novi ſtrati accidit.

38. In hunc fere modum Calloſitates in Pedibus, Manibus atque in Genubus formantur; & pluralitas Laminarum ſive Stratorum, quae tanquam naturalia obſervaſſe ſibi perſuaſerunt, contingit. Ordinarie interim in Cavo Manuum & in Pedum Plantis craſſior quam aliis in locis exiſtit.

39. Epidermis Papillis Cutaneis fortiter adhaeret, a quibus mediante aqua fervente, aut quod melius eſt minusque alterat, quando per tempus quoddam in aqua frigida maceratur, ſeparari poteſt. Separatio mediante Scalpello non impoſſibilis eſt, aſt nihil de ipſius ſtructura detegit.

40. Corpori Reticulari, quod facillime cum eadem tollitur aut ſeparatur, magis adhaeret, ita ut unum

unum alterius vera portio & continuatio eſſe videatur.

41. Credunt quod Epidermidis color naturaliter albus ſit, quodque ipſius color apparens proprie non niſi iſta Corporis Reticularis exiſtat. Nihilominus quando Epidermis Aethiopum ſeorſim examinatur, nulla alia in illa albedo quam iſta Laminae tenuis atque tranſparentis cornu nigri reperitur.

42. Epidermis Cutem in tota ſua extenſione, locis ab Unguibus occupatis exceptis, contegit. Iisdem quibus Cutis Sulcis iisdemque Rhombis notata eſt, & in illa eaedem aperturae, iidemque Pori reperiuntur; & quamvis aſſeri poſſit, quod limites ſuperficiales Cutis mediantibus magnis aperturis transgrediatur, nihilominus ibidem Epidermidis nomen amittit.

43. Interim quando parva Foramina ſive Pori quos ſudor tranſit bene examinantur, Epidermidem ſe in eos inſinuare videtur, quo Tubis excretoriis Glandularum Cutanearum complementum afferat. Nidi ſive Foſſulae Pilorum hiſce Epidermidis proceſſibus itidem inſtruuntur, & Pili ipſi ſpeciem corticis ab eadem accipere videntur. Inſenſibiles fere Pororum Cutaneorum Canales interius ab eadem inveſtiuntur.

44. Mediante longa Cutis in aqua Maceratione cuncti hi proceſſus cum Epidermide ab eadem ſeparari poſſunt, ita ut Pilos, eorundem Radices ſive Bulbos, imo etiam Glandulas Axillares ſecum abripiant.

45. Ex

45. Ex hacce Obſervatione explicari poterit, cur Veſicae ſive Ampullae quae in Cute elevantur, per notabile tempus inflatae manent, absque ut Serum extra Vaſa effuſum per haecce Foramina, quae hoc in caſu per dilatationem atque tenſionem Epidermidis elevatae ampliora reddi deberent, erumpat.

46. Quando enim hoc modo a corpore Cutis ſeparatur, portiones quoque horum parvorum Tuborum Cutaneorum, quae, quoniam a Sero inverti nequeunt, plicantur, & Epidermidis elevatae Poros, fere uti Tubi Follis luſorii, obturant, abripit atque ſecum ducit. Parvas has Epidermidis ſegregatae portiones pro Valvulis Tuborum Cutaneorum fortaſſis habuerunt.

USUS CUTIS IN GENERE.

47. Textum Filatum, Corium ſive Corpus Cutis dictum, praecipue & proprie totius Corporis Involucrum univerſale, atque Baſin omnium reliquarum partium Cutanearum, quarum quaelibet ſuis peculiaribus uſibus gaudet, conſtituit.

48. Vi injuriis externis, impreſſioni, attritui atque alliſioni plurium rerum, quae Corpori humano occurrere illudque offendere, vulnerare, ſive illius partes turbare poſſent, ſi eodem non defenderentur, ad minimum ad certum uſque gradum reſiſtendi praeditum eſt.

49. Papillae Organon Tactus ſunt. Ad evacuationem quandam univerſalem, quae in genere Tranſpiratio inſenſibilis audit, contribuunt. Quo

particulae etiam ſubtiliſſimae ſive impreſſio certarum rerum Cuti exterius applicatarum ab exteriori ad interiora penetrare poſſint, inſerviunt. Primus trium horum uſuum ab Extremitatibus Nerveis, ſecundus a Productionibus Arterioſis, atque tertius a continuationibus Venoſis dependet.

50. Glandulae Cutaneae humoris unctuoſi, plus minusve diluti aut ſpiſſi Filtra ſunt. Primarii quoque fontes Squaloris atque Sudoris exiſtunt. Aſt absque Epidermide functiones Papillarum harumque Glandularum perturbarentur, magnaque incommoda producerent.

51. Quo Mechaniſmus Organi Tactus explicari poſſit, antea de Senſibus in genere ut diceretur, neceſſe eſſet; cum vero hic ipſis nullus locus ſit, indicare ſufficit, ad minimum duas Tactus ſpecies, unam generalem, & alteram ſpecialem dari.

52. Tactus ſpecialis a certa impreſſione diſtincta comitatur, qua objecta admodum diſtincte a ſe invicem diſcernuntur, atque id eſt, quod proprie Tactum conſtituit, cujus Organon proprium in apice Faciei internae Digitorum exiſtit. Altera ſpecies ſive Tactus generalis vagus magis eſt, neque diſtinctum hocce diſcrimen ſubminiſtrat. Id quod per ſimplicem terminum Attactus exprimitur.

53. Hae Tactus differentiae ab iſta Papillarum dependent, quae revera in apice Digitorum magis ſtrictae & e Filis Nerveis magis compoſitae quam aliis in locis apparent. Funiculi enim

Ner-

Nervorum, qui in ſpecie ad Digitos tendunt, habita ratione iſtis qui in reliquis Corporis partibus diſtribuuntur multo robuſtiores exiſtunt.

54. Epidermis ad Penicillos ſive Fila Nervea Papillarum in aequali ſitu ſuſtinenda, ad impediendum ne confuſe fluctuent, & ad impreſſionem objectorum modificandam inſervit. Tactus ſpecialis aeque ac Tactus in genere plus minusve exquiſitus, ſecundum ſubtilitatem ſive craſſitiem Epidermidis exiſtit, cujus calloſitas utrumque debilitat, imò etiam deſtruit.

55. Alius Epidermidis uſus eſt evacuationes Cutaneas, de quibus dixi, quarumque Tranſpiratio inſenſibilis quam maxime notabilis eſt, dirigere. Per hanc exhalatio ſubtilis ſive ſpecies fumi ſubtiliſſimi intelligitur, qui ordinarie admodum inſenſibiliter, quamvis plus minusve copioſe per Cutis Poros egreditur. Tranſpiratio Cutanea vocari poteſt, quo a Tranſpiratione Pulmonali, de qua alibi dicam, diſtinguatur.

56. Exhalatio haec cutanea admodum ſenſibilis redditur, ſi Digitorum apex aut Palma Manus ſpeculi aut alius corporis politi ſuperficiei applicatur, quod ſtatim obſcuratum & vapore condenſato quaſi coopertum videbis. Partem Manus atque Digitorum convexam non tantam hujus exhalationis copiam, quam Palma Manus partesque Digitorum internae praecipue iſtae eorundem extremitatum mihi ſubminiſtrare videntur; id quod eodem tempore quandam roris hujus proprietatem Penicillos nempe Nerveos in

ſtatu Tactui ſpeciali convenienti conſervare evincit.

57. Ad inſenſibilem etiam Tranſpirationem probandam ad celebrem iſtam per triginta annos a Sanctorio inſtitutam Experientiam provocant, qui inſenſibilem hanc unius diei evacuationem omnes reliquas quindecim dierum evacuationes ſenſibiles aequare obſervavit.

58. Celebris hujus Itali Calculus teſte longa Experientia Dn. Dodart Academiae Regiae Scientiarum Socii, atque iſta Dn. Morin ejusdem Academiae Socii teſte, Britannica tandem Statica Dn. Keil teſte non unus idemque in aliis Climatibus inventus fuit. Inſuper ex libra conſtare nequit, an Tranſpiratio Cutanea, an iſta Pulmonum major ſit.

59. Ante longum tempus modum, quo illa a ſuo e Poris exitu uſque ultra dimidii pedis diſtantiam aliquo modo viſui ſiſti poteſt, inveni. Modus hic, cujus in Theſi Hafniae impreſſa mentionem feci, eſt, ut quis umbram Capitis ſui nudi aut iſtam alius perſonae in muro albo ſole lucente, praecipue Aeſtate aſpiciat. Tunc fumi volitantis e Capite egredientis & ſurſum aſcendentis umbra admodum diſtincte cernitur, absque ut fumus ipſe percipiatur. Idem Experimentum quoque in Cane, Gallina, &c. ſuccedit.

60. Eodem fere modo carbonum ardentium exhalatio inviſibilis umbram admodum viſibilem emittit, & exhalationes inſenſibiles ignitabuli, foculi ad lectum calefaciendum aut fornacis in

quibus

quibus ignis accenſus eſt, objecta plus minusve remota, quae in linea recta parumper ſupra & ad latus harum rerum aſpicimus, tremula nobis praeſentant.

61. Evacuatio inſenſibilis Cutis ſimpliciter & absque artificio per plures parvos Poros, de quibus antea dictum eſt, fere uti fumum ex viſceribus animalis recenter occiſi atque aperti exire videmus, contingit. Exoneratio peculiaris & continua Seri Sanguinis per Vaſa Capillaria Cutis eſt.

62. Ordinarie admodum moderata exiſtit, & Aeſtate, prope magnum focum, poſt magnos Corporis motus, & tempore diſtributionis Chyli major ſive abundantior quam Hyeme, in locis frigidis, in quiete, & ante cibi ſumtionem exiſtit.

63. Materia quae tranſpirat plus minusve ſalina eſſe videtur, quemadmodum quis Linguam Palmae Manus applicando, inprimis quando non brevi antea lavata fuit, experiri poteſt. Unde fortaſſis vulnus Digito ſerico munito minus quam Digito nudo attactum dolet. Eadem ex ratione incommodo huic absque alio artificio, quam ut Manus atque Digiti ante vulneris deligationem bene laventur, occurrere aut ad minimum illud minuere poſſemus.

64. Materia duarum reliquarum evacuationum Cutanearum, quarum ſuperius mentionem feci, Squaloris ſcilicet atque Sudoris, praecipue a Cutis Glandulis provenit. Utraque ſecundum diverſos Corporis locos differt, quemadmodum

in Squalore & Sudore Capitis, Axillarum, Manuum atque Pedum, &c. videre eſt.

65. Squalor Cutis humor plus minusve unctuoſus ſive pinguis eſt, qui inſenſibiliter ſuper Epidermide colligitur, ibidem craſſeſcit, ibique ſpeciem vernicis efficit, quae dum tranſitum Tranſpirationis Cutaneae obturat, cum tempore noxia fit.

66. Colluvies haecce Hyeme potius quam Aeſtate formatur, unde Manus majori cum difficultate in frigore quam calore mundae aſſervantur, & ipſe expertus ſum, quod haecce vernix tunc glaciata quaſi fiat, atque, quo Cutis a frigore facilius affici queat, faciat; quo frequentius enim Hyeme Manus meas lavo, eo minus, quando Diſſectionibus Anatomicis incumbo, a frigore afficiuntur.

MEMBRANA ADIPOSA ET PINQUEDO.

67. Secundum Corporis Humani Involucrum generale illud eſt, quod communiter Membrana Adipoſa, ſive Corpus Pinguedineum vocatur. Non Membrana ſimplex, ſed plurium Foliorum Membranaceorum, per intervalla unum alteri inaequaliter annexorum Textum exiſtit, ita ut quamplurima Interſtitia plus minusve extenſa forment, quae communicationem inter ſe alunt. Interſtitia haec Cellulae vocantur, & id quod ex talibus Cellulis compoſitum eſt, Textum Celluloſum audit.

68. Membranae Adipoſae craſſities non in toto Corpore aequalis eſt, & a pluralitate Foliorum eandem

eandem componentium dependet. Textum hoc Foliatum ſive Celluloſum Cuti fortiter adhaeret, inter Muſculos in genere, & inter eorundem Fibras in ſpecie ſe inſinuat, imo cum Membranis quoque, quae interiora Abdominis atque Pectoris inveſtiunt, communicat.

69. Structura haec quotidie a Lanionibus evidenter demonſtratur; dum enim animal recenter mactatum flatu replent, nonſolum Membrana Adipoſa turgeſcit, ſed flatus quoque in ipſis Muſculorum Interſtitiis expanditur, ad Viſcera uſque penetrat, & in illis ſpeciem Emphyſematis artificialis ubique producit.

70. Interſtitia haec Celluloſa inſtar totidem parvorum Saccorum ſive Sacculorum Succo oleoſo, unctuoſo, & plus minusve firmo aut liquido, qui Pinguedo dicitur, repletorum ſe habent, cujusque major vel minor firmitas non ſolum a conſiſtentia peculiari hujus Succi, ſed & ab extenſione ſive parvitate Cellularum magis minusve diviſarum & ſubdiviſarum dependet.

71. Omnibus notum eſt, quod Illuſtris Dominus Malpighius multam hac in re operam navaverit; quod in Avibus atque in Ranis, quorum Viſcera atque Vaſa tranſparentia ſunt, ſpeciem Ductuum Adipoſorum ſive Pinguedineorum viderit, quodque, dum Ductus hoſce premebat, guttas oleoſas in parvos Venae Portae Ramuſculos diſtincte volvi obſervaverit.

72. Fabrica Saponis, compoſitio Unguenti quod Nutritum dicitur, diverſae oleorum cum Li-

quoribus ſalinis & acidis mixtiones, aliqualem de Pinguedinis in Corpore humano formatione ideam ſubminiſtrant; Organon vero, quod eandem a Sanguinis Maſſa ſeparat, & de quo hic praecipue ſermo eſt, nondum ſatis cognitum exiſtit.

73. Pinguedo ſive materia Pinguedinea in viventibus fluidior quam in mortuis exiſtit. Quod Digitorum calore, dum contrectatur, liqueſcat, quodque Sacci Membranacei ex parte impediant, ne diffluat, videmus. Ut integre ex iisdem exeat, totum in Vaſe igni imponitur: Sacci Celluloſi tunc diſſiliunt, & in formam granorum irregularium coëunt, quae verae Pinguedini ſive Subſtantiae oleoſae, fuſae atque liquidae innatant.

74. Haecce Materia ſive Subſtantia quiete & lauta vita colligitur atque augetur. Vita laborioſa atque pauco nutrimento imminuitur & conſumitur. Effectus hicce reſpectu alimentorum facile concipitur; aeque facile intellectu eſt, quod continua quies vitaque otioſa eandem minus fluxilem & per conſequens propriam reddat, ut tranſitui Tranſpirationis Cutaneae obicem ponat, atque jacturam naturalem, quae illa mediante contingit, impediat.

75. Labor e contrario eandem diſſolvit, eamque pedetentim cum materia Tranſpirationis Cutaneae e Corpore expellit. Credunt, quod deficiente nutrimento, mediantibus Venis Capillaribus in Maſſam Sanguinis redeat, & ad certum uſque gradum illius defectum ſuppleat.

76. Hoc modo quorundam animalium longae abſti-

abſtinentiae explicantur; mihi vero ſolum exhalationis Cutaneae impedimentum ob continuam horum animalium quietem & otium multum huc contribuere videtur.

77. Differentia craſſitiei Membranae Adipoſae determinata eſt, & in certis Corporis locis, tam ratione pulchritudinis quam ratione utilitatis admodum regulariter obſervatur.

78. In locis ubi interſtitia Muſculorum cava atque vacua nimis deformia reliquiſſent, magis notabilis eſt, hacce enim materia pinguedinea repleta & quaſi obturata ſunt, quae eodem tempore Cutem attollit, eique certam formam gratam atque proportionatam conciliat.

79. Corpulentia ordinaria, extrema macies, Cadaver cui omnis Pinguedo diſſectione ademta fuit, Facies inprimis ea, quae modo dixi, abunde probant.

80. In quibusdam Corporis locis, verbi gratia in Natibus, ubi Folia atque Cellulae magno in numero adſunt, Pulvilli atque Culcitae loco eſt. In aliis partibus Membrana haec nullis Foliis aut admodum paucis gaudet, & per conſequens pauca aut nulla Pinguedo, exempli gratia, in Fronte, in Cubitis, &c. adeſt.

81. Dantur loci ubi ipſius craſſities per reſtrictionem naturalem inſtar plicae ſtrangulata quaſi ſive interrupta apparet; exempli gratia, in plica quae Menti partem poſteriorem a Collo ſeparat, & in iſta quae Nates a reliquo Femoris diſtinguit. Penitus etiam depreſſa & per ſpeciem Puncti ſive

Foſſulae aliquo modo perforata cernitur, quemadmodum hoc in Umbilico perſonarum obeſarum conſpicitur.

82. Hae Depreſſiones & hae Plicae nunquam, quamvis etiam quis Pinguedine fere diſrumperetur, obliterantur, quoniam naturales ſunt, & a peculiari Membranae Adipoſae conformatione, cujus Folia hiſce in locis deſunt, dependent.

83. Pinguedo ſive Materia Pinguedinea quoque reſpectu Muſculorum, quorum flexibilitatem ad eorundem actiones neceſſariam conſervat, quorumque mutuos attritus impedit aut aliquo modo mitiores reddit, magnae utilitatis eſt. Uſus hic fere cum iſto Materiae unctuoſae, quae in Articulationibus reperitur, & de qua in Tractatu de Oſſibus Recentibus ſermonem inſtitui, convenit.

84. Haecce Pinguedo denique, tanquam Subſtantia oleoſa in ſtatu ſuo naturali admodum ſubtilis, contra frigus inſuper aliquo modo defendere poteſt, quippe quod perſonas macilentas ſaepius magis quam obeſas afficit. Hac ex ratione viatores Extremitates ſuas, inprimis Pedis Oleis Spirituoſis, quale iſtum Terebinthinae &c. eſt, quo rigorem Hyemalem minus ſentiant, & Perniones praecaveant, inungunt.

85. Maſſa haec Pinguedinea, quae Corpori humano Tegumentum atque Involucrum generale praebet, ab iſta, quae in Abdomine, in Pectore in Canali Spinae Dorſi, & in Articulationibus Oſſium, atque in Oſſibus ipſis reperitur, differt.

86. Aſt

86. Aſt differentia omnium harum Pinguedinis Maſſarum peculiarium, quemadmodum ſupra jam dixi, in craſſitie praecipue aut ſubtilitate Pellicularum, in latitudine aut parvitate Cellularum, in conſiſtentia aut fluiditate, uti & in majore minoreve Materiae unctuoſae ſubtilitate conſiſtit.

UNGUES.

87. Ungues a quibusdam pro Papillarum Cutis Productione, & ab aliis pro Epidermidis continuatione habentur. Ultimorum ſententia cum Experientia per macerationem inſtituta convenit, qua mediante Epidermis integra a Manu & a Pede, inſtar Chirothecae & inſtar Tibialis apte detrahi poteſt.

88. Quando Experimentum hoc inſtituitur, Ungues a Papillis ſeparari atque Epidermidem ſequi videmus, cum qua inſtar ſpeciei Appendicis penitus uniti manent; nihilominus eorundem Subſtantia atque ſtructura ab iſta Epidermidis admodum diverſa eſſe videtur.

89. Eorundem Subſtantia cornea quaſi, & e pluribus Planis ſive Stratis Fibrarum longitudinalium invicem ferruminatarum compoſita eſt. Strata haec extremitatem cujuslibet Digiti attingunt. Eorundem craſſities fere aequalis eſt, longitudine vero differunt.

90. Extimum horum Planorum longiſſimum eſt, atque Plana interiora uſque ad intimum Planum, quod omnium breviſſimum eſt, per gradus imminuuntur; ita ut Unguis a ſua cum Epidermide unione ubi tenuiſſimus exiſtit, ad apicem Digiti

Digiti uſque, ubi craſſiſſimus eſt, per gradus craſſitie augeatur.

91. Extremitates gradatae ſive Radices cunctarum Fibrarum e quibus Plana haec componuntur, cavae exiſtunt, quo totidem Papillas admodum exiguas & admodum obliquas, quae iisdem immittuntur, excipiant. Papillae hae verae Cutis continuatio ſunt, quae poſtquam ad Unguium Radicem uſque pervenit, replicationem ſemilunarem format, in qua Unguis Radix nidulatur.

92. Poſt ſemilunarem hancce Replicationem Cutis infra totam ſuperficiem internam Unguis continuatur, & Papillae ea ratione, quam modo indicavi, in eandem ſeſe inſinuant. Cutis Replicatio exterius ab Epidermide ad Unguis Radicem uſque comitatur, huicque Radici valde adhaeret.

93. In Ungue communiter tres partes, Radix ſcilicet, Corpus atque Extremitas diſtinguuntur. Radix alba & inſtar Lunae creſcentis eſt. A Replicatione ſemilunari, de quo modo dixi, penitus aut quoad maximam partem abſconditur.

94. Luna creſcens Unguis & Cutis Replicatio ſibi invicem inverſo modo opponuntur. Corpus Unguis lateraliter fornicatum exiſtit: transparens eſt, atque colorem Cutis Mammillanae refert. Extremitas ſive apex Unguis nullibi annectitur, atque ea proportione qua abſcinditur ſemper creſcit.

95. Unguium primarius uſus eſt apicem Digitorum Manus atque Pedis firmare, & impedire, ne apex verſus convexitatem Manus aut Pedis invertatur, quando corpora dura tractamus aut premimus;

mimus; in Digitis Manus enim e latere Palmae Manus & in Digitis Pedis e latere Plantae Pedis frequentiſſimae & fortiſſimae impreſſiones, quando contrectamus & quando incedimus, contingunt. Potius itaque Anteridum quam Clypeorum loco ſerviunt.

PILI.

96. Pili non minus quam Ungues ad Tegumenta pertinent. Species Arundinis ſive Junci ſunt, cujux Radix Cepa ſive Bulbus dicta in latere adipoſo Cutis eſt. Truncus ſive initium Caulis Cutis craſſitiem perforat, atque Germen ſive Caulis reliquum ultra ſuperficiem Cutis externam ad certam uſque diſtantiam, quae in diverſis Corporis Humani partibus admodum diverſa eſt, procedit.

97. Quando diverſi Pili Microſcopio examinantur, eorundem Radix plus minusve ovalis reperitur, cujus craſſa extremitas e latere Pinguedinis, imo & pluribus in locis in Corpore Adipoſo ipſo hoſpitatur. Parva extremitas hujus ovalis e latere Cutis, imo certis in locis etiam in Corpore Cutis exiſtit.

98. Radix haec ovalis exterius Membrana plus minusve alba, admodum robuſta & quaſi elaſtica inveſtitur. Corpori adipoſo aut Corpori Cutis, aut utrique mediantibus quamplurimis Vaſis quam maxime gracilibus, & mediantibus Filis Nerveis magnae ſubtilitatis annectitur.

99. In parte Radicis interna ſpecies quaſi Glutinis

tinis apparet, a quo Fila quaedam ſubtiliſſima verſus parvam Bulbi extremitatem procedunt, ubi Fila haec invicem uniuntur, & Caulem formant, qui parvam Bulbi extremitatem tranſit, atque Cutem petit. In hocce tranſitu Bulbi Membrana inſtar Tubi admodum brevis prolongatur, qui Caulem arcte amplectitur, & cum eodem penitus unitur.

100. Caulis Pili poſtmodum verſus Cutis ſuperficiem procedit, atque mox fundum parvae cujusdam Foſſulae inter Papillas, aut Papillam peculiarem ipſam perforat, in qua Foſſula Epidermidi occurrit, quae ibidem circa eundem inverti & cum eodem penitus uniri videtur. Per Parietes Foſſulae ſpecies liquoris pinguis exhalat, qui ſupra Caulem effunditur, eumque magis minusve, prouti extra Cutem inſtar Pili prolongatur, comitatur.

101. Pili ſecundum diverſas Corporis partes, longitudine, craſſitie & conſiſtentia differunt. Ii Capitis Capilli, illi qui inſtar Arcus ſupra Oculos locantur, Supercilia, iſti marginis Palpebrarum Cilia, ii qui Os circumdant atque Mentum contegunt Barba vocantur. In quolibet alio loco, nullo peculiari nomine inſigniuntur. Eorundem longitudinis, craſſitiei, &c. differentia in cunctis hiſce partibus ſatis cognita eſt.

102. Eorundem figura naturalis cylindrica potius quam angularis eſſe videtur. Haec accidentalis eſſe poteſt. Quod colorem attinet, ad iſtum Glutinis ſive Materiae Medullaris Bulbi referri poteſt, cujus diverſa conſiſtentia Pilos quoque plus

plus minusve flexibiles aut aſperos reddit. Eorundem in lineam rectam aut curvam, & in diverſas volutationes extenſio non niſi a Strato perforato, unde Caulis egreditur, dependet.

103. Eorundem uſus reſpectu Corporis Humani in genere nondum ſatis cognitus eſt, ut cum certitudine aliquid de eodem dici poſſit. Reſpectu quarundam Corporis partium quidam eorundem uſuum peculiarium indicari poſſunt; quemadmodum in Expoſitione harum Partium videbimus.

SIC DICTA TEGUMENTA VETERUM.

104. Praeter Tegumenta quorum Deſcriptionem modo tradidi, Veteres inſuper duo alia, Panniculum ſcilicet Carnoſum atque Membranam Muſculorum communem, numeraverunt.

105. Panniculus carnoſus tantum in Quadrupedibus locum invenit, nec in Homine reperitur, cujus Muſculi Cutanei parvum admodum numerum explent, & quoad maximam partem admodum parvam extenſionem habent, iſto cui nomen peculiare Muſculi Cutanei eſt excepto, quique interim minori extenſione gaudet, ut ad Tegumenta referri queat.

106. Reſpectu Membranae communis Muſculorum, nulla datur, quae Corpus ceu Tegumentum univerſale contegit; non niſi expanſiones peculiares Membranae certorum Muſculorum, atque Expanſiones Aponevroticae quorundam aliorum exiſtunt.

107.

107. Proceſſus Foliorum Membranae Adipoſae ſive Celluloſae, praecipue iis in locis ubi Membrana Adipoſa ſive Celluloſa cum Membrana Muſculorum propria fortiter unita eſt, huic errori occaſionem etiam ſubminiſtraviſſe potuerunt.

FINIS TOMI III.

ERRATA.

Pag. 34. Lin. 8. Anconaeus, leg. Anconaeos.
pag. 46. lin. 23. Rentriculi, leg. Ventriculi.
pag. 47. lin. 5. In, leg. in.
pag. 51. lin. 17. & 21. Coecum, leg. Caecum.
pag. 80. lin. 18, tote, leg. toto.

EXPLICATIO
FIGURARUM.
TABULA AA.
quae XXV. Euſtachii eſt.

EXPLICATIO DN. LANCISII.

a. Cor Venae Cavae annexum.
b. Vena Jugularis externa dextra, truncata.
c. Vena Jugularis interna.
d. d. Venae Subclaviae.
e. e. Venae Axillares.
f. f. Vena Cephalica lateris dextri, illaque ſiniſtri lateris.
g. g. Venae Medianae.
h. Vena Baſilica dextra
i. i. Arteriae atque Venae Renales ſive Emulgentes.
k. Trajectus Aortae a Diaphragmate abſconditae, quae hic ab inferiori conſpicitur.
l. l. Arteriae & Venae Iliacae, quae deſcendendo Crurales fiunt, &c
m. Vaſa Pudenda.

EXPLICATIO SUPERADDITA.

n. Arcus Palmaris Manus dextrae.
o. Alia Vaſorum Manus ſiniſtrae diſtributio.
p. Arcus ſive Curvatura Trunci Aortae.
P. Aorta inferior.
q. Vena Cava ſuperior.
r. Vena Cava inferior in ſuo per Diaphragma trajectu.
S Vena Cava inferior in ſuo retro Hepar trajectu.
t. Vena Iliaca ſiniſtra.
u. u. Arteriae & Venae Crurales, ſive Crurales ſuperiores.
x. x. Arteriae & Venae Crurales inferiores, ſive Crurales.
y. y. y. y. Os utriusque Tibiae.
z. z. Tendo Muſculi Gracilis anterioris truncatus.
1. 1. 1. 1. Muſculus Vaſtus externus inverſus.
2. 2. Vaſtus internus.
3. 3. Cruraeus.
4. 4. Muſculus Faſciae latae.

5. 5. Triceps.
6. 6. Renes.
7. 7. Muſculus Latiſſimus Dorſi,
8. 8. Trapezius.
9. 9. Deltoides,
10. 10. Biceps.
11. 11. Anconaeus major.
12. 12. Supinator longus.
13. 13. Cubitaeus externus.
14. 14. Radiaeus internus truncatus.
15. 15. Cubitaeus gracilis ſive Palmaris truncatus.
16. 16. Cubitaeus internus truncatus.
* Vena Jugularis & Arteria Carotis.
** Venae & Arteriae Frontales.
17. Venae & Arteriae Temporales.
18. Venae & Arteriae Occipitales.
19. 19. Muſculus Sublimis, ſive Flexor ſecundarum Phalangarum.
20. 20. Muſculi Gemelli majores.
21. 21. Muſculus Solaeus.

TABULA A. No. II.
COR, VENAE, ARTERIAE.

Venas & Arterias interiores & paucas etiam exteriores exhibet, ut per Thoracem & Abdomen, ac ſecundum Muſculos, Oſſa &c. deductae ſunt.

Quibus Venis Arteriae comites adjunctae ſint ex figura ſatis apparet: & peti quoque poterit ex Arteriarum indice, quem Venarum ſubjiciam.

1. Cor.
2. Auricula dextra Cordis.

a. Vena Coronaria Cordis minor ſive dextra; quae ſe cum majore (ſive ſiniſtra) conjungit.

b.b. Rami Venae Cordis coronariae majoris.

c. Vena Cava ſuperior.

d. Radix Venae cujusdam (quae ad dextram Mediaſtini & Pericardii partem excurrit, atque cum Ramulis Diaphragmaticae dextrae Anaſtomoſin alit.)

e.e. Venae Subclaviae, quae, ubi ad Axillas venerunt, Axillares dicuntur.

f. Ve-

f. Vena Thyreoïdea, quae ſe cum Ramo Venae Jugularis internae dextrae conjungit.

g. h. Radices duarum Venarum, quarum altera *g.* ad ſiniſtram Mediaſtini partem tendens, cum venis Septi transverſi ei ſurſum occurrentibus conjungitur; altera *h.* in carneam Diaphragmatis ſubſtantiam in ſiniſtro latere inſeritur.

i. i. Venarum Mammariarum Radices.

k. k. Venae Jugulares internae, quae Ramos per Collum diſtribuunt, &c.

l. Venae Jugularis internae Ramus, qui ſe mox bipartitur in Venas *m.* & *r.* quarum

m. m. m. m. altera aſcendit ſub biventre maxillae & Stylohyoideo, conſcenditque deinde malam, poſteaque oblique per genam, perque Naſi latus procedit ad Frontem mediam, ibique cum pari ſui alterius lateris confluit in Venam *o.* Frontalem, antea autem Ramos emittit ad inferiorem partem oculi, exteriora Naſi, Canthum majorem, Supercilium. Cum hac Vena *m. m* conjungitur Ramus *n.* Venae *v.* quae eſt Ramus Jugularis externae. Eadem Vena *m. m.* producit Ramum, a quo duae Venae *p.* & *q.* quarum altera *p* conjungit ſe cum Ramo Venae *r.* decurrente ad loca ſubmaxillaria altera *q.* ſe rurſus in duas dividit, ad Labia perque ea decurrentes. Illa autem, quae per Labium inferius decurrit, continuat ſe pari ſui ex altero latere venienti.

r. Alter Ramus Venae *l* pariter ſub biventre Maxillae adſcendit; antea tamen ramum dat, qui conjunctus cum Vena *p.* decurrit ad loca ſubmaxillaria.

s. s Rami Venae Jugularis internae confluentes in Venam unam, quae producit venam *t.* per foramen quod vel in Suturae Lambdiformis additamento, vel juxta illud eſt, penetrantem ad Sinum lateralem Durae Matris.

u. Vena a Jugulari interna accedens ad Venam *v.* Jugularis externae ramum ante auriculam adſcendentem.

v. Ramus Venae Jugularis externae, qui per exteriora Sternomaſtoïdei adſcendens, poſt ſub Parotide

 pro-

procedit ante auriculam, ultraque eam ſub cute. Infra ſupraque truncatus.

w. w. Venae orientes a Ramo Venae r. qui pone Maxillam adſcendit, porroque ſub Temporali per latus calvariae in perioſteo ramos w. w diſtribuit.

x. x. Radices Venarum Jugularium externarum.

y. y. Radices Venarum primarum, quas Jugulares externae producunt.

z. α. Venae (quae ſunt Rami Jugularis externae, qui in Muſculis Scaleno, Elevatore Oſſis Humeri, Splenio, Rhomboïde, &c. diſtribuuntur, frequentesque Anaſtomoſes inter ſe alunt.)

β. Vena, quae, ut videtur, procedit ad Scapulae lunulam, quae eſt ad radicem proceſſus Coracoïdei.

γ. γ. Venae, quae ſe inter ſerratos anticos (Pectorales minores) & magnos demittunt.

ſ. ſ. Venae, quae ſe inter Latiſſimos Dorſi (Dorſales majores) & Serratos magnos demittunt, ramorumque altero ad Latiſſimorum internam partem pertinent, altero ad Serratorum externam.

δ. δ. Trunci Humerariarum & Axillarium.

ε. ε. ε. ε Venae Humerariae, aliis Cephalicae.

ζ. Venae communis ſuperficiariae radix facta ex conjunctione rami Humerariae ε. & Axillaris externae.

η. Ramus Humerariae, qui in flexu Cubiti jungitur cum profunda Axillari. v Euſtach. de Vena comm. prof. Brach. Antigr. III.

θ. θ. Venae Axillares, Baſilicas dicunt.

ϑ. ϑ. Venae Axillares externae. Euſtach. de Vena comm. prof. brach. Antigr. IV. hoc eſt, Venarum Axillarium Rami ſuperficiarii. Intermediis ramis conjuncti cum κ κ. Axillaribus profundis, idque non eodem modo.

ι. Vena Axillaris externa, ad poſtremum uno Ramo conjuncta cum altero Ramo eorum in quos Axillaris profunda diviſa eſt: altero cum Ramo Humerariae, ex quo fit Vena communis ſuperficiaria.

κ. κ. Venae Axillares profundae, quae plerumque oriuntur ſupra medium longitudinis humeri, & inter-

interdum altius vel humilius. v. Euſtach. de Ven. com. prof. Brach. Antigr. I.

λ. λ. Rami ad Bicipitem Brachii.

μ. Venae Axillaris Profundae Ramus, qui Cubiti articulum praetergreſſus cum Vena Communi Profunda ſe conjungit. Ab hoc Ramo ſurculi principiis Muſculorum, qui oriuntur ab interno humeri Tuberculo, (Condylo minore) Pronatoris teretis, Radialis interni, Sublimis tributi.

ν. In ſiniſtro Brachio, ubi Ramus μ. non adeſt, & Axillaris profunda diutius diviſa manet, Rami illi ad interiorem partem pronatoris teretis, radialis interni, ſublimis, ſeparatim oriuntur ab eodem ramo diviſionis axillaris profundae, a quo in dextro brachio vena μ.

ξ. Vena communis Profunda quae videtur dividi in tres Ramos contra Veſalii opinionem.

ο. ο. Medius Ramus Venae communis profundae, qui a Veſalio nec deſcribitur, nec pingitur; inter Muſculos ſecundum, & tertium digitorum internodium flectentes, totam membranei ligamenti ulnae & radii longitudinem perreptans, Muſculis ei incumbentibus ſurculos tribuit; & interdum geminus exiſtens. Arteriam hinc inde comprehendit. (Vena profunda Brachii anterioris.)

ϰ. ϰ Elatiores Venarum communium Profundarum Rami, quos Venas Radiales appellamus. Dextra, vena ſimplex, in vola continuat ſe ulnari arcus ϑ. forma. Producit Ramos π. π. ad Supinatorem longum & Profundum. Poſteaque, antequam ad Manum venerit Ramum ϱ, qui ſub Abductore longo Pollicis & Extenſore minore (Extenſore primo Pollicis) procedit ad Dorſum Manus, ubi inter principia Abductoris Indicis (Semi-Interoſſei Indicis) & Interoſſei ejusdem prioris penetrat ad volam; per cujus deinde profunda Ramos diſtribuit. Poſtquam autem inter principia Abductoris Indicis & Interoſſei ejusdem prioris ingreſſus eſt, dat Ramum

 ς, qui

ς, qui uno ramo pertinet ad Indicis latus, illud quod Pollicem ſpectat, altero ad Pollicem eoque ſe conjungit cum vena ex Arcu ϑ orta. In ſiniſtro autem Brachio Venam Radialem exhibuit mox in duas diviſam, unius Arteriae comites, quam mediam continent. Earumque altera σ. ad dorſum Manus procedit, reſpondens Venae ρ. Illiusque venae ς. ramus eſt Vena ς. eadem, quae ς. Manus dextrae, ſed ad Indicem ſolum pertinens.

τ. Humilior venae communis profundae Ramus, quem Venam ulnarem dicimus. In vola ſe continuat Radiali π, arcus forma, ex quo ϑ arcu rami ad Digitos Pollicemque uti ex figura ſatis apparet.

υ. In ſiniſtro Brachio Venae ulnaris unius loco duae ſunt, mediam Arteriam continentes. Apparet ex figura ortus earum, & mox ab ortu conjunctio ramo intermedio. Apparet decurſus ad volam perque eam ramorum ad Digitos Pollicemque aliter quam in manu dextra, quo varietas indicata.

φ. Vena Cava inferior.

χ. χ. Venae Diaphragmaticae.

ψ. ψ. ψ. Radices Venarum Hepaticarum.

ω. Venula orta dextra parte cavae venae, ſupra Emulgentem (ſive Renalem) & in pinguem dextri Renis membranam diſtributa. *v.* Euſtach. Expl. Tab. I. Fig. I. & de Ren. Cap. XV.

Γ. Venula vel a Cava vel a ſuprema parte Emulgentis dextrae ortum ducens, quae partim in ſeptum transverſum, partim in Glandulam Reni dextro incumbentem, partim in ſupernam regionem ſubſtantiae Renis diſtribuitur. v. Euſtach. de Ren. Cap XV.

Δ. Δ. Venae Emulgentes (ſive Renales.) v. Euſtach. de Ren. Cap. XV. & Cap. XVII.

Θ. Venula a ſuperiori latere ſiniſtrae Emulgentis venae in medio ductu nata quae diſtribuitur partim in ſeptum transverſum; partim in Glandulam Reni ſiniſtro incumbentem, partim in ſuperiorem regionem pinguis tunicae Renis. v. Euſtach. Expl. Fig. I. Tab. I.

Λ. Ve-

Λ. Venula originem ducens a ſuperiori latere Emulgentis ſiniſtrae juxta Renem diſſeminata in inferiorem partem pinguis tunicae ejusdem. v. Euſtach. Expl. Fig. I. Tab. I. & de Ren Cap. XVI.

Ξ. Ξ. Venae ſpermaticae: quarum ſiniſtra ab Emulgentis venae ſiniſtrae inferiore parte oritur: dextra a dextra parte Venae Cavae aliquantum infra Emulgentem dextram. Apparent Rami, quos emittunt ad partes, juxta quas incedunt. Apparent quoque rami, quibus cum Arteriis Spermaticis junguntur: aliaque ſiniſtrae cum comite arteria conjunctio.

π. π. π. π. π. π. Rami Venarum lumbalium tertiarum, quartarum, quintarum.

Σ. Σ. Venae Iliacae.

Φ. Venula, quae ab Iliaca ſiniſtra oriens, per poſteriorem partem Pelvis diſtribuitur. Quales ſaepe duae vel tres.

Ψ. Vena ſimilis, quae hic ſe conjungit cum Hypogaſtricarum ramis.

Ω. Ω. Venae Hypogaſtricae.

A. A. Venarum Hypogaſtricarum Rami per poſteriorem partem Pelvis decurrentes, ſeſeque & inter ſe conjungentes, & cum Vena Ψ.

B. B. Rami Venarum Hypogaſtricarum, qui per intervalla, quae ſunt inter Os Sacrum & oſſa coxarum exeunt ad nates.

C. C. Venarum Hypogaſtricarum Rami per priora Veſicae decurrentes, ubi diverſimode diviſi rurſusque conjuncti: circa Penis autem Radicem confluunt in Venam unam *D.*

E. Vena quae ab Iliaca aliquantum infra Hypogaſtricam orta, procedit ad priorem partem Veſicae, conjungitque ſe cum Vena *C.*

F. F. Venarum Hypogaſtricarum Rami, qui circa radicem penis confluunt cum Vena *D.* ex quo fit

G. Vena per Dorſum Penis decurrens.

H. H. Venarum Iliacarum Rami qui per priora Pſoarum & Iliacorum internorum decurrunt

I. I Radices Venarum Epigaſtricarum.
K. K. Radices Venarum Saphenarum.
L. L. Venae Crurales qnae Ramos per femora diſtribuunt; quorum varietas in duobus femoribus indicata.
M. M. Rami ad Iliacos internos.
N. N. Tenſores vaginarum femorum (iſtos faſciae latae.)
O. O. Ad Crurales.
P. P. P P. P. P. Ad Vaſtos externos.
Q. Q. Ad Vaſtum internum.
R. R. Ad Adductores breves Femorum.
S. S. S. S. S. Ad Adductores magnos Femorum.
T. T. T. T. Hi Rami ſe in duos dividunt, unius Arteriae comites, quam mediam continent.
V. Venae Popliteae Ramus, qui in ſuperiore parte Cruris inter Tibiam & Fibulam in priora penetrans, decurrit deinde ſecundum membranam Cruris Oſſibus interjectam, poſteaque ſecundum Tibiam utraque eam per Dorſi Pedis extremi profunda. *W.* Ramus ejus ad Plantam penetrans.
X. Venae modo dictae varietas. *V.* Haec ſe mox dividit in duas unius Arteriae comites, quam mediam continent. Deinde quoque ramis ſuis diſcrepat a Vena *V.* in Crure Pedeque extremo.
3. Arteria Pulmonaris.
4. Arteria Aorta
5. Cordis Arteria Coronaria dextra. Ramos comites adjungit ramis Venae *a.* Coronariae minoris.
6. Radix communis quae dein abit in radicem communem Arteriae Subclaviae dextrae & Carotidis dextrae, & in Carotidem ſiniſtram.
7. Arteria Subclavia ſiniſtra.
8. Radix communis Arteriae Subclaviae dextrae & Carotidis dextrae.
9. 9. Arteriae Carotides Comites Venis *K. K.* Jugularibus internis.
10. 10. Arteriae Carotidis externae Ramus qui comes

primum Venae *m*. cum ea pone Biventrem maxillae & Stylohyoideum adſcendit, conſcenditque malam, poſtea autem comes venae *q*. cum ea dividit ſe in duas, ad Labia perque ea decurrentes. Quae per Labium inferius decurrit, continuat ſe pari ſui ex altero latere venienti.

11. 11. Ramus Arteriae Carotidis externae a quo 12. Ramus ad loca ſubmaxillaria : cui ramus Venae *r*. comes. 13. 13 Alius qui pone biventrem & ſtylohyoïdeum adſcendit, comes deinde Venae *V*. cum qua ante Auriculam adſcendit ultraque eam ſub Cute 14. Alius qui ad Occiput ſe confert. Alius 15. qui retrorſum procedit ſub Trachelomaſtoïdeo (Complexo minori, ſive Maſtoïdeo laterali.) Splenio Capitis, (portione ſuperiore Splenii ſive Maſtoïdei poſterioris) cucullari (Trapezio) poſt per cucullarem, ubi is a Cranio oritur, penetrat, & per occiput adſcendit.

Ab Arteria 13. oritur Ramus qui una cum iſto ramo Venae *r*. a quo Venae *w*. *w*. producuntur, adſcendit pone Maxillam, porroque ſub Temporali in Perioſteo per latus calvariae cum Venis *w*. *w*. diſtributus.

16 Eſt arteria quae ad Glandulam Thyroïdeam ipſiusque vicinam tendit, Ramosque ſuos comites adjungit Venae *f*. ramis.

17. 17. Radices Arteriarum Mammariarum comites Venarum Mammariarum radicibus *i i*. Vena *Z*. comes Arteriae. An ejusdem Arteriae Rami in ſiniſtro latere comites Venae Jugularis internae retrorſum per Humerum incedentibus ?

Venae *β*. comes Arteriae Subclaviae ramus, qui ut videtur procedit ad Scapulae lunulam, quae eſt ad radicem proceſſus Coracoïdei.

18. Arteria ad Pectoralem majorem & Deltoïdem procedens. Ramum comitem adjungit Venae. *γ* ramo.

Venae *γ*. ſiniſtrae comes arteria quae ſe cum ea inter Serratum anticum (Pectoralem minorem) & magnum demittit.

Venis ſ. ſ. comites Arteriarum axillarium rami, qui ſe cum iis inter Latiſſimos Dorſi, (Dorſales majores) & Serratos magnos mittunt, alteroque ramo ad Latiſſimorum internam partem, altero ad Serratorum externam pertinent.

19. 19 Arteriae Axillares, quae deinde Brachiales vocantur. Comites Venis Θ. κ. Θ. κ. Venis λ. λ. comites arteriae ad Bicipitem Brachii. Venis μ. ν. arteriae comites ramisque ipſarum.

20. 20. Arteriae profundae cubitorum, comites Venis ο. ο.

21. 21. Arteriae Radiales. Comites Venis radialibus ϰ. ϰ. Venis π. π. comites Arteriae Radialis ramis ad Profundum & Supinatorem longum. Venis ϱ. σ. comites Arteriarum Radialium rami, qui ſub Abductoribus longis Pollicum manuum & Extenſoribus minoribus (primis Extenſoribus Pollicis ſolum dictis) procedunt ad Dorſum Manus, ubi inter principia Abductorum Indicum (Semi-interoſſeorum Indicum) & eorundem Interoſſeorum priorum penetrant ad volas, per quorum deinde profunda ramos diſtribuunt.

22. 22. Rami Arteriarum illarum quae comites ſunt venis ϱ. σ: quos ramos arteriae illae dant, poſtquam inter principia Abductorum Indicum & eorundem Interoſſeorum priorum ingreſſae ſunt. Comites venis ς. ς. Sed in Manu dextra etiam Ramum Pollici dat, ut comes Vena ς.

23. 23. Arteriae ulnares, comites Venis ulnaribus τ. υ. In dextro brachio exhibita arteria ulnaris Radiali in manu continuata Arcus ſpecie, ut Venae, ȣ: ex quo Arcu pariter Rami cum Venis ad Digitos Pollicemque.

24. 24. 25. Arteria Aorta deſcendens. 25. Exitus ipſius e Diaphragmate.

26. 26. 26. Arteriae Diaphragmaticae quae ramos Ramis Venarum Diaphragmaticarum χ. χ. comites adjungunt.

27. Radix

27. Radix Arteriae Coeliacae.
28. Radix Arteriae Meſentericae ſuperioris.
29. 29. Arteriae Emulgentes (ſive Renales) comites Venis Emulgentibus Δ. Δ.
30. 30. Arteriae Spermaticae. Apparent Rami quibus unitae cum Venis
Ξ. Ξ. Spermaticis quibus ſe comites adjungunt. Exhibita quoque alia in ſiniſtro latere arteria cum vena comite conjunctio.
31. Radix Arteriae Meſentericae inferioris.
32. 32. Arteriae Iliacae comites Venis Iliacis Σ. Σ.
33. 33. Arteriae Hypogaſtricae, quae cum Venis hypogaſtricis Ω. Ω. procedunt.
34. Radix Arteriae Umbilicalis ſiniſtrae Eadem in dextro latere. Dein Arteriae Hypogaſtricae dant Ramos, qui comites Venis *B. B.* cum illis per intervalla, quae ſunt inter Os Sacrum & Oſſa coxarum exeunt ad Nates.
35. 35. Arteriarum Hypogaſtricarum rami, qui decurrunt per priorem partem Veſicae permiſti Venis *C. C.*
36. 36. Arteriarum Hypogaſtricarum Rami qui per penis Dorſum incedunt. Comites venae σ. Venis *H. H.* comites arteriarum iliacarum rami, qui per priora Pſoarum & Iliacorum internorum decurrunt.
37. 37. Radices Arteriarum Epigaſtricarum Comites radicibus Venarum Epigaſtricarum *I. I.*
38. 38. Arteriae Crurales, quae cum Venis Cruralibus *L. L.* quas comitantur Ramos per femora diſtribuunt, ipſarum ramis *M. M. N. N. &c.* ubique comites.
39. Arteriae Popliteae Ramus, qui in ſuperiore parte Cruris inter Tibiam & Fibulam in priora penetrans decurrit deinde ſecundum membranam cruris Oſſibus interjectam, poſteaque ſecundum Tibiam ultraque eam per Dorſi Pedis extremi profunda. Comes Venae *V.* Producit Ramum qui Venae ש. comes ad Plantam penetrat.

40. Arteriae Popliteae Ramus idem modo dictus 39. cujus varietas hic indicatur. Ab illa enim, quae in dextro crure exhibita, diſcrepat ramis ſuis in Crure Pedeque extremo. Comes Venae *X*.

TABULA BB.

quae XVIII. Euſtachii eſt.

DN. LANCISII EXPLICATIO.

FIGURA II.

a. a. Nervi Olfactorii.

b. b. Nervi Optici truncati.

c. c. Nervi Motorii.

d d Nervi Pathetici dicti.

e. Protuberantia Annularis.

f. f. Tres Rami quinti Paris.

g. g. Sextum Par.

h. h. Nervi Auditorii. (Eorundem duae Portiones.)

i. i. i. i. Origo octavi Paris.

k. k. k. k Progreſſus octavi Paris.

m. m. Nervi Recurrentes.

n. Nervus ſiniſter noni Paris.

o. Nervus dexter noni Paris.

p. p. Corpora Pyramidalia.

q. q. Decimum Par truncatum, ſecundum Lanciſium, qui duo parva haec ſpatia alba ita explicat. Quoniam vero duo haec veſtigia in quatuor reliquis Cerebri Figuris non conſpiciuntur, haecce Explicatio nullo fundamento nititur.

r. r. Extremitas ſuperior Nervorum communiter Intercoſtalium vocatorum, quosque Dn. Lanciſius pro undecimo quodam Pari haberi poſſe dicit.

s. s. s. Craſſus horum Nervorum Truncus.

t. u. u. u. Nervus Acceſſorius octavi Paris, ipſiusque cum tertio Vertebralium Pari communicatio.

x. x. x. Nervi Diaphragmatici quorum ſiniſter dextrum longitudine ſuperat.

y. Inferior Infundibuli apertura.

z. z. Nervi qui ad Teſticulos, ad Uterum &c. decurrunt.

EXPLI-

FIGURARUM.

EXPLICATIO SUPERADDITA.

1. 1. Nervi Brachiales

2. 2. *&c.* Nervorum Vertebralium cum Nervis, communiter Intercoſtalibus appellatis, communicatio.

3. 3. Nervi Crurales & Iſchiadici.

FIGURA I. & III

Ab *a.* ad *k.* uſque uti in praecedenti ſive ſecunda Figura.

l. Nervus Acceſſorius octavi Paris ſive Nervus Spinalis cum diverſis ſuis originibus.

m. Chorda Tympani.

n. Portionis durae Nervi Auditorii cum Nervo Maxillari inferiori communicatio.

o. Nervus Ocularis, Nervus Ophthalmicus communiter vocatus.

p. Nervus Maxillaris ſuperior.

q. Nervus Maxillaris inferior.

FIGURA IV. & V.

Eaedem, quae I. & III. Nervorum ſectione excepta exiſtunt.

TABULA B.

quae XVIII. Euſtachii eſt.

EXPLICATIO DN. ALBINI.

FIGURAE I. III. IV & V.

Quatuor hae Figurae reſpondent ſibi invicem, hoc differentes, quod in tertia, quarta & quinta ſeorſim aliqui tantum nervi exhibeantur ex illis, quos figura prima ſimul omnes continet: reliqui enim in Figura tertia, quarta & quinta reſciſſi, quo appareant illi, qui ex prima ob multitudinem illam Nervorum cognoſci facile nequeunt.

Encephalo cum principio Medullae Spinalis per longitudinem mediam diſſectis, partes dimidias ab inferiore parte exhibent, una cum nervis.

Fig. 1. 3. 4. 5. *a.* Proceſſus Mammillaris.

1. 3. 4. 5. *b. c. d.* Nervus Opticus. *c.* Pars ejus quae eſt ante continuitatem opticorum, *d.* continua-

tinuatio illius, mediae per longitudinem diviſae, pars dimidia.

1. *e*. Retina.

4. 3. 1. 5. *f*. Truncus Nervi tertii paris Cerebri, quod par Oculos Motorium dicitur; juxta partem priorem Eminentiae Annularis oriens. Ramos producit.

4. 3. 1. *g*. ad Rectum adducentem Oculi pertinentem.

4. 3. 1. *h*. ad Obliquum inferiorem Oculi.

4. 3. 1. *i*. ad Rectum Deprimentem Oculi.

4. 3 1. *k*. qui in duos abit, quorum

4. 3. *l*. alter ad Rectum attollentem Oculi.

4. 3. *m*. alter ad Levatorem Palpebrae ſuperioris pertinet.

5. 3. 1. 4. *n*. Nervus quarti Paris Cerebri, quod Par Patheticum dicunt, ad Obliquum ſuperiorem Oculi pertinens.

4. 1. 3. 5. *o*. Nervus ſexti Paris Cerebri, ad rectum Abducentem Oculi; oriens juxta priorem partem Corporis Olivaris & Pyramidalis.

1. 4. *p*. Nervi Intercoſtalis (Sympathici magni) ramus qui ſe cum Nervo ſexti Paris Cerebri conjungit. vid. *ξ*. *ξ*. Fig. II.

1. 3. 4. 5. *q*. Truncus Nervi quinti Paris Cerebri naſcens e latere Eminentiae Annularis. Dividit ſe in tres Ramos, primum, ſecundum, tertium.

5. 3. 1. 4. *r*. Truncus primi Rami Nervi quinti Paris Cerebri, qui Ramus Ophthalmicus (Ocularis, Orbitarius) appellatur.

5. 3. 1. *s*. Ophthalmici ramus, qui decurrit per interiorem partem cavi oſſei oculi juxta Naſum, Ramosque producit *t*. *u*. *w*. *x*. quorum

5. 3. 1. *t*. An ad Nervos Ciliares pertinet?

5. 3. 1. *u*. *w*. per Foraminulum (Foramen Orbitarium internum) quod eſt ad commiſſuram Oſſis Frontis cum Plano, (Facie externa partis inferioris portionis lateralis Oſſis Ethmoïdis)

e ca-

e cavo oſſeo oculi elabitur in Sinum Frontalem, ex eoque in Cavum calvariae poſt *u.* per foramen Oſſis Cribriformis in Naſum penetrat. (Filum laterale Ramuli Naſalis Nervi Ophthalmici.)

5. 3. 1. *x.* ex angulo majore Oculi exit, ſeſeque ad radicem Naſi ſurſum flectit ad frontem,

5. 3. *y.* Ophthalmici bipartitio in Ramos *z. A. B*: quorum

5. 3. 1. *z.* juxta angulum majorem Oculi exit ad frontem.

5. 3. 1. *A. B.* modo dictum fere ad ſupercilium uſque (Arcus ſuperciliares) proxime comitatus, exit e foramine ſupercilii, *B.* flectitque ſe ad frontem.

1. 3. 4. 5. *C.* Secundus Ramus Nervi quinti Paris Cerebri. (Nervus Maxillaris ſuperior.) Ramos producit

1. *D.* Palatinum qui ſe primum demittit per Canalem factum ab Oſſe Maxillari ſuperiore & Palati: ex eoque exeuns *E*, flectit ſe in priora ad Palatum, per idque decurrit.

1. *F.* Naſalem, (Spheno-Palatinum) qui penetrat in poſteriorem partem Naſi, per foramen quod efficitur ab Oſſe Palati & a multiformis baſi, ad partem Naſi poſticam, & eandem ſuperiorem lateralemque (Foramen Spheno-Palatinum.)

1. *G.* Orbitalem (Infra-Orbitarium) qui per inferiorem partem cavi oſſei oculi decurrit ac Foramine Infraorbitali (ſive Orbitario exteriori) exeuns *H.* flectit, Ramoſque diſtribuit per profunda illius partis Faciei, quae infra oculum eſt.

1. 3. 4. 5. *I.* Tertius Ramus nervi quinti paris Cerebri, (Nervus Maxillaris inferior) qui ſe dividit in *K.* anteriorem & *L.* poſteriorem.

1. 3. 4. 5. *K.* Ramus anterior tertii Rami Nervi quinti Paris cerebri producit

Figura

Figura 4. 1. 5. *M.* Ramum qui per exteriorem partem Buccinatoris decurrit.

5. 1. 4. *N.* ad Temporalem. (Crotaphitem.)

4. 1. 5. *O.* Ad Pterygoïdeum externum (ſive Pterygoïdeum minorem.)

4. 5. *P.* Ad Maſſeterem.

1. 3. 4. 5. *L* Ramus poſterior tertii Rami Nervi quinti Paris Cerebri producit.

3. 1. *Q.* Ramum Lingualem.

3. 1. *R* Maxillarem qui intrat Canalem Maxillae inferioris per eumque decurrit. Raras propagines emittit, ne dicam ullas. v. Euſtach. de Dent. Cap. XX.

3. 1. *S.* Nervus qui a Maxillari *R* antequam is intret Canalem Maxillae, abſcedit, decurritque per interiorem partem Maxillae in priora ad Mylohyoïdeum , Biventris ventrem ſecundum (Corpus carnoſum) &c.

1. 3. *T.* Chorda Tympani conjuncta ab una parte cum Ramo Maxillari *R.* ab altera cum portione dura ſeptimi Paris nervorum Cerebri *Z.* (ſive parvo Nervo Sympathico) unita. v. Euſtach. de Audit. Org.

1. 3. *V.* Rami *L.* poſterioris tertii Rami Nervi quinti Paris Cerebri ramus, qui ſe cum portione dura ſeptimi Paris Nervorum Cerebri conjungit.

1. 3. 4. 5. *W.* Septimi Paris (Parvi Nervi Sympathici) Nervorum Cerebri, qui Auditorii dicuntur, portio dura, oriens a priore parte lateris externi Corporis Olivaris , primum autem

1. *X.* comes portionis mollis cum ea decurrit per Canalem communem in Oſſe Petroſo. Dein exit ex eo, flectitque ſe *Y*, ingreſſura Aquaeductum Fallopii. Per quem dein decurrit *Z*, & in itinere conjungit ſe cum Chorda Tympani. Poſt ubi exiit conjungit ſe *α.* cum Ramo

V, tertii

V. tertii Rami quinti Paris Nervorum Cerebri.

1, 3. 4. 5. γ. Septimi Paris Nervorum Cerebri, qui auditorii vocantur, Portio mollis, oriens a priore parte Corporis Olivaris propter externum latus portionis durae. v. Euſtach. de Aud. Org.

1. δ. Cochlea eſſe videtur, ad quam portio mollis pertineat.

1, 3. 4. 5. ε. Nervus octavi Paris Cerebri (Nervus Sympathicus medius) a latere externo Corporis Olivaris aliquot principiis oriens.

1. 3. ζ. η. θ. ι. Nervus Spinalis recurrens (acceſſorius octavi Paris) ζ. η. θ. tribus principiis oriens, ac ι. poſt ſe cum Trunco paris octavi Nervorum Cerebri conjungens. v. Euſtach. oſſ. Exam.

1. 3. 4. 5. κ. Nervus noni paris Cerebri, (Hypogloſſi, ſive Hypogloſſi majores.) aliquot principiis oriens a poſteriore parte lateris externi corporis pyramidalis.

1. 3. 4. 5. λ. Nervorum Spinalium primus.

1. 3. 4. 5. μ. Nervorum Spinalium ſecundus.

1. 3. 4. 5. ν. Nervorum Spinalium tertius.

1. 3. 4. 5. ξ. Medulla Spinalis.

1. 3. 4. 5. ο. Corpus Pyramidale.

1. 3. 4. 5. π. Corpus Olivare.

1. 3. 4. 5. ρ. Truncus Medullaris a Cerebello ad Medullam oblongatam accedens (parvi Rami, ſive Rami poſteriores Medullae Oblongatae, Pedunculi Cerebelli) efficiensque Eminentiam Annularem.

1. 3. 4. 5. σ. Eminentia Annularis. (Protuberantia transverſalis, annularis, ſive potius ſemiannularis, Pons Varolii.)

1. 3. 4. 5. τ. Crura (craſſi Rami, Rami anteriores) Medullae oblongatae.

1. 3. 4. 5. υ. ſpatiolum inter eminentias caudicantes,

tes, Crura Medullae oblongatae, & eminentiam annularem.

1. 3. 4. 5. φ. Eminentia caudicans pone Infundibulum.

1. 3. 4. 5. χ. Corpus cinereum, in angulo poſteriore continuitatis Nervorum Opticorum, inter Crura Medullae oblongatae ſitum. In eoque tertii Ventriculi Cerebri oſtium imum, unde Infundibulum procedit.

1. 3. 4. 5. ψ. ω. Cerebri Lobi. ψ. prior. ω. medius.

1. 3. 4. 5. Γ. Cerebellum.

FIGURA II.

A. A. A. A. B. B. Cerebrum a parte inferiore.

A. A. A. A Lobi priores *B. B.* medii.

C. C. Cerebellum a parte inferiore.

D. D. Extremi proceſſus transverſi Atlantis, (primae Vertebrae Colli.)

E. E. Eminentes margines illorum ſinuum Atlantis, qui recipiunt & ſuſtinent proceſſus Coronoïdeos (Condylos) Oſſis Occipitis.

F. F. Trunci medullares, qui a Cerebello ad Medullam oblongatam accedunt efficiuntque Eminentiam annularem.

G. G. Corpora Pyramidalia.

H. H. Corpora Olivaria.

I. I. I. Eminentia annularis.

K. K. Crura Medullae oblongatae.

L. Sinus inter Eminentiam annularem, Crura Medullae oblongatae & Eminentias caudicantes.

M. Eminentiae caudicantes pone Infundibulum ſitae.

N. Corpus Cinereum quod in angulo poſteriore continuatis nervorum opticorum poſitum inter crura medullae oblongatae, in quo corpore oſtium imum ventriculi quarti cerebri a quo oſtio procedit infundibulum.

O. O. Proceſſus Maxillares.

P. P. Nervi Optici. *Q.* eorum continuitas.

R. R. R.

R. R. R. iidem antequam ſe continuent.

S. S. Tertium par Nervorum Cerebri quod oculos motorium dicunt, juxta priorem partem eminentiae annularis oriens.

T. T. Quartum par Nervorum Cerebri, quod Patheticum appellant.

V. V. Quintum par nervorum cerebri, oriens e latere eminentiae annularis *W. X. Y. W. X. Y.* tres rami in quos ſe findit. *W.* primus, *X.* ſecundus, *Y.* tertius.

Z. Z. Sextum par nervorum cerebri, oriens juxta priorem partem corporum olivarium & pyramidalium.

a. a. a. a. Septimi paris nervorum Cerebri portiones durae orientes a priore parte lateris externi corporum olivarium.

b. b. Portiones molles ſeptimi paris nervorum cerebri orientes a latere Corporum olivarium ſtatim pone portiones duras.

c. c. Cochleae eſſe videntur, ad quas portiones molles pertineant.

d. d. Par octavum nervorum cerebri; aliquot principiis a poſteriore parte lateris externi corporum olivarium.

e. e. Nervi ſpinales recurrentes ſe ad par octavum Nervorum Cerebri adjungentes.

f. f. Octavi paris Nervorum cerebri Trunci conjuncti cum truncis Spinalium recurrentium.

g. g g. Spinales recurrentes, poſtquam ab octavo pari nervorum cerebri ſeceſſere.

h. Spinalis Recurrentis Ramus qui pertinet ad Cleidomaſtoïdeum & Sternomaſtoïdeum (ad duas portiones Sterno-Maſtoïdei.)

i. Spinalis recurrentis Ramus quo conjunctus cum pari tertio Cervicalium.

k. Spinalis recurrentis ramoſus finis, quo praecipue ad Cucullarem (Trapezium) pertinet.

l. l. l. l. l. l. Trunci partis octavi Nervorum Cerebri.

m.m. Octavi paris nervorum cerebri Rami Linguales, qui praecipue ad Linguae Radicem pertinent; itemque ad vicinam Pharyngis partem.

n.n. Octavi paris Nervorum cerebri rami laryngaei ſuperiores, qui inter Os Hyoïdes & Cartilaginem Thyreoïdeam penetrant in interiora Laryngis: ubi

o. ſe conjungit cum Laryngaeo recurrente.

p. Laryngaeus recurrens, ſive inferior (Nervus recurrens breviter) dexter, gemino principio oriens a dextro nervo octavi paris Cerebri.

q. Laryngaei recurrentis dextri conjunctio cum Nervo Intercoſtali (magno Nervo Sympathico) dextro.

r. Laryngaeus recurrens ſive inferior ſiniſter, gemino pariter principio oriens a ſiniſtro nervo octavi paris cerebri, ſed demiſſius quam dexter.

s. Nervus quo Cardiacus ſiniſter conjungitur cum Laryngaeo recurrente ſiniſtro.

t. Laryngaeorum recurrentium finis ramoſus quo pertinent ad Glandulam Thyreoïdeam, Pharyngem, Cricoarytaenoïdeos poſticos, Arytaenoïdeos, Thyreoarytaenoïdeos (& Thyro-Epiglottideos.)

u.w.x. Nervus Cardiacus dexter duobus oriens principiis *w.* altero Laryngaeo recurrente dextro *x.* altero a dextro nervo octavi paris Cerebri.

y.z.α. Nervus Cardiacus ſiniſter principiis oriens duobus *z.* altero a nervo ſiniſtro octavi paris Cerebri. *α.* altero a nervo Intercoſtali (Sympathico magno) ſiniſtro, ut ex figura apparere videtur.

β. Nervus, quo Cardiaci conjuncti inter ſe.

γ. Cardiacorum ramoſus finis quo ad Cor parteſque ejus pertinent

δ.δ.δ. Nervi pneumonici, orientes ab octavo pari nervorum Cerebri.

ε.ζ.ε.ζ. Octavi paris cerebri nervorum diviſio in duos Ramos rurſus deinde confluentes, ac inſulam quandam efficientes, quarum ſiniſtra minor.

η.η.η.

η. η. η. Rami quibus Trunci octavi paris cerebri conjunguntur inter ſe, tum ante ſtomachum tum pone.

ϑ. Trunci ſiniſtri octavi paris cerebri ramus, qui per ſuperiorem partem Ventriculi decurrit a ſtomacho ad Pylorum ramosque Ventriculo dat, priori maxime parti ejus.

ι. Trunci ſiniſtri nervorum Cerebri octavi paris ramoſus finis ad ſiniſtrum & eandem priorem partem ventriculi pertinens juxta finem ſtomachi.

κ. Trunci dextri nervorum cerebri octavi paris ramoſus finis ad ſiniſtram & eandem poſteriorem partem ventriculi, quae eſt juxta finem ſtomachi, pertinens

λ. Trunci dextri nervorum cerebri octavi paris ramus, qui reſpondet ramo ϑ. ſiniſtri, eodem modo decurrens, ramosque dans poſteriori maxime parti Ventriculi. v. Euſtach. de Dent. Cap. XXV.

μ. Dexter truncus pone ventriculum deſcendens ac deinde ν. conjungens ſe cum nervo Intercoſtali ſiniſtro.

ξ. ξ. Summum Nervorum Intercoſtalium principium, quo conjuncti cum ſexto pari nervorum Cerebri.

ο. π. ο. π. Rami duo in quos ſe findunt trunci nervorum Intercoſtalium, poſt rurſus coeuntes in unum, ac ſic fiſſuram efficientes, per quam incedit Arteria Carotis interna, quae una cum his ramis continuatur in Canali oſſis Petroſi, per quem in Cranium penetrat.

ρ. ρ. Trunci Nervorum Intercoſtalium.

σ. σ. Superiora nervorum Intercoſtalium Ganglia cervicalia.

τ. τ. τ. τ. τ. τ. τ. τ. τ. τ. τ. Trunci nervorum Intercoſtalium; qua ſe ſecundum Spinam per Collum, Thoracem, Abdomen, Pelvem demittunt.

υ. υ. &c. Ganglia nervorum Intercoſtalium, quorum tantummodo aliquibus Literae inſcriptae, ne obrueeretur figura.

 φ. φ. φ.

φ. φ. φ. &c. Rami quibus nervi Intercoſtales cum nervis Spinalibus conjunguntur.

χ. χ. χ. χ. Extremorum Nervorum Intercoſtalium conjunctio cum primo & ſecundo trunco Nervorum per os Sacrum a priori parte exeuntium.

ψ. ψ. ψ. ψ. ψ. ψ. ψ. ψ. ψ. ψ. ψ ψ. Nervorum Intercoſtalium rami, qui ſimul efficiunt

ω. ω. ω. truncos inſignes (Funiculos, truncos collaterales) qui ſe ſecundum corpora Vertebrarum Dorſi demittentes per Diaphragma penetrant, poſteaque commiſcentur & conjunguntur Γ. ν. uterque cum dextro nervo paris octavi Cerebri, Δ. ac dexter cum ſiniſtro.

Θ. Θ. Nervorum Intercoſtalium Rami qui ſe cum ramis truncorum ω. ω. conjungunt.

A Nervorum Intercoſtalium truncis, ω. ω. octavo pari nervorum cerebri eorundemque ramis & conjunctione proveniunt ſequentes nervi, ad Renes, Renes ſuccenturiatos (Glandulas Supra-Renales) Hepar, Lienem, Ventriculum, Inteſtina &c. pertinent. Euſtach. de Renib. Cap. XXI.

Λ. Λ. Λ. Λ. Rami ad Hepar; unde multi etiam ad Duodenum. Apparet ramorum conjunctio.

Ξ. Ξ. Nervus Gaſtro-Epiploïcus dexter, qui ſecundum ventriculi fundum (curvaturam magnam,) qua omentum ipſi adhaeret a dextra parte incedit, ramos producit π. π. π. ad ventriculum pertinentes. Σ. Σ. Σ. Σ. Σ. ad omentum.

U. U. U. Nervus ad Renem dextrum & ad ſuccenturiatum ut puto.

Φ. Φ. Rami ad Lienem, puto

Ψ. Nervus Gaſtro-Epiploïcus ſiniſter, qui ſecundum Ventriculi fundum, ubi omentum ipſi affixum a ſiniſtra parte incedit, ramosque dat Ω. Ω. Ventriculo, 1 1. &c. omento.

2. 2. 2. 2. Rami puto ad Renem ſiniſtrum, Renem ſuccenturiatum.

3. 3. 3: 3. 3. 3. Rami qui comites Vaſorum Spermaticorum ad Teſtes pertinent

4. 4. 4 &c. Rami ad Meſenterium & Inteſtina, ut puto.

5. 5. 5 &c. Rami qui paſſim ſe inter ſe conjungentes, ſecundum corpora Vertebrarum Lumborum & Oſſis Sacri ad imam pelvem ſe demittunt, ubi Ramis, quos emittunt, ſe conjungunt 6. cum tertio pari eorum, qui ex oſſis ſacri foraminibus prioribus exeunt, & 7. cum quarto.

8. 8. 8. Rami quos rami 5. 5. accipiunt a truncis nervorum inte coſtalium.

9. 9. 9. &c. An Rami ad Meſocolon colique partem ſiniſtram.

10. 10. 10. Nonum par nervorum Cerebri quod Linguale (magnos nervos Hypogloſſos ſive nervos Hypogloſſos externos, communiter nervos Guſtatorios) dicunt, aliquot principiis oriens a latere corporum pyramidalium.

11. Trunci noni paris nervorum Cerebri finis ramoſus, quo pertinet ad biventrem Maxillae, Hypogloſſum, Genio-Hyoïdeum, Genio-Gloſſum, (Hyo-Epiglottideum) Linguam &c.

12. 12. Nervi noni paris cerebri ramus inſignis, qui ſe per Collum mittit, ſuisque ramis pertinet ad Sternothyreoïdeum, Coracohyoïdeum (Homoplato-Hyoïdeum) Sternohyoïdeum &c.

13. Ramus quo Nervorum Cervicalium ſecundus conjunctus cum Ramo illo 12. nervi noni paris Cerebri.

14. 14. &c. Nervi Cervicales. 14. 14. ſecundi: 15. 15. tertii 16. 16. quarti: 17. 17. quinti: 18. 18. ſexti: 19. 19. ſeptimi: 20. 20. octavi:

21. Ramus quo ſe nervorum Cervicalium ſecundus cum tertio conjungit.

22. 22. Rami, quibus nervorum cervicalium tertii cum quartis ſe conjungunt.

23. Ramus nervorum cervicalium quarti, qui accedit ad Spinalem recurrentem.

24. 25.

24. 25 : 24. 25. Nervorum Diaphragmaticorum principia. 24. a nervorum cervicalium quarto. 25. a quinto

26. 26. Nervi diaphragmatici. Quorum dexter rectius deſcendit, non impeditus a corde: ſiniſter autem ut cor oblique in ſiniſtram partem deorſum porrectum, ita etiam oblique deflectit.

27. 27. Nervorum diaphragmaticorum ramoſus finis in diaphragmate.

28. 28. Nervorum cervicalium quatuor inferiorum & primi dorſalium implicatio & commiſtio, unde brachiales deinde fiunt.

29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38 : 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 39. Nervi dorſales.

40. 41. 42. 43. 44 : 40. 41. 42. 43. 44 Nervi lumbales.

45. 46. 47. 48 : 45. 46. 47. 48. Nervi oſſis Sacri.

49. Ramus quo nervus ſecundus oſſis ſacri conjunctus cum tertio.

50. 50. 51. 51. Nervi 50. 50. ab ultimis lumbalium. 51. 51. a quartis qui conjuncti inter ſe, accedunt ad ſacri nervos primos tres in dextro latere, duo in ſiniſtro ad efformandos nervos Iſchiadicos.

52. 52. Nervi Iſchiadici.

Vertebris & Ligamentis earum intermediis, oſſique ſacro & Coccygi litteras non inſcripſi, cum & per ſe ſatis cognoſci queant, & notarum nimis jam plenam iconem hanc magis obruere non conveniat.



TAB. A.A.



TAB. A. [illegible]



TAB



TAB.

EXPOSITIO
ANATOMICA
STRUCTURAE
CORPORIS
HUMANI

JAC. BENIGNI WINSLOW
IN UNIVERS. PARIS. ANAT. ET CHIR. PROF. SEN. ATQUE MED. DOCTORIS, REGII IN LING. TEUTONICA INTERPRETIS, ACAD. REG. GALL. SCIENT. ALIARUMQUE SOCII.

E GALLICO LATINE VERSA,

CUM FIGURIS AENEIS EARUMQUE EXPLICATIONE.

TOMI QUARTI PARS PRIMA.

CUM PRIVILEGIIS.

FRANCOFURTI & LIPSIAE.
Sumptibus JOAN. GOTHOFR. BAUERI.
M DCC LIII.

INDEX

Tractatuum, Titulorum atque praecipuarum Materiarum, quae in Quarti hujus Operis Tomi Parte Prima continentur.

(Nota. *Primus Numerus Paragraphum, & ſecundus Paginam indicat.*)

TRACTATUS DE ABDOMINE.

	Num.	Pag.
Delineatio & Diſtributio hujus Tractatus,	1	1
Conformatio externa Abdominis,	2	1
Tegumenta Abdominis,	13	4
Cavitas Abdominis,	19	6
Peritonaeum,	22	7
Nota in Vaſa Umbilicalia,	41	13
Ventriculus,	43	13
Inteſtina in genere,	87	25
Inteſtina Tenuia,	102	28
Duodenum,	104	29
Nota,	119	33
Inteſtinum Jejunum,	120	33

	Num.	Pag.
Inteſtinum Ileum, . .	132	36
Inteſtina craſſa, . . .	136	38
Inteſtinum Caecum, . . .	138	38
Inteſtinum Colon, . . .	147	41
Valvula Coli, ...	157	43
Inteſtinum Rectum. Anus, .	170	46
Muſculi Anus, . . .	179	49
Meſenterium, Meſocolon, &c. .	196	53
Glandulae Meſentericae, . .	208	57
Vaſa Lymphatica, Venae Lacteae, .	211	58
Arteriae & Venae Inteſtinorum, .	225	62
Nota in haec Vaſa, . . .	241	66
Nervi Inteſtinorum, . . .	242	67
Duodeni, . . .	*ibid.*	
Jejuni, Ilei, Glandularum Meſente-ricarum, . . .	243	67
Caeci, . , . .	244	67
Arcus Coli, . . .	245	67
S Romani, . . .	246	67
Recti, . . .	247	67
Anus ipſiusque Muſculorum, .	248	67
Epiploon, Appendices Adipoſae, .	249	67
Hepar, . . .	251	68
Vena Portae Hepatica, . .	276	75
Pori Biliarii. Ductus Hepaticus, .	278	76
Venae Hepaticae, . .	279	76
Nota in diſſectionem Hepatis, .	281	76
Arteria Hepatica. Nervi, .	282	77
Nota in Capſulam, . .	283	77
Tunica. Textum Filatum, .	284	78
Vaſa Lymphatica, . . .	285	78
Grana Glanduloſa, . .	286	78
Ductus Cholidochus, . . .	289	79
Veſicula Fellis, . .	291	80
Tunicae, . . .	293	81

Ductus

INDEX.

	Num.	Pag.
Ductus Hepati-Cyſtici, . .	297	81
Collum, Ductus Cyſticus, .	298	82
Annotationes in Vaſa, &c. Hepatis, .	306	85
Nota in Uſus, . . .	319	88
Pancreas, ...	320	89
Pancreas parvum, ...	325	90
Nota in uſus, . .	329	92
Lien, ...	330	92
Epiploon, parvum Epiploon, Appendices Epiploicae, ...	352	98
Inteſtinorum, Meſenterii, Venarum Lactearum, Hepatis, Pancreatis, Lienis, Epiploi, &c. Uſus, .	372	105
Renes, Ureteres, . . .	392	111
Pelvis Renum, . .	416	118
Ureteres, . . .	418	118
Nota in examen harum partium, .	431	123
Glandulae Supra-Renales, Capſulae Atrabiliariae communiter dictae, .	432	123
Nota in ſitum harum Glandularum, .	443	127
Veſica, ...	449	129
Nota in Sphincterem Veſicae, .	465	133
Partes Naturales Sexus Maſculini, .	466	134
Arteriae Spermaticae, . .	470	135
Venae Spermaticae, . .	476	136
Teſticuli, . . .	483	138
Epididymis, . .	490	140
Scrotum, . . .	494	141
Dartos, . . .	499	143
Vaſa Deferentia, . .	505	144
Tunicae Teſticulorum, .	514	146
Tunica Vaginalis, . .	515	147
Cremaſter, . . .	519	148
Corpora Cavernoſa, . .	524	148
Urethra, . . .	531	150
Bulbus Urethrae, . . .	534	151
Proſtatae, . . .	535	152

INDEX.

	Num.	Pag.
Glans, . . .	538	153
Caruncula, . .	544	154
Veſiculae Seminales, . .	546	155
Lacunae Urethrae, . .	554	157
Antiproſtatae, . .	556	158
Orificium Urethrae, . .	557	158
Involucra communia, . .	559	159
Praeputium. Sutura, . .	560	159
Ligamentum ſuſpenſorium, .	565	160
Muſculi, . . .	568	161
Arteriae, . . .	577	164
Venae, . . .	581	165
Nervi, . . .	586	167
Partes Naturales Sexus Foeminini, .	590	168
Uterus, . . .	591	168
Ligamenta lata, . .	603	171
Ovaria, . . .	605	172
Tubae Fallopianae, . .	608	173
Vaſa Sanguifera, . . .	615	174
Nervi. Vaſa Lymphatica. Ductus Lactei, . . .	624	177
Pubes, ...	625	178
Sinus; Alae, . . .	626	178
Lacunae, ...	629	179
Clitoris, ...	632	180
Nymphae, ...	640	182
Urethra, . . .	642	183
Vagina Uteri, . . .	646	184
Circulus Membranaceus, . .	654	185
Carunculae, . . .	655	186
Plexus Retiformis, . . .	656	186
Nota in Ligamenta quaedam Veſicae, .	659	187

TRACTA-

INDEX.

TRACTATUS DE PECTORE.

	Num.	Pag.
Delineatio & Diſtributio hujus Tractatus,	1	189
Conformatio externa Thoracis, .	2	189
Cavitas Pectoris, . . .	5	191
Mammae, ...	7	191
Corpus Mammae, . .	10	192
Ductus Lactei, . .	13	193
Areola, ...	14	194
Papilla, ...	17	194
Pleura, Mediaſtinum, . .	25	197
Nota in Pleuram, . .	36	201
Thymus, . .	37	201
Cor, ...	40	202
Ventriculi, . .	44	204
Valvulae, ...	58	207
Aorta in genere, . . .	63	209
Arteria Pulmonalis in genere, .	64	209
Auriculae, ...	65	210
Arteriae & Venae Coronariae, . .	70	212
Situs ſpecialis Cordis, . .	74	214
Pericardium, . . .	78	215
Syſtole, ...	87	218
Diaſtole, ...	88	218
Circulatio, . . .	89	219
Pulmones, ...	94	220
Bronchia, ...	100	221
Veſiculae Bronchiales, . .	104	222
Lobuli, ...	105	223
Textum Interlobulare, . .	106	223
Rete Vaſculoſum, . . .	109	224
Vaſa Sanguifera, . . .	110	224
Arteria Pulmonalis, . .	111	224
Venae Pulmonales, . . .	112	224

I N D E X.

	Num.	Pag.
Arteriae & Venae Bronchiales, .	114	225
Nota in Anaſtomoſes, . .	116	226
Nervi, ...	124	227
Vaſa Lymphatica, . . .	125	228
Ligamenta, . . .	126	228
Arteria Aſpera, . . .	127	229
Nota in Textum Celluloſum, .	141	233
Glandulae Bronchiales, . .	143	233
Nota in Tunicas, . .	144	234
Nota in Laryngem, . .	156	238
Oeſophagus, ...	157	238
Ductus Thoracicus, . . .	163	240

EXPO-

EXPOSITIO ANATOMICA STRUCTURAE CORPORIS HUMANI.

TRACTATUS DE ABDOMINE.

IN Tractatu Synoptico Partium Corporis Humani Expoſitionem atque Diviſionem Abdominis in genere, cum Partium ipſius externarum & internarum, tam earum e quibus componitur, quam earum quas continet quasque ſuſtinet, Enumeratione admodum ampla tradidi. Unde eadem generaliora hic repetere inutile eſt. Nihilominus ſuadeo, ut antequam quis ad ſpecialiora, de quibus in peculiari hocce Tractatu agitur, progrediatur, eadem relegantur.

CONFORMATIO ABDOMINIS EXTERNA.

2. Tota Abdominis extenſio anterius convexitatem oblongam inſtar fornicis ovalis in ſtatu

naturali plus minusve prominentis, ſecundum majorem vel minorem corpulentiam, prouti magis minusve ab alimentis, potulentis &c. vacuum aut repletum exiſtit, aut ſecundum diverſos Graviditatis gradus, format. Regio Hypogaſtrica & Umbilicalis magis quam Epigaſtrica hiſce varietatibus obnoxiae ſunt.

3. In lateribus inter Hypochondria atque Coxas Abdomen ordinarie parumper arctatum eſt. Poſterius in medio Regionis Lumbaris, leviter depreſſum exiſtit, atque ſpeciem concavitatis transverſalis format, quae curvaturae naturali Portionis Lumbaris Spinae Dorſi, de qua in Tractatu de Oſſibus diximus, reſpondet.

4. Haecce Abdominis convexitas anterior, haecque Regionis Lumbaris depreſſio, prouti ſtamus, ſedemus, in genua procumbimus, juxta totam longitudinem extenſi aut Femoribus flexis cubamus, variant. Id quod a ſitu peculiari, quem quilibet horum ſituum Pelvi Oſſium Innominatorum conciliat, dependet.

5. Quando ſtamus, Abdominis convexitas & Lumborum concavitas notabiliores quam in quamplurimis aliis ſitubus exiſtunt. Tunc enim inferior Oſſis Sacri extremitas magis recedit, & per conſequens Oſſa Pubis proportionate depreſſa ſunt. Ob huncce Pelvis ſitum Inteſtina naturaliter verſus anteriora prolabuntur, atque Abdomen propellendo, ipſius convexitatem augent, dumque eodem tempore inflexio Vertebrarum Lumbarium eadem ex ratione major fit, depreſ-

ſionem

ſionem quoque Lumborum magis viſibilem reddit.

6. Quando in Genua procumbimus, Oſſa Pubis magis adhuc quam quando ſtamus deprimuntur; id quod nonſolum Lumbis majorem cavitatem atque Abdomini ipſiusque Viſceribus majorem declivitatem conciliat, ſed & ipſius Muſculis ſpeciem vellicationis cauſatur, a qua certae perſonae magnum incommodum percipiunt, ita ut plane in animi deliquium inde cadant.

7. Major haec Pubis depreſſio quando Genubus incumbimus, ex parte a tenſione utriusque Muſculi Gracilis anterioris, cujus Tendo inferior in hocce ſitu cum violentia infra Trochleam Condyloïdeam Femoris trahitur, dependet.

8. Quando modo quam maxime conſueto, atque ita ſedemus, ut Femora ſecundum ipſorum longitudinem cum plano ſellae in eadem fere linea horizontali conſtituta ſint, tunc cavitas ſive depreſſio Lumborum atque prominentia Abdominis imminuuntur.

9. In hocce ſitu, cum Pelvis Tuberibus Oſſis Iſchii innitatur, haecque Tubera proxime Pelvis partem anteriorem ſint, accidit, ut Truncus, dum toto ſuo pondere Oſſi Sacro incumbit, Pelvim poſteriora verſus deprimat, atque eandem anterius attollat.

10. Quando juxta totam longitudinem extenſi aut in Dorſo, Femoribus penitus extenſis cubamus, Abdominis convexitas minor eſt, aſt eodem tempore parumper tenſum minusque flexi-

bile exiſtit; cum e contrario, Femoribus tunc temporis plicatis aut elevatis, molliuſculum nec tenſum ſentiatur. In hocce ſitu quoque Regio Lumbaris complanata quaſi minusque depreſſa reperitur.

11. Quotiescunque in eodem hocce in Dorſo ſitu Caput elevamus, aut minimum niſum idem elevandi inſtituimus, in anteriore Abdominis parte ſpeciem tenſionis magis minusve rigidae, ſecundum gradus niſus quos ad Caput elevandum impendimus, ſentiemus.

12. Varietates hae & hae conformationis externae Abdominis mutationes tantam cum quamplurimis aliis Phaenomenis in oeconomia Animali Corporis Humani affinitatem alunt, ut nimis prolixum, quin a ſcopo alienum foret, omnia eorundem peculiaria in Opere Anatomiae tantum deſtinato explicare, in quo quantum poſſibile ad bonam Expoſitionem verae Structurae reſpicere atque primarios illius uſus indicare contenti eſſe debemus. Reliquum ad Opus peculiare pertinet, quemadmodum in initio praeſentis monui.

TEGUMENTA ABDOMINIS.

13. Generaliter de illis in Tractatu Synoptico locutus ſum. Cutis ſuperficies minus hic quam alibi Papillis ſive Tuberculis mammillanis notata eſſe videtur. Anterior hujus Cutis portio nonſolum tenuior eſt atque Textum magis ſtrictum quam portio poſterior, quemadmodum jam in loco citato indicavi, conſtituit; ſed Textum hoc

id inſuper peculiare habet, quod latitudo ipſius naturaliter multum & per certum temporis ſpatium, quandoque modo extraordinario, absque ut ipſius craſſities proportionate imminuatur, augeri poſſit.

14. Epidermis quoque naturaliter peculiaris hujus circumſtantiae particeps eſt. Non niſi de illo quod in ſtatu corpulentiae atque graviditatis naturali obſervatur hic mihi ſermo eſt. In ipſo hujus Cutis Texto ipſiusque Epidermide nondum veram ſtructuram, a qua peculiaris haec circumſtantia dependet, evolvere potui. In cadavere Foeminae cujus Venter arctatus atque depreſſus erat, magnum tantum numerum Rhomborum ſuperficialium inſtar Retis in ſuperficie Cutis Ventris diſpoſitorum obſervavi.

15. Veſtigia ſuperficialium horum Rhomborum in Epidermide erant. Ex pluribus lineis admodum ſubtilibus, quae conjunctim parvam latitudinem efficiebant, compoſiti erant. Areae ſive Maculae horum Rhomborum, quae duas circiter lineas latitudine aequare videbantur, planae atque maxime tenues erant.

16. Ea methodo, qua Steno Cadavera aperiebat, dum duas inciſiones longitudinales in Tegumentis inſtituebat, atque faſciam Cutis & Membranae Adipoſae in ſitu ſuo relinquebat, evidenter admodum productionum Aponevroticarum ſive Tendinoſarum concurſus, & iſte Arteriarum, Venarum Nervorumque pro compoſitione Cutis Abdominis demonſtratur. Idem artificium quo-

 que

que in illa, quae aliis in locis invenitur, adhiberi poteſt, quemadmodum in peculiari Opere indicabo.

17. Cellulae Membranae Adipoſae, convexitatem Abdominis contegentes, admodum regulariter diſpoſitae ſunt, imo ſpecie ordinis quam maxime ſymmetrici gaudent. Diſpoſitionem hancce ope methodi, qua ad aperienda Cadavera in Curſibus meis Anatomicis, tam publicis quam privatis, ſemper uſus ſum, detexi. Methodus haecce eſt, ut in Tegumentis infra Umbilicum duae inciſiones obliquae, una ſcilicet in quolibet latere ab Umbilico ad Inguen uſque fiant, atque ita portio angularis horum Tegumentorum ſeparetur, quam poſtmodum ſupra Partes Naturales inverto, quo iisdem durante Demonſtratione tegminis loco ſit.

18. Portione hac triangulari ita inverſa, in ſuperficie Membranae Adipoſae interna linea longitudinalis inſtar ſpeciei Suturae, per occurſum horum Ordinum Celluloſorum, qui ſucceſſive unus ſupra alterum e regione Lineae Albae Muſculorum Abdominis Angulos formant, in conſpectum prodit. Cellulae horum Ordinum reliquis oblongiores, & ovales quaſi, inſtar granorum Frumenti ſunt.

CAVITAS ABDOMINIS.

19. *Compoſitio.* Apex Xiphoïdes Sterni, Portiones Cartilaginoſae ultimi Paris Coſtarum Verarum, iſtae quatuor Parium ſequentium Spuriarum,

rum, quintum ſive omnium Coſtarum ultimum Par integrum, quinque Vertebrae Lumborum, & Oſſa Innominata cum Oſſe Sacro atque Coccyge, Congeriem hujus Cavitatis formant.

20. Diaphragma, Muſculi in ſpecie Muſculi Abdominales dicti, Muſculi Quadrati Lumborum, Muſculi Pſoae & Muſculi Iliaci, Coccygis atque Inteſtini Recti Muſculi, ipſius circumferentiam potiſſimum efficiunt, cujus tota ſuperficies interna Expanſione Membranacea, quae Peritonaeum dicitur, inveſtitur. Totum Tegumentis, de quibus modo dixi, cooperitur. Muſculorum Longiſſimorum Dorſi, Sacro-Lumbarium, Vertebralium, imo etiam Glutaeorum &c. portiones tanquam hujus cavitatis acceſſio hic addi poſſent.

21. *Figura interna.* Irregulariter ovalis quamvis ſymmetrica exiſtit. Anterius uniformiter fornicata ſive ovalis eſt, maximaque ipſius capacitas regioni Umbilici atque parti vicinae Hypogaſtrii reſpondet. Superius portione fornicis admodum inclinati limitatur. Poſterius per Columnae Vertebralis Lumborum prominentiam in duos Receſſus ſive Locellos dividitur. Inferius ad parvum Pelvis marginem uſque pedetentim anguſtatur, & ſtatim poſtea ad Coccygem & ad Tubera Oſſium Iſchii uſque pauxillum adhuc latior evadit, ubi per intervallum trium harum partium finitur.

PERITONAEUM.

22. Muſculis Abdominalibus diſſectione ablatis, Involucrum ſtatim Membranaceum admodum

notabile internae Muſculorum Transverſorum ſuperficiei, iſtique totius reliqui Cavitatis Abdominis, cujus Viſcera inſtar ſpeciei ſacci contegit atque involvit, immediate adhaerens occurrit. Peritonaei nomen eidem impoſuerunt, terminus Graecus cujus radix circumtendere ſignificat.

23. Peritonaeum in genere Membrana Texti admodum ſtricti, nihilominus maxime flexibilis eſt, quod magnam extenſionem pati poteſt, qua ceſſante ſeſe iterum in ordinarium ſuum ſpatium, ſive iſtud, quo antea praeditum fuit, reſtituere poteſt. Id quod in graviditate, in Hydrope, & in iis quorum Venter corpulentia aut repletione turget, videmus.

24. Secundum ipſius in latum extenſionem ad minimum e duabus portionibus, una interna & altera externa, compoſitum eſſe videtur; quas Portiones plures Anatomici pro duarum Laminarum Membranacearum revera diſtinctarum duplicatione habuerunt. Aſt proprie loquendo, non niſi unica nomen Laminae Membranaceae meretur; Portio ſcilicet interna, quae corpus quaſi Peritonaei conſtituit. Portio externa non niſi ſpecies Apophyſis Fibroſae ſive Follicoſae internae exiſtit. Admodum apte Textum Peritonaei Celluloſum appellatur.

25. Vera Lamina Membranacea, communiter Lamina interna dicta, in latere, quod Cavitatem & Viſcera Abdominis reſpicit, admodum laevis & polita eſt; ipſiusque facies ſive ſuperficies interna ſemper Sero madida reperitur, quod

per

per Poros fere inſenſibiles exudare videtur.

26. Pori hi quando Portio Peritonaei ſuper apice Digiti invertitur, atque ſuper eodem hinc & illinc trahitur, deteguntur; tunc enim Pori dilatati percipiuntur, atque guttulae admodum diſtincte ex iisdem etiam absque microſcopio prodire cernuntur.

27. Fontes harum Guttularum atque hujus Seri faciei internae Peritonaei nondum bene cogniti ſunt. Per Tranſudationem fortaſſis aut per Tranſpirationem, qualis in apertura animalium recenter mactatorum obſervatur, contingit. Grana albicantia quae in certis ſubjectis morbo defunctis ibi inveniuntur, nihil pro Glandulis decidunt, quas in ſtatu naturali hic adeſſe contendunt.

28. Textum celluloſum ſive portio Peritonaei externa partibus internos Cavitatis Abdominis Parietes formantibus fortiter adhaeret. Non ubique aequali craſſitie gaudet. Quibusdam in locis admodum parum, imo, fere plane nihil apparet, uti in portionibus Tendinoſis ſive Aponevroticis Faciei internae Muſculorum Transverſorum atque Faciei inferioris Diaphragmatis.

29. In aliis locis craſſius exiſtit, atque Cellulas in Folia admodum ſubtilia expanſas format, quae morbo quandoque adeo lata atque adeo craſſa redduntur, ut pro totidem Laminis peculiaribus habeantur.

30. Dantur loca ubi Textum hoc Membranae Adipoſae plane ſimile eſt, quoniam ibi Pinguedine

ne repletur, uti in latere & circa Renes, juxta longitudinem portionum carnoſarum Muſculorum Transverſorum, quibus adhaeret, contingit. Craſſities ipſius certas partes, uti Veſicam, Ureteres, Renes, Vaſa Spermatica, &c. undique circumdat. Id quod communiter & improprie Peritonaei Duplicatio appellatur.

31. Textum Celluloſum praeter diverſas ſuas craſſities proceſſibus quoque inſtructum eſt, quos Productiones Peritonaei vocarunt. Duae ſunt quae Funiculos Vaſorum Spermaticorum in Viris atque Funiculos Vaſculoſos, vulgariter Ligamenta Uteri Rotunda comitantur atque involvunt. Duae aliae adhuc reperiuntur, quae infra Ligamenta Fallopii ſive Ligamenta Tendinoſa Muſculorum Abdominalium, cum Vaſis Cruralibus, quae involvunt, excurrunt, & poſtmodum ſenſim ſenſimque, ea proportione qua deſcendunt, obliterantur.

32. Quatuor hiſce Texti hujus Celluloſi Peritonaei Proceſſibus quintus addi poteſt, qui ſupra Collum Veſicae extenditur; & forſitan ſextus qui poſtea Inteſtinum Rectum comitatur. Omnes hi Proceſſus extra Cavitatem Abdominis porriguntur, atque externi vocari poſſunt, ut ab aliis qui interius excurrunt, internique audiunt, de quibus in ſequentibus ſermo erit, diſtinguantur.

33. Magna Vaſa Sanguifera, Aorta ſcilicet atque Vena Cava itidem craſſitiei Portionis Celluloſae Peritonaei includuntur. Uno verbo Textum hoc immediate & in ſpecie partes & Organa, quae com-

communiter in Peritonaei Duplicatione ſita eſſe dicuntur, involvit.

34. Vera Lamina ſive Portio Peritonaei Membranacea mediante Portione Celluloſa ſuperficiei internae Cavitatis Abdominis annectitur; aſt in Hominibus naturaliter externos Portionis Celluloſae Proceſſus minime comitatur. Proceſſuum horum Baſin ſive originem, absque ut ſuperficiei parallelum interrumpat aut mutet, ſimpliciter contegit.

35. Portio haec etiam Proceſſibus, qui vero ab iſtis Portionis Celluloſae maxime differunt, gaudet, nam ab exteriori introrſum procedunt, id eſt, a convexitate magni Sacci Peritonaei in ipſam Sacci cavitatem, quidam magis, quidam minus, & quidem diverſis modis procedunt, fere quaſi magnus Follis luſorius in diverſis convexitatis ſuae locis ab exteriori introrſum depreſſus eſſet, haeque depreſſiones in cavitatem Follis luſorii procederent. Follis magni luſorii loco Veſicam magnam quis ſibi praeſentare poteſt.

36. Quidam horum Proceſſuum internorum ſive Depreſſionum verae Laminae ſive Portionis Membranaceae Peritonaei inſtar Duplicationis ſimpliciter replicatae ſunt, quaedam inſtar ſaccorum ſive marſupiorum inverſorum, quae Viſcus quoddam involvunt, expanſae ſunt; quaedam ab initio per Duplicationem producuntur, atque poſtea per ſeceſſionem cavam, quae itidem Organon quoddam includit, terminantur; quaedam alternatim in ſimplices Duplicationes & in cavitates peculiares extenduntur; inveniuntur denique, quae in cavi-

cavitate magni Sacci Peritonaei levem tantum eminentiam faciunt.

37. Ad primam harum quatuor aut quinque ſpecierum Proceſſuum ſive Productionum internarum Peritonaei Ligamenta Membranacea Abdominis, uti iſta Hepatis, Coli, &c. referri poſſunt. Secunda ſpecies in Membrana Hepatis externa; tertia in Meſenterio; quarta in Meſocolo; quinta in Renibus & in Ureteribus occurrit.

38. Portio Celluloſa Peritonaei, praeter Proceſſus ſuos externos, de quibus ſuperius dixi, totidem quoque internis quam Portio Membranacea praedita eſt, cujus cunctas Duplicationes occupant, cunctasque cavitates in latere Viſcerum, quae cavitates hae involvunt, inveſtiunt.

39. Uſus Peritonaei in genere ex ejusdem Expoſitione quam modo tradidi, ſatis ſuperque elucescunt. Primarii ſunt Abdominis cavitatem inveſtire, Viſcera in hoc Ventre contenta ceu in ſacco communi involvere; iisdem Tunicas ſive Involucra peculiaria ſubminiſtrare, Proceſſus, Ligamenta, Inſertiones, Replicationes, Vaginas, &c. formare, quemadmodum in ſequentibus videbimus.

40. Ros ſubtilis qui ex interna Peritonaei ſuperficie ubique exudat, incommoda, quae a continuo attritu & jactationibus magis minusve notabilibus, quibus Viſcera Abdominis ex parte naturaliter, & ex parte occaſione diverſorum motuum externorum expoſita ſunt, accidere poſſent, impedit.

NOTA.

41. Communiter mos eſt, ut, antequam Peritonaeum aperitur, quatuor Funiculi Ligamentoſi, Vaſa Umbilicalia dicti, monſtrentur, quoniam Umbilico adhaerent, & tres ex his Funiculis una ſcilicet Vena Umbilicalis & duae Arteriae Umbilicales in Foetu revera Vaſa fuerunt. Mos hic in Demonſtrationibus Anatomiae publicis, ubi unicum tantum Cadaver totam ſuppellectilem conſtituit, neceſſitatis ſpecies eſt. Interim eorundem Deſcriptionem ad alia hujus Tractatus loca, iſtam ſcilicet Ligamenti Venoſi ad Hiſtoriam Hepatis, iſtam duorum Ligamentorum Arterioſorum atque quarti Ligamenti, quod Urachus dicitur, ad expoſitionem Veſicae relego.

42. Quodlibet trium horum Funiculorum ſive Ligamentorum Umbilicalium in Duplicatione Proceſſus Membranacei, quem Peritonaeum e latere cavitatis Abdominis inſtar Falcis emittit, includi atque ſuſtentari hic ſignificare ſufficit. Anno 1726. in Scholis Medicinae in Diſſectionibus atque Demonſtrationibus quas ipſe publice inſtitui, modum, quo Umbilicales hae Falces bene monſtrari, & a Funiculis Ligamentoſis diſtingui poſſint, indicavi.

VENTRICULUS.

43. *Situs generalis.* Stomachus, alias Ventriculus dictus, magnum Receptaculum Sacci inſtar eſt, partim in Hypochondrio ſiniſtro, & partim in Epigaſtrio locatum.

44. *Figura.* Stomachi figura iſti Uterculi ſimilis eſt, id eſt, oblonga, incurvata, in una extremitate ampla atque magna, in altera arctata atque parva exiſtit. Figura haec Ventriculo flatu, aut alia quadam materia liquida mediocriter repleto melius apparet.

45. *Partes externae.* Curvatura Ventriculi duos in eodem Arcus, unum magnum, qui juxta longitudinem maximae ipſius convexitatis excurrit, & unum parvum huic directe oppoſitum diſtinguendi anſam praebet. Duos hoſce Ventriculi Arcus Curvaturam magnam & Curvaturam parvam voco, atque portiones laterales quae inter duas Curvaturas ſive Arcus ſunt, Ventriculi Facies ſive Latera appello.

46. Ventriculus ſive Stomachus duabus extremitatibus, una magna & altera parva inſtar Infundibuli incurvati gaudet. Duabus aperturis praeditus eſt, quae Stomachi Orificia vocantur, unum inter magnam extremitatem & parvam Curvaturam; alterum in apice extremitatis arctatae. Prior apertura continuatio Oeſophagi eſt, & poſterior cum Canali Inteſtinorum congreditur. Haecce ultima apertura in ſpecie Pylorus vocatur.

47. *Situs ſpecialis.* Stomachus non in Hypochondrio ſiniſtro nec in Regione Epigaſtrica eo modo, uti quamplurimae Figurae eundem praeſentant, ſitum obtinet. Transverſim oblique & lateraliter fere hic jacet, ita ut magna extremitas cum Orificio vicino hujus extremitatis in ſiniſtro, & parva extremitas cum ſuo Orificio ſive Pyloro

in

in dextro latere, altero inferius magis, magisque inclinatum exiſtat. Unde haec duo Orificia cum Veteribus Anatomicis in Orificium ſuperius & in Orificium inferius diſtingui debent.

48. Magna Ventriculi extremitas in Hypochondrio ſiniſtro, ordinarie immediate infra Diaphragma eſt. Interim Orificium vicinum ſive Orificium Ventriculi ſuperius non ibidem reperitur. Fere e regione & prope medium corporis ultimarum Vertebrarum Dorſi exiſtit.

49. Parva Stomachi extremitas non ad dextrum Hypochondrium uſque extenditur. Ab anteriori retrorſum verſus Orificium ſuperius oblique incurvatur, ita ut Pylorus duos circiter transverſos digitos a corpore Vertebrarum, immediate infra parvam Hepatis portionem, per conſequens in eadem circiter diſtantia inferius magis magisque anterius quam alterum Orificium diſtet. Haecce Stomachi extremitas quandoque e latere magnae Curvaturae peculiari dilatatione praedita eſt.

50. Secundum particularem huncce & quam maxime naturalem ſitum, Stomachus, inprimis quando repletus eſt, ita locatur, ut magna Curvatura antrorſum magis quam deorſum, atque parva Curvatura retrorſum magis quam ſurſum vertatur.

51. Una Facierum ſive convexitatum lateralium ſuperiora & altera inferiora reſpicit. Neque anterius neque poſterius ſitae ſunt, quemadmodum in Cadavere aperto, in quo Inteſtina non amplius ſitum huncce naturalem ſuſtinent, ſeſe ſiſtunt.

52. Si Ventriculus juxta longitudinem ſuarum Cur-

Curvaturarum in duas dimidias partes aequales dividitur, quod duo Orificia non in eodem hujus diviſionis plano conſtituta ſint, quemadmodum quis juxta vulgarem ideam ſibi imaginari poſſet, ſed quod Orificium Diaphragmaticum in Facie, quam ego ſuperiorem voco, atque Orificium Inteſtinale in Facie inferiore integrum maneat, videbimus.

53. Tantum itaque abeſt ut Corpus Ventriculi idem cum Oeſophago Planum conſtituat, quemadmodum Figurae ſecundum Stomachum ex Abdomine exemtum, atque tabulae aut aſſeri impoſitum delineatum eundem praeſentant; ſpeciem potius Anguli ſive Plicae format; quae Plica parvum Muſculum Diaphragmaticum tranſeundo, ut Orificium ſuperius pauxillum retrorſum vertatur, efficit.

54. *Structura.* Ventriculus ex pluribus partibus compoſitus eſt, quarum primariae diverſa Strata ſunt, quae ipſius craſſitiem formant, quaeque Anatomici Tunicas appellant. Eorundem quatuor ordinarie numerantur, quae poſtmodum ſubdividuntur, Externa ſcilicet Communis, Muſculoſa ſive Carnoſa, Nervea ſive Aponevrotica, Villoſa ſive Interna.

55. Prima Tunica ſive extima ſimpliciter Membranacea eſt, atque una e Productionibus internis ſive continuatio Peritonaei exiſtit. Id quod ex Orificii ſuperioris connexione cum Diaphragmate clare eluceſcit, ubi Tunica externa ſive Membrana Stomachi revera cum Membrana ſuperficiem Dia-

Diaphragmatis inferiorem inveſtiente continuatur. Id quod eandem Tunicam Communem vocare occaſionem ſubminiſtravit.

56. Secunda Tunica, quae Carnoſa ſive Muſculoſa eſt, e pluribus Fibrarum Planis, quae ad duo primaria, unum internum & alterum externum, referri poſſunt, componitur. Planum externum in diverſos ſenſus longitudinale eſt, atque directionem curvaturarum & convexitatum Stomachi aliquo modo ſequitur. Planum internum transverſim circulare eſt.

57. Fibrae Plani externi Tunicae Carnoſae per intervalla oblique incedunt, & in pluribus locis per parvas lineas obliquas, albicantes & quaſi tendinoſas interrumpuntur. Planum hocce externum Plano ſive Faſciculo peculiari, qui juxta longitudinem parvi Arcus ſive Curvaturae reperitur, cujusque Fibrae minus obliquae quam iſtae magni Plani apparent, corroboratur.

58. Fibrae Plani interni ſive circularis Tunicae Carnoſae Ventriculi iſtis Plani externi robuſtiores exiſtunt. Segmenta potius Circulorum, quae per intervalla invicem uniuntur, quam Circuli integri ſunt; nam itidem per quamplurimas parvas albicantes & quaſi tendinoſas, admodum obliquas lineas Retis ſpeciem conjunctim praeſentantes, cujus Areolae ſive Maculae transverſim admodum anguſtae ſunt, interrumpuntur.

59. Circuli hi ſive Circumferentiae Circulares ea proportione qua ſupra magnam Ventriculi extremitatem procedunt, imminuuntur, ibique ſpe-

ciem Vorticis carnoſi formant, cujus centrum in medio hujus extremitatis eſt.

60. Inter Planum externum atque internum, circum Orificium ſuperius, duo Plana peculiaria, transverſum circiter digitum aut ultra lata & admodum obliqua reperiuntur, quae Orificium hoc reciproce amplectuntur, & in utroque latere in occurſu ſuo ſupra Facies laterales, ubi diſperguntur, ſeſe decuſſant.

61. Juxta longitudinem medii cujuslibet Faciei lateralis parvae extremitatis, Faſcia Tendinoſa ſive Ligamentoſa tres quatuorve lineas lata, quae in Pyloro finitur, adeſt. Duae hae Faſciae inter Tunicam externam ſive communem & Tunicam Carnoſam ſunt, atque externae fortiter adhaerent.

62. Inter Tunicam externam ſive Membranaceam atque Tunicam Carnoſam Textum Celluloſum reperitur, quod Tunicae externae fortiter adhaeret, atque inter Fibras Carnoſas ad tertiam uſque Tunicam repit, quemadmodum, quando Textum hoc flatu diſtenditur, demonſtrari poteſt. Pro Tunica peculiari ſub nomine Tunicae Celluloſae idem venditant; ſed non niſi Tunicae Membranaceae portio, uti Portio Celluloſa Peritonaei eſt.

63. Tertia Tunica, Tunica Nervea communiter dicta, convexitate ſua magnam Reticulatam Vaſorum Capillarium atque Nervorum diſtributionem ſuſtinet. Concavitate ſua Textum admodum laxum & Spongioſum quaſi ſive Filatum conſtituere videtur, in quo quamplurima parva Grana

Grana Glanduloſa, inprimis in latere parvae Curvaturae, & circum Pyloricam Ventriculi extremitatem hoſpitantur.

64. Textum hoc Spongioſum ſpeciei Xylini admodum ſubtilis ſimile eſt. Optime per paucam in aqua clara macerationem, qua in parvo temporis ſpatio multum intumeſcit, apparet. A Tela Filorum Ligamentoſorum ſive Aponevroticorum admodum ſubtilium & oblique decuſſatorum, iſti tertiae Tunicae Inteſtinorum, de qua inferius dicam, fere ſimili ſuſtinetur, atque convexitati Tunicae Villoſae Ventriculi adhaeret.

65. Quarta Ventriculi Tunica Villoſa vocatur, ob aliqualem cum Holoſerico ſimilitudinem, quod in eadem conſpicere crediderunt, quando eadem aquae clarae ad fluctuandum immittitur. Veteres eandem Tunicam Fungoſam appellarunt, & fortaſſis terminus hic melius in veram hujus Tunicae ſtructuram quadrat. Magnus in eadem numerus parvorum Foraminum detegitur, quae Granis Glanduloſis, de quibus modo dixi, reſpondent.

66. Duae hae Tunicae majore extenſione quam duae reliquae gaudent; & in interna ſuperficie ſive concavitate Ventriculi Rugas prominentes formant, quae quoad maximam partem tranſverſae, quamvis irregulares & fluctuantes, ſunt. Longitudinales quoque inveniuntur, quae poſtmodum has decuſſant; verſus Pylorum vero cunctae longitudinales fiunt, ibique terminantur.

67. Rugae hae in Orificio Ventriculi ſuperiore radiatae quaſi ſunt, atque Plicarum Oeſopha-

gi continuatio eſſe videntur. Interim craſſiores exiſtunt, & in ſuo cum Oeſophagi Plicis occurſu ſpeciem Coronae formant, quae ſuperius Orificium Ventriculi limitat, idemque ab extremitate Oeſophagi diſtinguit.

68. Intervalla harum Rugarum ſaepius Humorem quendam glutinoſum plus minusve ſpiſſum continent, a quo reliquum cavitatis Ventriculi quoque irroratum eſſe videtur. Humor hicce glutinoſus in viventibus fluidior exiſtit, & a Glandulis Stomachicis ſubminiſtratur. Liquor Gaſtricus ſive Succus Stomachicus vocari poteſt.

69. In interna parvae extremitatis Ventriculi ſuperficie, eo in loco ubi in Canalem Inteſtinalem deſinit, Limbus Circularis latus & pauxillum craſſus obſervatur, qui in medio ſuae circumferentiae aperturam plus minusve rotundam relinquit. Orificium Ventriculi inferius eſt, atque Pylorus vocatur, terminus Graecus qui Janitorem deſignat.

70. Hicce Limbus replicatio ſive conduplicatio duarum Tunicarum Ventriculi internarum, Nerveae ſcilicet atque Villoſae eſt. Ex parte per Faſciculum Circularem Fibrarum Carnoſarum, Duplicationi Nerveae immediate immiſſarum, & nonſolum ab aliis Fibris Carnoſis extremitatis Ventriculi, ſed etiam ab iſtis Canalis Inteſtinalis, per Circulum albicantem admodum ſubtilem, qui per Tunicam externam ſive communem circum unionem harum duarum partium tranſparet, diſtinctarum formatur.

71. Py-

71. Pylori figura inſtar illius Annuli transverſim complanati ſe habet, cujus margo internus, qui in latere Centri exiſtit, pauxillum depreſſus eſt, & in Inteſtinalem Canalem inſtar ſpeciei Infundibuli lati atque truncati procedit. Verſus internum huncce marginem naturaliter, fere uti marſupii vix non penitus conſtricti apertura, plus minusve plicatus eſt. Omnia haec ab iis quae Figurae ordinariae atque praeparationes ſiccae praeſentant, quam maxime differunt. Species Sphincteris eſt, qui actione ſua Orificium Ventriculi inferius arctare poteſt, aſt idem plane claudere poſſe minime videtur.

72. *Arteriae Ventriculi.* Primariae ſunt Coronaria Stomachica, quae juxta longitudinem parvae Ventriculi curvaturae excurrit, & duae Gaſtricae, magna ſcilicet ſive ſiniſtra, & parva ſive dextra, quae ambae conjunctim non niſi unicum Tubum continuum ſive Gaſtricam communem formant, cujus decurſus magnam curvaturam occupat. Coronaria Stomachica eodem modo cum Pylorica, dum cum eadem non niſi Tubum continuum conſtituit, continuatur.

73. Duo hi Arcus Arterioſi ſibi mutuo in lateribus ſive Faciebus Stomachi lateralibus quamplures Ramos mittunt. Rami ea proportione, qua procedunt, in diverſos ſenſus per diviſiones & ſubdiviſiones admodum frequentes, quarum maxima pars ſibi occurrendo reciproce cum ſe invicem communicant, in Ramuſculos ſecedunt.

74. Ex frequentibus hiſce Ramuſculis & Ar-

cuum Arterioſorum Ventriculi communicationibus duo diverſa Retia exurgunt, quorum unum quod craſſum eſt, inter externam ſive communem Tunicam, atque Tunicam Carnoſam reperitur, ubi a Texto Celluloſo ſuſtinetur, & alterum, quod admodum ſubtile exiſtit, ſuperficiem Tunicae, quae Nervea dicitur, comitatur. Hoc ultimum primi productio eſt, & mediantibus pluribus ſeparationibus brevibus, ab eodem ſecedentibus & parva Fibrarum Tunicae Carnoſae Intervalla tranſeuntibus formatur.

75. Injectionum artificioſarum ope tertium adhuc ſubtiliſſimum Capillarium Vaſorum, inter Grana atque Tunicae internae ſive Villoſae Ventriculi Papillas repentium, Rete oculis ſubjici poteſt. Vaſa haecce in ſtatu ſuo naturali non Sanguifera tantum, aut portioni Sanguinis rubicundae tranſitum concedere videntur, quemadmodum ex Inflammatione & ex Injectionibus Anatomicis concludi poſſet.

76. Arteriae Ventriculi originitus ex Arteria Coeliaca mediante Arteria Hepatica, ex Splenica & ex Coronaria oriuntur. Pylorica atque Meſenterica ſuperior mediantibus plus minusve vicinis aut immediatis communicationibus huc contribuunt. Cum Mammariis internis quoque atque Diaphragmaticis peculiaribus, & mediante Epigaſtrica ſiniſtra cum Meſenterica inferiore communicationem alunt.

77. *Venae Ventriculi.* Venae Portae in genere, & in ſpecie Meſaraïcae magnae, Splenicae, imo

etiam

etiam Haemorrhoïdalis internae Ramuſculi ſunt, quarum diſtributio in Tractatu de Venis videri poteſt. Arterias plus minusve comitantur, & fere ſimiles Arcus, ſimiliaque Retia hac cum differentia formant, quod habito reſpectu craſſiora, Reticulatae eorundem Areolae ampliores, externaeque eorum communicationes frequentiores exiſtant.

78. *Nervi Ventriculi.* Inter Tunicam communem atque Tunicam Ventriculi Carnoſam quamplurimi Nervi plus minusve graciles inveniuntur. Plures horum Nervorum inſtar Faſciculi plani ſive Faſciae latae juxta longitudinem parvae curvaturae Ventriculi, ab Orificio ſuperiore ad inferius uſque ſe mutuo comitantur. Reliqui omnes in diverſos ſenſus ſuper latera, ſuper extremitates & verſus magnam Curvaturam, Texta Reticulata per intervalla formando, a quibus quamplurima Fila abſcedunt, & ad Tunicas internas uſque penetrant, diſperguntur.

79. Originem ſuam praecipue a Sympathicis mediis ſive octavi Paris Nervis, mediante Plexu Coronario Stomachico, circum Orificium Ventriculi ſuperius per expanſionem extremitatis duorum craſſorum Funiculorum formato ducunt, qui juxta longitudinem Oeſophagi, ſub nomine Nervorum Stomachicorum deſcendunt. Magni Nervi Sympathici, Nervi Intercoſtales communiter dicti, mediantibus Filis communicationis, quae Plexus Stomachicus a Gangliis Semilunaribus, a Plexu Hepatico, & in ſpecie a Plexu Splenico accipit, itidem huc ſymbolam contribuunt.

80. *Uſus.* Stomachus in genere omne id quod Os atque Lingua ad eundem per Canalem Oeſophagi mittunt, excipit, in ſpecie vero ad alimenta excipienda, eaque inſtar depoſiti per majus minusve temporis ſpatium, ſecundum majorem minoremve eorundem conſiſtentiam ſive liquiditatem, retinenda, quo eadem digerat, id eſt, ita praeparet, ut poſtea Liquorem nutritium Chylum vocatum ſubminiſtrent, inſervit.

81. Operatio haec, quae in genere Digeſtio vocatur, a qua Chylificatio incipit, ex parte Liquoris Gaſtrici, qui continuo ex Tunica Villoſa exudat penetratione, & ex parte continuo Tunicae Carnoſae contractionis atque relaxationis motu abſolvitur; motus in Homine, absque reciprocis Diaphragmatis Muſculorumque Abdominalium motibus, pro Digeſtione admodum debilis, minusque ſufficiens.

82. Pylorus ſive Carnoſus Orificii inferioris Ventriculi Circulus, ad retinenda atque remoranda alimenta, uſque dum ſufficientem fluiditatem acquiſiverunt, quo absque niſu per aperturam hujus Orificii tranſire poſſint, inſervit. Dico absque niſu; peculiaris enim Tunicae Ventriculi Carnoſae irritatio, & adhuc magis violenta Diaphragmatis Muſculorumque Abdominalium contractio contenta Ventriculi mox verſus parvam ipſius extremitatem propellerent, iisque tranſitum per Pylorum procurarent.

83. Blandi atque reciproci Fibrarum Orbicularium Tunicae Carnoſae motus adjuvare poſſunt,

ut

ut ea per Orificium Ventriculi inferius, quae in eodem ſufficienter digeſta fuere, naturaliter expelli poſſint. Motus hic Motus Periſtalticus, ſive ab iis qui eundem ſucceſſive iterari credunt, fere inſtar illius, qui in Lumbricis, quando repunt, obſervatur, Motus Vermicularis appellatur.

84. Terminus Triturationis hic convenire poteſt, dummodo non per ſiccum atque violentum tritum, ſed per blandam Fibrarum carnoſarum cum humectatione continua Liquoris Gaſtrici conjunctam agitationem explicatur.

85. Situs Ventriculi fere transverſus itidem adjuvat, ut alimenta in eodem morentur, imo etiam ad durationem hujus morae, per ſitus in quos nos locamus, ut ita dicam, arbitrariam reddendam inſervire poteſt; quando enim lateri ſiniſtro incumbimus, alimenta diutius ibi hoſpitantur, atque quando lateri dextro incumbimus, citius tranſeunt, &c.

86. Obliquitas Ventriculi, iſtis, qui falſa idea, quaſi duo ipſius Orificia in linea horizontali ſint, retenti in explicanda ratione inutiliter deſudant, quomodo res ponderoſae deglutitae ad hancce lineam horizontalem iterum aſcendere poſſint, quo in Inteſtina tranſire queant, omne dubium adimere poteſt.

INTESTINA IN GENERE.

87. *Situs generalis.* A Pyloro ad fundum Abdominis uſque Canalis admodum longus, per multos gyros, aut melius loquendo, circuitus in

in diverſos ſenſus curvatus & recurvatus, quem Inteſtina vocant, reperitur.

88. *Volumen.* Canalis hicce ita replicatus ſive circumvolutus faſciculum notabilem format, qui maximam cavitatis Abdominis partem occupat, ubi juxta totam ſuam extenſionem Membranaceis Peritonaei Productionibus ſive continuationibus, praecipue iſtis, quae Meſenterium & Meſocolon vocantur, de quibus poſtea ſermo erit, annectitur.

89. Curvaturae Canalis Inteſtinalis Arcus duos diverſos formant, unum parvum, quo mediante hicce Canalis Meſenterio & Meſocolo annectitur; alterum magnum, qui in oppoſito latere eſt, atque nullibi annectitur. Quando hic Canalis integer adhuc exiſtit, longitudinem totius corporis ſubjecti ordinarie ſepties & ſaepe octies ad minimum aequat.

90. *Diviſio.* Tota haec extenſio neque volumine neque craſſitie aequalis eſt; id quod, ut diverſae ipſius portiones ceu totidem Inteſtina peculiaria conſiderarentur, atque in Tenuia & Craſſa dividerentur, anſam dedit.

91. Cumque in duabus hiſce Claſſibus adhuc differentia quaedam deprehenderetur, quaelibet earum quoque in tres ſubdiviſa fuit, quae nominibus peculiaribus Inteſtina Tenuia ſcilicet, nominibus Duodeni, Jejuni & Ilei; & Craſſa iſtis, Caeci, Coli & Recti a ſe invicem diſtincta fuerunt.

92. *Structura. Tunicae.* Inteſtina in genere, fere uti Ventriculus ex pluribus Tunicis componuntur. Prima atque extima Meſenterii, aut aliarum

aliarum Replicationum & Proceſſuum Peritonaei continuatio eſt.

93. Tunica haecce ordinarie Tunica communis vocatur. Interius uti iſta Ventriculi itidem Texto Celluloſó inveſtitur. Dn. Ruyſchius inſtructionem hancce inter Tunicas numerat, eamque Tunicam Celluloſam vocat.

94. Secunda Inteſtinorum Tunica Carnoſa ſive Muſculoſa eſt. E duobus Planis, uno externo & altero interno compoſita eſt. Planum externum admodum tenue exiſtit, ipſiusque Fibrae longitudinales ſunt. Planum internum craſſius eſt, ipſiusque Fibrae circum Cylindri Inteſtinalis circumferentiam transverſim circumvolvuntur.

95. Non affirmo Fibras haſce internas Spirales eſſe, neque totidem Annulos formare; nam ſegmenta potius Circulorum eſſe videntur, quae fere uti in Stomacho diſpoſita ſunt, atque Canalem Inteſtinorum penitus circumdant.

96. Duo haec Plana fortiter invicem conglutinantur, ita ut admodum difficulter a ſe invicem ſeparentur. Tunicae quoque communi mediante Texto Celluloſo, de quo dixi, adhaerent, quod in latere Meſenterii facilius quam in latere oppoſito oculis ſiſtitur.

97. Tertia Tunica Nervea vocatur, iſtique Ventriculi aliquo modo ſimilis eſt. Plano peculiari gaudet, quod eidem inſtar baſis atque fulcimenti ſervit, quodque ex obliquis admodum ſubtilibus, robuſtiſſimis tamen & quaſi Tendinoſis ſive Ligamentoſis Fibris componitur.

98. Quo

98. Quo Planum hocce diſtincte conſpici poſſit, portio quaedam Inteſtini flatu repleri, & poſtmodum Membrana communis inde auferri, Fibraeque Carnoſae radi debent.

99. Tunica haecce duo Retia, unum Arterioſum & alterum Venoſum, quae a magna Filorum Nerveorum quantitate comitantur, ſuſtinet. Rete Vaſculoſum cum comite ſuo Nerveo Vaſorum atque Nervorum Meſentericorum Productio eſt; & quoniam Canalem Inteſtinorum penitus circumdat, Tunicam peculiarem inde ſub nomine Tunicae Vaſculoſae conſtituere voluerunt.

100. Tunica Nervea in facie ſua interna ſive concava multas Septorum plus minusve circularium portiones gignit, quae ad illius ſubſtantiae formationem, quae Valvularum Conniventium nomine venit, contribuunt, de quibus in ſequentibus ſermo erit. Tertia haecce Tunica diverſa quoque Grana Glanduloſa, quae in Cavitate Inteſtinorum deteguntur, ſuſtinere videtur.

101. Quarta Tunica, ſive intima, admodum molliuſcula eſt. Tunica Villoſa ſalutatur. Eadem, qua tertia Tunica, quae eidem fulcimenti loco eſt, cujusque Septa quoque inveſtit, extenſione gaudet. Non in toto Canali uniformis eſt, quemadmodum ex ſpeciali Inteſtinorum deſcriptione eluceſcet.

INTESTINA TENUIA.

102. Non niſi unicus continuus & uniformis Canalis eſt, cujus tres portiones diverſis nominibus

bus inſigniuntur, absque ut re ipſa per notas definitas, quae extenſionem aut potius longitudinem cujuslibet harum portionum determinant, quaeque earundem limites exacte deſcribunt, a ſe invicem diſtinguantur.

103. Prima atque minima totius hujus Canalis portio Duodenum appellatur; ſecunda quae multo longior exiſtit, nomen Jejuni gerit; atque tertia, quae ſecundam longitudine adhuc ſuperat, Ileum vocatur.

DUODENUM.

104. *Nomen.* Prima haecce Inteſtinorum Tenuium portio ob duodecim digitorum transverſorum longitudinem, quam Veteres eidem attribuere, quamque Recentiores, ſi menſura haecce ab apicibus Digitorum Subjecti deſumitur, ipſi facile concedunt, ita appellata fuit.

105. *Situs. Connexio.* Quamprimum Inteſtinum hocce a Pyloro ortum ſuum ſumſit, ſtatim parumper retrorſum, a ſuperiori oblique deorſum incurvatur; poſtmodum verſus Renem dextrum, cui magis minusve annectitur, ſecundam curvaturam inſtituit; indeque ante Arteriam Renalem, Venam Renalem & Venam Cavam, pedetentim a dextris ſiniſtrorſum uſque ante Aortam & ante ultimas Dorſi Vertebras iterum aſcendendo, excurrit. Iter ſuum ultra oblique antrorſum mediante levi inflexione, quae ceu tertia curvatura & ceu Duodeni extremitas conſiderari poteſt, proſequitur.

106.

106. Duodenum in toto hocce decurſu per Peritonaei Replicationes, inprimis per Duplicationem transverſalem, a qua Meſocolon oritur, firmatur. Cum duae Laminae hujus Duplicationis Peritonaei ab initio a ſe invicem ſecedant, & poſtea invicem uniantur, naturaliter ſpatium triangulare inter ſe relinquunt, quod interius Texto Celluloſo inveſtitur.

107. Duodenum in hocce ſpatio mediante Texto Celluloſo partibus modo nominatis adhaeret, atque Thecae quaſi includitur, ita ut absque diſſectione non niſi duae ipſius extremitates, quae inſuper a Colo & a primis Inteſtini Jejuni gyris abſconduntur, appareant.

108. *Prima Tunica* Duodeni per conſequens ab iſtis reliquorum Inteſtinorum Tenuium differt, cum hocce peculiare habeat, quod non totam ipſius circumferentiam involvat, quoniam maxima ipſius longitudinis pars ſpatio triangulari, de quo modo dixi, includitur. Unde Celluloſa hujus Tunicae inſtructio hic locorum notabilior quam in omnibus reliquis Inteſtinis exiſtit.

109. *Tunica Carnoſa* Duodeni iſta duorum reliquorum Inteſtinorum Tenuium craſſior eſt.

110. *Tunica Nervea & Villoſa.* Hae duae conjunctim in parte hujus Inteſtini interna admodum magnum parvarum Duplicationum numerum invicem formant, quae ſeſe attollunt, & plus minusve directe in Cavitatem Inteſtini, in modum portionum Faſciarum circularium, quarum unus margo Inteſtino annecteretur, & alter margo liber

ber & absque annexione eſſet, procedunt. His Faſciis Valvularum Conniventium nomen impoſuerunt.

111. Liber ſive fluctuans Valvularum Conniventium margo parumper plicatus, & in earundem ſtatu naturali ſinuoſus quaſi exiſtit. Non ſine ratione in earundem ſtatu naturali dico, quo falſam ideam quam ſiccae Inteſtinorum praeparationes communiter ſuppeditant, deſtruam. Tota harum Duplicationum ſive Valvularum ſuperficies, uti etiam earundem Intervalla, Texto Serico villoſo ſimili inveſtiuntur.

112. *Villoſum* hujus Inteſtini *Textum* iſto Ventriculi craſſius eſt. Textum ipſius non quemadmodum ordinarie depingitur, in homine piloſum eſt. Potius inſtar Subſtantiae fungoſae & granoſae, ex miranda Papillarum admodum ſubtilium & diverſe figuratarum congerie componitur, in quibus Microſcopii ope quamplurimi Apices depreſſi ſive Pori obſervantur, quorum omnium ſuperficies perforata eſſe videtur.

113. Eodem medio in diverſis ſuperficiei internae hujus Tunicae locis globuli villoſi, a ſe invicem plus minusve diſtantes, & inſtar parvarum Verrucarum elevati deteguntur.

114. Textum hoc infinitum plurium ſpecierum Vaſorum Capillarium numerum ſuſtinet; praeter Sanguifera enim, quandoque ibi magnus Filorum alborum numerus craſſitiem tranſire & ad ejusdem Texti ſuperficiem internam ceu totidem

dem Capillares Vaſorum, quae Venae Lacteae vocantur, Radices tendere deprehenduntur.

115. Subſtantia fungoſa quae Capillaria haec Fila invicem ligat, eaque circumdat, admodum tenera eſt; & Capillares parvorum Vaſorum Sanguiferorum, quibus obſita eſt, Extremitates, verſus Papillarum Poros verſae eſſe videntur. Per hoſce Poros certum Liquorem Mucilaginoſum, plus minusve tranſparentem, qui cavitatem Inteſtini continue humectat, tranſudare cernimus.

116. *Glandulae.* Interna Duodeni ſuperficies magno adhuc parvorum Granorum Glanduloſorum admodum planorum numero praedita eſt, quorum circumferentia inſtar Ceſticilli parumper elevata, atque medium per ſpeciem Foſſulae depreſſum eſt. Haec majori in numero in initio Duodeni, quam in reliquo ipſius extenſionis reperiuntur. Verſus Pylorum, ut ita dicam, in acervum congeſta ſunt, atque deinde uſque verſus alteram hujus Inteſtini extremitatem, ubi ſolitaria fiunt, magis magisque a ſe invicem ſecedunt.

117. Quando probe examinantur, Folliculorum inſtar apparent, quorum Orificia in latere cavitatis Inteſtini ſunt, fundusque in Texto Spongioſo e latere Tunicae Nerveae nidulatur. Folliculi hi Humorem peculiarem, qui ſaepius viſcoſus & glutinoſus reperitur, ſuppeditant.

118. *Orificium Biliarium.* In interna Duodeni ſuperficie, fere in parte inferiore primae ipſius curvaturae, in parva hujus curvaturae extremitate, eminentia longitudinalis per aperturam peculiarem

liarem in apicem ſive roſtrum deſinens invenitur; quae Orificium Ductus Biliarii eſt, & in quam Ductus quoque Pancreaticus aperitur.

NOTA.

119. Inteſtinum hoc ordinarie ampliſſimum eſt, quamvis Inteſtinorum Tenuium breviſſimum ſit. Magis quam reliqua Texto Celluloſo, praecipue in ipſius Theca triangulari circumdatur, ubi non penitus, uti reliqua, Tunica Membranacea cingitur & per conſequens a rebus in ipſius cavitate ſtabulantibus magis dilatari poteſt.

INTESTINUM JEJUNUM.

120. *Nomen. Situs generalis.* Hocce Inteſtinum, a vocabulo Latino Jejunum ita dictum, quoniam ſaepius magis vacuum quam ſequens reperitur, ab ultima Duodeni curvatura incipit, ubi ſtatim origini Meſocoli annexum eſt.

121. Inde deorſum, & a ſiniſtris dextrorſum, a Vertebris ſecedendo, recurvatur, gyrosque format, qui praecipue partem ſuperiorem Regionis Umbilicalis occupant. In toto hocce trajectu eo modo, quem in ſequentibus indicabo, Meſenterio annectitur.

122. *Volumen.* Limites, qui Inteſtini hujus extremitatem ab Ilei initio praeciſe diſtinguunt, invenire difficile eſt. Notae externae quae a colore communiter in uno magis rubicundo quam in altero deſumuntur, minime conſtantes ſunt; & internae quae Valvularum Conniventium plura-

litate deſignantur, admodum vagae exiſtunt, praetereaque ſaepe non niſi diſſectione patefiunt.

123. Duo haec Inteſtina per diverſum potius ipſorum ſitum, qui admodum conſtans eſt, diſtingui poſſent; aſt quoniam haecce diviſio nondum ſatis diſtincta eſt, iſta, quam ego commodiſſimam inveni, quaeque mihi ordinarie admodum aequa viſa fuit, eſt, totam horum duorum Inteſtinorum longitudinem in quinque portiones aequales dividere, & duas circiter quintas partes Jejuno, tresque quintas partes, aut pauxillum ultra Ileo tribuere.

124. *Tunicae.* Tunicae Jejuni in genere eadem fere, qua iſtae Duodeni, ſtructura gaudent, aſt teneriores ſunt. Communis, Membranacea ſive externa, Meſenterii continuatio eſt. Celluloſum hujus Tunicae Textum hic non adeo notabile uti in Duodeno exiſtit. Juxta longitudinem magnae curvaturae gyrorum Inteſtini deeſſe videtur, ubi longitudinales Tunicae Muſculoſae Fibrae Membranaceae Tunicae arcte adhaerent.

125. Tunica Muſculoſa iſta Duodeni minus robuſta eſt. Planum Fibrarum longitudinalium ibidem quam maxime tenue & fere inſenſibile exiſtit, longitudine magnae curvaturae e regione Annexus Meſenterii excepta, ubi ſpecies Faſciae albicantis & Ligamentoſae, quatuor aut quinque lineas latae per Tunicam Membranaceam ſive communem tranſparentis detegitur, quae uno tractu juxta longitudinem magnae convexitatis omnium hujus Inteſtini gyrorum omniumque iſtorum Ilei continuatur.

126. Faſcia haecce Ligamentoſa Faſciis Ligamentoſis quae in lateribus parvae extremitatis Ventriculi conſpiciuntur ſimilis eſt. Tunicae Membranaceae ſive communi Inteſtini, Fibrisque longitudinalibus ipſius Tunicae carnoſae, quae hic magis viſibiles ſunt, atque robuſtiores quam aliis in locis apparent, penitus adhaeret.

127. Tunica Nervea, quam Tunicam Textam ſive Reticulatam appellare malo, ipſiusque Textum Celluloſum proprium ſive Textum Lanuginoſum praeter ea, quae de iisdem ſuperius in Deſcriptione Inteſtinorum in genere dixi, nihil peculiare habent. Si Textum Lanuginoſum artificioſe inflatur, ad omnium Duplicationum ſive Valvularum Conniventium obliterationem uſque, dum tota Tunicae extenſio verſus Inteſtini cavitatem elevatur, dilatari poteſt.

128. Internae hujus Inteſtini Duplicationes ſive Conniventes Valvulae admodum latae & in magno numero, ſibi quam maxime vicinae ſunt. Earundem circumferentiae in latere magnae curvaturae continuae ſunt, nec interrumpuntur; aſt e latere parvae hae Valvulae interruptae ſunt, earumque extremitatum una ultra alteram in apicem deſinendo, procedit. Quaedam harum Valvularum circumferentiam abſolvunt, quaedam tantum per partem excurrunt, & quaedam admodum parvae ab una magna ad aliam, per ſpeciem quaſi communicationis, oblique tendunt.

129. Papillae Tunicae Villoſae hic elevatae magis magisque fluctuantes, magisque undantes

ſive unduloſae quam in Duodeno apparent. Imo quaelibet earum in ſpecie in plures diviſa, & modo admodum ſingulari abſciſſa quaſi videtur. Ceterum iis, quae ſuperius occaſione Inteſtinorum in genere expoſita fuerunt, ſatis reſpondent. Obſervationes atque Figurae, quas Dn. Helvetius Reginae Archiatrus Actis Academiae Regiae Scientiarum inſeruit, haſce Papillas uti etiam Tunicam Textam optime exprimunt.

130. Quaelibet Lacunarum Glanduloſarum Jejuni in genere eadem, qua Glandulae Duodenales ſive Brunneri, conformatione gaudet; aſt alio modo diſpoſitae ſunt. Ex parte ſolitariae, a ſe invicem plus minusve diſperſae, ex parte per intervalla, praecipue circa magnam Inteſtinalem curvaturam, per acervos peculiares inſtar Racemorum oblongorum & planorum, qui Plexus Glanduloſi Peyeri dicuntur, accumulatae inveniuntur. Plexus hi ſive Racemi plures Valvulas Conniventes ſimul tranſeunt.

131. *Vaſa. Nervi. Connexio.* Hoſce Articulos poſt expoſitionem Meſenterii deſcribam.

INTESTINUM ILEUM.

132. *Situs generalis.* Inteſtini Ilei Gyri iſtos Jejuni in utroque latere & inferius, a latere ſiniſtro per Hypogaſtrium verſus latus dextrum ſerpentino ductu excurrendo, circumdant, ubi pauxillum infra Renem dextrum terminatur, & cum Inteſtinis Craſſis eum in modum, quem in Deſcriptione horum Inteſtinorum indicabo, congreditur.

ditur. Gyri laterales ab Oſſibus Coxae, quae Oſſa Ilii, non ab hocce Inteſtino, ſed a Latino vocabulo Ilia dicuntur, ſuſtentantur.

133. *Structura.* In genere cum iſta Jejuni fere convenit, internae vero Duplicationes ſive Valvulae Conniventes in eodem pedetentim per gradus numero & latitudine imminuuntur. Verſus Ilei extremitatem earundem directio mutatur, atque ex transverſis ſive circularibus quales erant, ibidem ſenſim ſenſimque longitudinales fiunt, quaſi in ſpeciem Pylori deſinere vellent, qui in Inteſtinorum Craſſorum cavitatem, quemadmodum in ſequentibus exponam, procedit.

134. Per intervalla quoque in hocce Inteſtino, fere uti in Jejuno, Glandulae ſive Lacunae Glanduloſae ſolitariae & Glandulae Reticulatae ſive Racemi Glanduloſi conſpiciuntur, quorum ultimus, qui in extremitate Inteſtini reperitur, magna ſaepius extenſione gaudet. Maxima vero harum Lacunarum ſive Glandularum pars planior hic quam in Jejuno apparet. Obſervandum inſuper eſt, quod Celluloſum Tunicae communis ſive externae Textum, hic non adeo uti in Inteſtinis praecedentibus conſpicuum ſit, quodque in genere hocce Inteſtinum magis pallidum ſive minus rubicundum quam Jejunum appareat.

135. *Vaſa. Nervi. Connexio.* Hoſce Articulos itidem, uti antea feci, ad ſpecialem Meſenterii Hiſtoriam remitto.

INTESTINA CRASSA.

136. *Diviſio.* Inteſtina Craſſa itidem non niſi Canalem continuum, uti Inteſtina Tenuia, in tres diviſum conſtituunt. Canalis hic per ſpeciem Sacci ſive Angiportus, qui pro prima Canalis portione ſive pro primo Inteſtinorum Craſſorum habetur, quodque Caecum appellatur, incipit. Portio ſequens e tribus longiſſima, & a reliquis portionibus per quamplurimos Gibbos ſive convexitates peculiares,quae in tota ipſius longitudine exterius apparent, diſtincta eſt. Colon ſive Colum appellatur. Ultima Inteſtinorum Craſſorum portio Rectum vocatur. Inteſtinum hoc praecedentibus magis unitum, anguſtius, craſſius, aſt multo brevius exiſtit.

137. *Structura.* Iſti Inteſtinorum Tenuium ratione numeri & diſpoſitionis Tunicarum fere ſimilis eſt. Minori longitudine, paucioribusque Gyris aſt majori capacitate praedita ſunt. Tunicae eorundem in genere robuſtiores, praecipue Tunica Muſculoſa, exiſtunt. Tunica Villoſa atque Glandulae Mucilaginoſae in iisdem itidem differre videntur. Aliae inſuper peculiares circumſtantiae, quas indicabo, ibidem occurrunt.

INTESTINUM CAECUM.

138. *Situs. Conformatio.* Non niſi extremitas Inteſtini, inſtar ſpeciei ſacci rotundi, brevis atque lati eſt, cujus fundus deorſum & apertura ſive latitudo ſurſum ſpectat. Infra Renem dextrum ſitum eſt, & ab ultimo Inteſtini Ilei gyro abſconditur.

ditur. Ipſius longitudo tres circiter transverſos digitos plus minusve adaequat: diameter ipſius iſtum Inteſtinorum Tenuium bis & ultra ſuperat.

139. *Appendix Vermicularis.* In latere fundi Caeci Appendix inſtar parvi Inteſtini ejusdem fere longitudinis, aſt quam maxime tenuis reperitur. Appendix Vermicularis, ob aliqualem cum Lumbrico ſimilitudinem, vocatur. Diameter ipſius tres lineas ordinarie vix ſuperat. Mediante una ipſius extremitatum lateraliter & pauxillum oblique in fundum Caeci aperitur. Altera extremitatum clauſa, reliquo ipſius longitudinis quandoque anguſtior, & quandoque amplior exiſtit.

140. Appendix haecce quibusdam gyris, iſtis vermis quando tangitur fere ſimilibus, gaudet, unde Vermicularis ſive Vermiformis vocata fuit. Aliquo modo etiam pendulae capitis Galli Indici carni ſimilis eſt. Ipſius ſtructura in genere cum iſta reliquorum Inteſtinorum fere convenit.

141. Interna hujus Appendicis Tunica hoc peculiare habet, quod tota follicoſa, fere uti iſta Duodeni ſit. Imo Reticulata eſt, Retisque ſpeciem praeſentat, cujus foramina Lacunae Glanduloſae ſunt, quae continue ſpeciem liquoris in cavitatem Appendicis effundunt.

142. Saepius an nomen Caeci huic Appendici, an vero craſſae portioni, quae Caput quaſi Inteſtini Coli conſtituit, imponi debeat, diſputatum fuit. Generalis Inteſtinorum in Craſſa & in Tenuia diviſio tandem pro Appendice reſpectu hominis decidit; quando enim de animalibus &

 avibus

avibus ſermo eſſet, termini ſaepiſſime mutari deberent.

143. *Faſciae Ligamentoſae.* Per Membranaceam ſive communem Caeci Tunicam tres Faſciae albicantes & ligamentoſae, huic Tunicae & Tunicae carnoſae fortiter adhaerentes tranſparent. Una harum Faſciarum annexione Meſocoli contegitur, & omnes tres Caecum juxta longitudinem in tres partes plus minusve aequales dividunt.

144. Omnes hae tres Faſciae in Appendice Vermiformi, cujus totam convexitatem immediate infra Tunicam externam contegunt, invicem uniuntur. Quamvis exterius in Caeco Ligamentoſae appareant, interius e Fibris carnoſis compoſitae ſunt, quae Fibras longitudinales Tunicae Muſculoſae hujus Inteſtini comitantur & corroborant.

145. Interna Caeci Tunica ſpecie Texti Villoſi admodum raſi aut brevis, per intervalla Lacunis Glanduloſis ſive Glandulis ſolitariis, iſtis Inteſtinorum Tenuium latioribus obſiti, inſtructa eſt.

146. Lacunae hae ſive Folliculi Glanduloſi inſtar puſtularum Varioloſarum complanatarum & in ipſarum medio depreſſarum apparent. Quando Lacunae hae certa encheireſi per Tubum inflantur, absque ut cum Tubo tangantur, flatus Folliculum attollit, eumque inſtar parvi galericuli in medio ſuae convexitatis perforati oculis noſtris ſiſtit.

IN-

INTESTINUM COLON.

147. *Situs generalis.* Colon Inteſtinorum Craſſorum quam maxime notabile eſt. A Caeco, cujus revera non niſi continuatio exiſtit, inſtar Arcus ſupra Regionem Umbilicalem uſque ad partem inferiorem Hypochondrii ſiniſtri extenditur. Ipſius continuatio interim ab extremitate Inteſtini Ilei parumper interrumpitur, quod in Coli cavitatem exporrigitur, & mediante certa hujus Inteſtini replicatione id, quod Coli Valvula appellatur, format.

148. *Conformatio. Faſciae Ligamentoſae.* Tota convexitatis Coli extenſio per tres Faſcias Ligamentoſas, quae non niſi iſtarum Caeci continuatio ſunt, quaeque eadem ſtructura gaudent, in tres partes longitudinales dividitur. Duae harum Faſciarum in utroque latere juxta longitudinem magnae convexitatis ſive curvaturae Arcus Coli excurrunt. Tertia juxta totam parvae ipſius convexitatis ſive curvaturae longitudinem extenditur.

149. Superior duarum Faſciarum magnae curvaturae e tribus latiſſima eſt. Iſta parvae curvaturae anguſtiſſima earum exiſtit, & ab Annexione Meſocoli abſconditur. Dn. Morgagni eandem in lucem produxit.

150. *Plicae. Cellulae.* Tres hae Faſciae ligamentoſae inſtar Frenorum longitudinalium ſunt, inter quae hocce Inteſtinum juxta totam ſuae convexitatis longitudinem, per plicas transverſas alternatim depreſſum, & in magnos Gibbos alternatim elevatum, eſt. Plicae totidem Duplica-

tiones ſunt, quae in Cavitate Inteſtini portiones quaſi Valvularum Conniventium producunt, & Gibbi ibidem Receſſus formant, qui Cellulae Coli vocantur.

151. Omnes Coli Tunicae aequaliter ad Duplicationum harum harumque Cellularum formationem, quarum altitudo verſus Inteſtini extremitatem per gradus imminuitur, concurrunt. Omnes in Faſcias ligamentoſas deſinunt, quas non excedunt.

152. Portiones Coli quae Faſciis Ligamentoſis reſpondent, quaeque iisdem immediate cooperiuntur, admodum unitae & absque rugis ſunt. Unde quando Faſciae tantum transverſim diſcinduntur, Inteſtinum non ſatis prolongatur, ut Plicae atque Cellulae obliterentur.

153. *Tunicae. Glandulae.* Tunica communis una ex parte continuatio Meſocoli eſt, & altera ex parte mediante eadem hacce continuatione ad Epiploon formandum contribuit. Fibrae longitudinales Muſculoſae admodum ſubtiles ſunt; iſtae quae Circularibus ſive Annularibus Inteſtinorum Tenuium reſpondent, non niſi ſegmenta ſunt, quorum extenſio ſuper Gibbos & in plicas contingit. Reliquae Tunicae fere uti in Caeco ſe habent. Lacunae Glanduloſae ſive Glandulae Solitariae in eodem latiores & in majori numero ſunt.

154. *Situs ſpecialis. Connexio.* Arcus Coli infra Renem dextrum verſus Coxam incipit. Ante eundem huncce Renem, cui annectitur, aſcendit,

dit, infra Veſiculam Fellis excurrit, quae idem hoc in loco colore flavo tingit, atque iter ſuum ante primam Duodeni curvaturam continuat, quam ex parte abſcondit, ibique adhaeret. In hocce itaque loco connexio attentione digniſſima inter Colon, Duodenum, Renem Dextrum & Veſiculam Fellis occurrit.

155. *Arcus. Flexus.* Inde Arcus Coli ante magnam Stomachi convexitatem, quandoque inferius magis ſe confert; poſtea retrorſum infra Lienem in Hypochondrium ſiniſtrum ſe vertit, & ante Renem ſiniſtrum deſcendit, cui plus minusve annectitur, & infra quem poſtmodum verſus Vertebras, in duplicem flexum ſive duos gyros ſibi oppoſitos deſinendo, inclinatur, qui aliquomodo S Romanum inverſum praeſentant.

156. Ultimi hi Coli flexus quandoque multiplicantur, imo etiam in latus dextrum Pelvis exporriguntur. Juxta longitudinem magni Arcus & juxta longitudinem reliquorum hujus Inteſtini flexuum, ſpecies Fimbriarum Adipoſarum, quae Appendices Coli Adipoſae dicuntur, reperitur, de quibus, uti etiam de ejusdem Inteſtini cum Meſocolo & cum Epiploo connexione, poſtea ſermo erit.

VALVULA COLI.

157. Eo in loco ubi Caecum cum Colo unitur, portio eorundem circumferentiae depreſſa eſt, & interius magnam replicationem format. Replicatio haec in cavitatem Inteſtini procedit; in ſui

medio

medio connivet, ipſiusque extremitates ob mutuam Tunicarum Caeci atque Coli Duplicationem admodum craſſae exiſtunt.

158. Extremitas Ilei replicationis hujus aperturae quaſi immittitur, ipſiusque parietibus per transverſarum ſuarum Fibrarum cum transverſis Caeci atque Coli Fibris unionem fortiter agglutinatur.

159. Unio haecce ſpeciem Ceſticilli admodum craſſi format, qui itidem in cavitatem communem Caeci atque Coli procedit. Ceſticillus interius fere uti inferior Oeſophagi extremitas, Pylorus aut pars interna Ani, rugoſus ſive plicatus eſt. Inflexione ſua ad figuram ovalem plus minusve accedit, & per ſpeciem continuationis cum communi Caeci atque Coli plica duos Proceſſus format, quos Dn. Morgagni Frena Valvulae Coli appellat.

160. Tunica Membranacea extremitatis Ilei ſupra Caecum & Colon continuatur, absque ut in ullam plicam eo in loco ubi Ileum in Colon intrat, ſeſe demittat. Fibrae longitudinales Tunicae Muſculoſae in hoc loco cum vicinis Caeci atque Coli Circularibus confundi videntur.

161. Portio interna Tunicae Carnoſae Ilei, id eſt, iſta cujus Fibrae Annulares ſunt, inter Fibras Annulares Caeci iſtasque Coli, & quidem uti in plicam quandam horum duorum Inteſtinorum communem ſeſe demittit; ita ut Tubi circularis carnoſi & notabilis craſſitiei extremitas inde oriatur, quae Ceſticillum, de quo modo dixi, format.

162.

162. Tunica Nervea & Tunica Villoſa extremitatis Ilei in cavitatem communem Caeci & Coli quoque intrant, ubi in margine Ceſticilli paribus Tunicis Caeci & Coli occurrunt; ita ut portio carnoſa Ceſticilli ſive extremitatis Tubi Muſculoſi tam in ſua concavitate, quam in ſua convexitate a Tunica Nervea & a Tunica Villoſa inveſtiatur. Ileon iſtas concavitatis, & duo Craſſa Inteſtina iſtas convexitatis ſubminiſtrant.

163. Optima ſtructurae & compoſitionis hujus Valvulae demonſtratio in aqua clara & per ſectionem peculiarem, dum Inteſtinum adhuc recens exiſtit, nec morbo corruptum fuit, peragitur; quemadmodum in Scholis Medicorum Anno 1726. publice monſtravi. In alio Opere fuſius hujus aliarumque ſimilium Diſſectionum methodum, quarum magnam partem tam publice quam privatim candide monſtravi, tradam.

164. Situs extremitatis Ilei hic ordinarie transverſus eſt, & transverſim fere in cavitate communi amborum Inteſtinorum, de quibus modo dixi, inſeritur. Saepe verſus Caecum magis quam verſus Colon inclinans reperitur. Diameter ipſius, qui hucusque admodum magnus eſt, & facili negotio ampliatur, in inſertione ſua anguſtus atque firmus evadit.

165. In hacce potiſſimum ſtructura Mechaniſmus inſertionis ſive oſtii Ilei in Caeco & Colo conſiſtit, de quo oſtio Auctores inter ſe non conſentiunt, cum quidam idem pro Valvula, & alii pro ſimplici Sphinctere habeant.

166. Ex iis quae modo dixi valde evidenter appa-

apparet, quod duplex ad impediendum excrementorum reditum machina ſit, quoniam huncce effectum ex parte ceu Valvula, & ex parte inſtar ſpeciei Sphincteris praeſtare poteſt. Siccae hujus partis praeparationes admodum falſam de ipſius ſtructura atque conformatione ideam ſubminiſtrant. Idem etiam de Oſtio Appendicis Vermicularis in Caeco valet.

167. Arcus Coli cujus capacitas admodum magna eſt, duabus extremitatibus Regioni Lumbari, prope Renes, mediantibus duobus Ligamentis peculiaribus, uno in latere dextro & altero in ſiniſtro, annectitur. Ligamenta haec non niſi parvae Peritonaei plus minusve transverſae duplicationes ſunt.

168. Altera portio, id eſt, illa quae inflexiones S Romani format, ſtatim ſub Rene ſiniſtro arctatur, ubi anguſtior quam in ſequentibus eſſe videtur. Tunicae hujus portionis per gradus quaſi ad ultimam inflexionem uſque robuſtiores & craſſiores fiunt, uti etiam ipſius Faſciae ligamentoſae, quae hoc in loco magis magisque ad ſe invicem accedunt, imo etiam latitudine augeri videntur.

169. *Vaſa. Nervi. Connexio.* Articulos hos in deſcriptione Meſenterii, Meſocoli, &c. reperies.

INTESTINUM RECTUM. ANUS.

170. *Nomen. Situs generalis.* Omnium Inteſtinorum ultimum Rectum, ob ſuum ſitum vocatur, ſecundum quem ab anteriori ſive directe antrorſum aſpectum, in recta linea ab ultima Vertebra

bra Lumbari, ante internam ſive anteriorem Oſſis Sacri faciem, uſque verſus extremitatem Coccygis deſcendere videtur, ubi terminatur, atque id, quod Anus vocatur format.

171. Inteſtinum hocce proprie loquendo non niſi ultimae Coli inflexionis continuatio eſt, atque decubitus, depoſitum & cloaca totius Canalis Inteſtinalis exiſtit. Praeter haſce functiones admodum peculiarem cum Veſica Partibusque Naturalibus utriusque Sexus connexionem alit.

172. *Situs ſpecialis.* Poſtquam Inteſtinum Rectum ultimam Vertebram Lumbarem praeteriit, atque faciem internam Oſſis Sacri attigit, concavitati hujus faciei, cui eum in modum, quem in ſequentibus indicabimus, adhaeret, convenienter retrorſum incurvatur; & poſtquam ad Coccygem pervenit, itidem illius directionem ſequitur, atque pedetentim anteriora verſus incurvatur. Ultra Coccygis extremitatem demum finitur.

173. *Figura. Volumen.* Figura, prouti Inteſtinum vacuum aut repletum eſt, variat. Quando vacuum exiſtit, irregulariter cylindricum, & per rugas irregulariter transverſas depreſſum eſt. In hocce ſtatu ipſius diameter tres circiter digitos transverſos plus minusve adaequat. Quando repletum eſt, ſecundum decubitus faeculenti, flatuum aliusque materiae quam continet quantitatem major exiſtit; atque ad eum gradum augeri poteſt, ut inſtar magnae veſicae evadat, ſpeciemque Stomachi praeſentet.

174. *Structura,* Tunica Membranacea ſaepius multum

multum pinguedinis continet, quae inter eandem atque Tunicam Muſculoſam diſpergitur, & circum Inteſtinum quamplurimas eminentias format, quae adipoſarum in Colo reperiundarum Appendicum loco ſunt, & de quibus in Hiſtoria Epiploï fuſius ſermonem inſtituam.

175. Tunica Muſculoſa ſive Carnoſa admodum craſſa eſt. Fibrae longitudinales, quae in reliquis Inteſtinis admodum tenues, & ſaepius admodum inſenſibiles ſunt, hic Fibris circularibus horum reliquorum Inteſtinorum robuſtiores exiſtunt. Faſciae Ligamentoſae latiores fiunt, & ad ſe mutuo, uti jam dictum eſt, accedunt; ita ut peculiares earundem carnoſae Fibrae ſolae craſſitiem Fibrarum longitudinalium Tunicae carnoſae efficere videantur.

176. Tunica Nervea ſive Filata atque Tunica interna hic habito reſpectu multo ampliores quam in reliquis Inteſtinis ſunt; ita ut in cavitate Recti, quando vacuum eſt, multas rugas ſive plicaturas undantes forment, quae ea proportione, qua Inteſtinum repletum exiſtit, imminuuntur & obliterantur.

177. Tunica interna improprie admodum Villoſa vocatur, & vix nomen Papillatae ſive Mammillanae ob parvitatem corpuſculorum, quae ipſius ſuperficiem leviter granoſam reddunt, meretur. Magno Glandularum ſolitariarum numero obſita eſt; ſemperque Muco plus minusve craſſo inducitur, quem Glandulae hae ſive Folliculi, & fortaſſis quoque parva grana ſuppeditant.

178. Rugae

178. Rugae hujus Tunicae verſus Inteſtini extremitatem aliquo modo longitudinales fiunt, tandemque verſus circumferentiam marginis interni Ani ſpeciem parvorum ſacculorum ſive Lacunarum ſemilunarium formant, quarum aperturae ſurſum verſus cavitatem Inteſtini ſpectant. Lacunae hae iſtis extremitatis Oeſophagi ſive Orificii ſuperioris Ventriculi aliquo modo ſimiles ſunt.

MUSCULI ANI.

179. Extremitas Inteſtini Recti tandem anguſtatur, & in orificium arcte plicatum deſinit, quod in ſpecie Anus appellatur. Extremitas haecce pluribus Muſculis circumdatur, quorum quidam eandem inſtar Spincteris arcte amplectuntur, & reliqui eidem inſtar Faſciarum latarum annectuntur, quae aliis quoque partibus annexae, eandem in ſitu ſuo naturali ſuſtinent, &, quando niſibus, quibus a decubitu faecum nosmet liberare tentamus, ex eodem diſturbatur, eandem in priſtinum ſitum reducunt. Hi Elevatores Ani, & reliqui ſimpliciter Sphincteres audiunt.

180. Muſculorum Ani, qui Officio Sphincterum funguntur, tres numero ſunt, unus Inteſtinalis ſive Orbicularis, & duo Cutanei ſive Ovales; quorum unus magnus, ſuperior & internus; alter parvus, inferior & externus eſt.

181. Sphincter Inteſtinalis ſive Orbicularis Ani non niſi certum portionis inferioris Fibrarum carnoſarum extremitatis Recti augmentum eſt.

182. *Ligamentum Cutaneum Coccygis. Ligamentum Interoſſeum Oſſium Pubis.* Quoniam in Tractatu de Oſſibus Recentibus Ligamentorum horum Deſcriptionem omiſi, e quibus Interoſſeum in Diſſectionibus meis publicis Anno 1726. & Cutaneum quatuor circiter annos ante demonſtravi, ut hic eorundem Deſcriptionem iſti Sphincterum Cutaneorum, qui iisdem annectuntur, praemittam, neceſſe eſt.

183. Ligamentum Cutaneum anterius ab apice ſive extremitate Coccygis deſcendit. Gracile eſt, moxque verſus orificium Ani in duo finditur, Membranae Adipoſae inſeritur, & Cuti in duobus Ani lateribus per ſpeciem expanſionis annectitur, quae dum in utroque latere a Perinaeo ſecedit, pedetentim obliteratur.

184. Ligamentum Interoſſeum Oſſium Pubis Membrana triangularis robuſtiſſima, duobus e ſuis marginibus Ramis inferioribus Oſſium Pubis uſque ad eorundem Symphyſin communem annexa exiſtit. Tertius margo, qui e tribus inferior eſt, liber exiſtit; totumque hujus Membranae Planum, cujus medium foramine peculiari perforatur, inter Oſſa & infra eorundem Arcum cartilaginoſum, cui fortiter adhaeret, valde tenſum eſt.

185. In parte inferiore Ligamenti Interoſſei Pubis, & juxta totam longitudinem marginis liberi ſive inferioris hujus Ligamenti Muſculus quidam Digaſtricus reperitur, qui una ſuarum extremitatum uni ex Oſſibus Pubis, & altera extremi-

tate alteri Oſſi annectitur, cujusque Tendo intermedius medio marginis inferioris Ligamenti reſpondet. Non hic Muſculum huncce deſcribere locus eſt. Ob connexionem, quam cum Cutaneis Ani Sphincteribus habet, illius hic mentionem feci. Muſculus Urethrae Transverſus vocatur, Muſculus quoque Triangularis appellatur.

186. *Sphincterum Cutaneorum* Ani quilibet Inſertione ſua anteriore & Inſertione ſua poſteriore gaudet; ſpeciem itaque apicis anterius & poſterius formant, atque Foramen Ani diſtantia eorundem portionum mediarum includunt.

187. Per eorundem ſitum, volumen & per alba Texti Celluloſi veſtigia a ſe invicem diſtinguuntur. Magnus ſive ſuperior duplex quaſi adhuc apparet. Parvus ſive inferior Cuti vicinior eſt, eique peculiariter magis annectitur.

188. Poſterius ex parte apici Coccygis, & ex parte portioni vicinae Ligamenti Cutanei ejusdem Coccygis inſeruntur. Anterius Tendini intermedio Muſculi Transverſi praecipue annectuntur, & cum aliis Urethrae Muſculis, de quibus in ſequentibus ſermo erit, aliquam connexionem alunt.

189. *Muſculi Elevatores Ani.* Portiones Muſculoſae latae & tenues ſunt, uno ſuarum Fibrarum carnoſarum extremo circum circa parvae Pelvis concavitatem, a Symphyſi Oſſium Pubis uſque ultra Spinam Oſſis Iſchii annectuntur; & altero extremo hae Fibrae in utroque latere retro & infra curvaturam extremitatis Recti

deſcendunt, ubi ſibi obviam fiunt, & a Baſi Coccygis uſque ad circumferentiam Ani invicem uniuntur.

190. Portiones hae per ſuperiores earundem Inſertiones in quolibet Pelvis latere in tres Claſſes, in anteriores ſcilicet, in medias & in poſteriores dividuntur. Anteriores a medio circiter Symphyſis Oſſium Pubis uſque ſupra Foramina ovalia Pelvis excurrunt. Mediae iter hocce immediate ſupra Inſertionem Muſculi Obturatoris Interni, ſupra Oſſa Iſchii & pauxillum ſupra Oſſa Ilii continuant. Poſteriores deinde ſupra faciem internam Oſſium Iſchii uſque ad eorundem Spinas ſive Apophyſes Spinoſas, imo etiam paulum ultra, ſupra Ligamentum Sacro-Iſchiadicum expanduntur.

191. Portiones anteriores in tranſitu Proſtatis, Collo Veſicae, Bulbo Urethrae annectuntur, quemadmodum in Hiſtoria harum Partium videbimus; imo quasdam quoque Fibras verſus Muſculum Transverſum, cujus ſupra mentionem feci, ablegant.

192. Poſtquam Fibrae omnium harum portionum Inſertionibus ſuis ſuperioribus flexum adeo amplum atque adeo latum inſtituerunt, oblique ab anteriori retrorſum deſcendunt, dum colliguntur, & Radiorum truncatorum inſtar ad ſe invicem accedunt. Hiſce expanſionibus ſuoque retro & infra extremitatem Inteſtini Recti occurſu, fere uti Muſculus Mylo-Hyoïdeus, Muſculum Digaſtricum formant, qui inferiorem Pelvis

Oſſeae

Oſſeae partem terminat, quique fundum cavitatis Abdominis conſtituit, quemadmodum Diaphragma illius fornicem efficit.

193. *NOTA.* 1°. Muſculi Coccygis, de quibus in Tractatu Muſculorum peculiari dictum fuit, ceu Auxiliares horum Elevatorum conſiderari poſſunt.

194. 2°. Margo Ani a Cutis atque Epidermidis cum Tunica interna extremitatis Inteſtini Recti occurſu & unione formatur; ita ut portio hujus Tunicae ſuperficialis Epidermidis continuitas eſſe videatur.

195. *Arteriae. Venae. Nervi. Connexio. Uſus.* Quinque hos articulos poſt Hiſtoriam Meſenterii, Meſocoli & Epiploï, quemadmodum ſuperius reſpectu omnium reliquorum Inteſtinorum feci, tractabo.

MESENTERIUM, ET MESOCOLON, &c.

196. Totus hicce magnus Inteſtinorum Faſciculus, non indifferenter in Capacitate Abdominis volutatur; per Telam Membranaceam artificioſe ibi firmatur, quae, ne Canalis Inteſtinalis gyri diverſis ſuis occurſibus ſibi mutuo obſtent, ſibi invicem implicentur, aut ſe invicem ſtrangulent, impedit, quaeque iisdem fluctuationem blandam eodemque tempore per haſce Annexiones limitatam concedit.

197. *Nomina. Diviſio.* Tela haec in genere Meſenterium vocatur, nomen quod Veteres Graeci eidem dedere, quoniam aliquo modo in medio Inteſtinorum eſt. In duas portiones Exten-

ſione ſua dividitur, quarum una admodum lata atque plicata eſt, quae Inteſtina Tenuia annectit; altera quae admodum longa & circumacta exiſtit, Inteſtina Craſſa firmat.

198. Duae hae portiones re ipſa una eademque Laminae Peritonaei Membranaceae in ſe ipſam reduplicatae continuatio exiſtunt; nec niſi certa arctatione a ſe invicem diſtinguuntur. Speciem Voluminis ſpiralis circumferentia ſua plus minusve plicati invicem formant. Prima harum portionum in ſpecie nomen Meſenterii retinuit, altera Meſocolon appellatur.

199. *Structura.* Meſenterium ab ultima Duodeni curvatura incipit, & a ſiniſtro latere dextrorſum juxta longitudinem Vertebrarum Lumbarium oblique deſcendit. In hoc ſpatio Lamina ſive portio Membranacea Peritonaei in latere dextro & ſiniſtro abſcedit, atque mediantibus duobus Proceſſibus ſive Laminis peculiaribus quae ſibi mutuo averſim uniuntur, atque id, quod Meſenterium vocatur, formant, duplicationem producit.

200. Superius & inferius, praecipue vero ſuperius anguſtum eſt. Multum inter duo haec loca latum fit, ipſiusque latitudo juxta totam longitudinem verſus Inteſtina in marginem admodum plicatum deſinit. Plicae hae non niſi undantes inflexiones, uti iſtae fruſti pellis Rupicaprae juxta longitudinem unius ſuorum marginum fortiter hinc inde tractae, exiſtunt. Marginem Meſenterii admodum longum efficiunt, atque non multum ultra tertiam ipſius latitudinis partem occupant.

201.

201. Duae Laminae mediante Subſtantia cellulosa invicem conjunguntur. Glandulas, Vaſa & Nervos, de quibus in ſequentibus ſermo erit, includit; & in plurimis ſubjectis Pinguedine repletur, unde duae Laminae quandoque maxime a ſe invicem diſtant.

202. Juxta totam longitudinem circumferentiae Meſenterii duae Laminae naturaliter a ſe invicem diſcedunt, in utroque latere Canalem Inteſtinorum Tenuium amplectuntur, occurſu ſuo, aut ut melius rem explicem, reciproca earundem ſupra magnam hujus Canalis convexitatem ſive curvaturam continuatione involvunt, eumque in faſcia quaſi gerunt. Id quod Tunicam extimam ſive Membranaceam Inteſtinorum format.

203. Meſocolon non niſi Meſenterii continuatio eſt, quod poſtquam ad Inteſtini Ilei extremitatem pervenit, arctatur atque nomen Meſenterii cum illo Meſocoli commutat. Hoc in loco Lamina peculiaris, quae latus dextrum reſpicit, parvam plicam transverſam, quae Ligamentum Coli dextrum vocatur, efficit.

204. Meſocolon deinde verſus Renem dextrum aſcendit, ubi ob immediatam Inteſtini Coli in hoc Rene & in prima Duodeni curvatura Annexionem obliterari videtur. Poſtmodum, ut ita dicam, iterum in conſpectum prodit, denuo latius evadit, atque transverſo fere itinere infra Hepar, Ventriculum & infra Lienem incedit, ubi infra Hypochondrium ſiniſtrum verſus Renem ejusdem lateris iterum deſcendit.

205. In toto hocce trajectu Meſocolon latius fit, atque Planum ſemi-circulare fere transverſum, & verſus circumferentiam magni marginis valde parum plicatum format. Mediante magno hocce margine juxta totam longitudinem Arcus Coli annectitur, & hoc modo unam e Faſciis ligamentoſis hujus Inteſtini, iſtam ſcilicet parvae convexitatis Arcus, abſcondit. Parvo margine Tubum triangularem Duodeni format, & mediante magno margine Tunicam externam Coli, eodem modo producit, quo Meſenterium iſtam Inteſtinorum Tenuium format. Infra magnam Ventriculi extremitatem excurrens, portioni inferiori hujus extremitatis pauxillum adhaeret, quae mediante ſuperiore ſua portione Diaphragmati quoque annectitur.

206. Poſtquam infra Renem ſiniſtrum pervenit, arctatur plicamque transverſam format, quae Ligamentum Coli ſiniſtrum eſt. Deinde denuo latius, aſt minus quam ſuperius fit, & ſupra Muſculum Pſoam lateris ſiniſtri, verſus ultimas Vertebras Lumborum deſcendit. Deſcendens haec portio eodem modo gyris quo portio ſuperior ſive transverſa Arcui Coli, annectitur.

207. Inteſtinum Rectum etiam a peculiari Peritonaei productione involvitur, cui communiter nomen barbarum Meſo-Rectum imponitur. Productio haec admodum anguſta eſt, & anterius in parte circiter media Inteſtini Recti plicam transverſim ſemi-circularem format, quae vacuo Inteſtino apparet, & repleto obliteratur.

GLAN-

GLANDULAE MESENTERICAE.

208. *Situs. Figura.* Meſenterium magnum intra duas ſuas Laminas Glandularum, per intervalla in craſſitie Texti Celluloſi diſperſarum, numerum recondit. Glandulae hae in ſtatu ſuo naturali, reſpectu ipſarum figurae Lentibus aliquo modo atque Phaſeolis ſimiles ſunt. Indifferenter plus minusve quaedam orbiculares & quaedam ovales exiſtunt; cunctae vero parumper complanatae ſunt. In perſonis obeſis pinguedine circumdantur.

209. *Structura.* Glandulae Meſentericae e numero earum ſunt, quas Anatomici communiter in genere Glandulas Conglobatas vocant, quarum ſtructura nondum clare ſatis conſtat. Earundem Textum celluloſum, Membrana ſive Tunica ſubtiliſſima involutum videtur, in qua Microſcopii ope Filorum peculiarium, quae Malpighius pro Fibris carnoſis habuit, implicatio detegitur.

210. Subtiliſſimae & accuratiſſimae Anatomicae Injectiones nondum hac in re ſatisfecerunt; quamcunque enim diligentiam adhibemus follicoſum ſemper harum Glandularum Textum penitus replent. Et ſi mediantibus iisdem aut ſimilibus injectionibus quamplurima Vaſa, quae antea viſum fugiebant, ibidem detegimus, attamen ideo parum doctiores ſumus; quoniam eodem hoc medio vera Vaſa Sanguifera non a Vaſis ſecretoriis, neque haec ab excretoriis diſtingui poſſunt.

VASA LYMPHATICA.
VENAE LACTEAE.

211. Praeter Vaſa Sanguifera, quae Retis inſtar in Glandulis Meſentericis diſtribuuntur, & praeter plura Nervea Fila quae in iisdem diſperguntur, magnus alius ſpeciei parvorum Vaſorum peculiarium numerus, quae unum alteri per totidem quaſi cataractas transmittit, ibidem detegitur.

212. *Situs. Figura.* Vaſa haec peculiaria ſubtiliſſima & tranſparentia ſunt. Interius quamplurimis Valvulis inſtructa ſunt, quae exterius non niſi inſtar parvorum nodorum parum a ſe invicem diſtantium apparent. E qualibet Glandula per Ramuſculos, ceu per totidem radices egrediuntur, & poſtquam parvum Truncum formaverunt, dividuntur, atque itidem per Ramuſculos in vicinam Glandulam intrant.

213. *Nomen.* In genere Vaſa Lymphatica appellantur, quoniam ſaepiſſime humorem clarum & limpidiſſimum, quamvis mucilaginoſum, quem Anatomici Lympham vocant, vehunt. Aſt quoniam quandoque Liquore albo & lacteo, qui Chylus dicitur, repleta inventa fuere, iisdem in ſpecie Vaſorum Chyliferorum, ſive Venarum Lactearum nomen impoſitum fuit. Venae appellantur, quoniam Valvulae earundem uti iſtae Venarum ordinariarum ſive ſanguiferarum diſpoſitae ſunt, & quoniam liquoris, quem continent, curſus e tubis anguſtis in tubos per gradus ampliores procedit.

214. *Diſtributio.* In Demonſtrationibus meis Venas Lacteas, reſpectu Corporis Humani ſemper ad tres, imo ad quatuor Claſſes retuli.

215. *Prima Claſſis.* Venae Lacteae primam ſuam originem a Villoſa Inteſtinorum inprimis Tenuium Membrana, mediantibus quamplurimis Radicibus Capillaribus, uti ſuperius diximus, ducunt. Ex hiſce Radicibus inter Tunicas Inteſtinorum ſpecies Retis mirabilis exurgit, quod totam fere Canalis Inteſtinalis circumferentiam, inter Tunicam Muſculoſam atque Tunicam externam ſive communem circumdat.

216. Rete hoc Venarum Lactearum Tunicam Canalis Inteſtinalis externam ſequitur, & conjunctim cum illa Inteſtina Meſenterium verſus deſerit, ubi duo Plana Ramuſculorum mediante Texto Celluloſo exacte a ſe invicem diſtinctorum, & unum uni Membranarum Meſenterii, alterumque alteri Membranae agglutinatorum format. Duo Plana ſeparatim ſupra portionem Meſenterii vicinam uſque ad primarum Glandularum Meſentericarum occurſum procedunt, ubi invicem uniuntur, atque unicum tantum Planum conſtituunt.

217. *Secunda Claſſis.* Lacteae Venae poſt hancce unionem uniformiter fere in tota Meſenterii extenſione, ab ipſius circumferentia uſque verſus ipſius originem ſive annexionem in Vertebris Dorſi, inter Glandulas Meſentericas, eaſdem modo ſupra indicato tranſeundo, & communicationes ſive Anaſtomoſes reciprocas admodum frequentes inſtituendo, diſtribuuntur.

218.

218. *Tertia Claſſis.* Venae Lacteae poſt huncce earundem Ramuſculorum per totam Meſenterii extenſionem trajectum, quo magis Spinae Dorſi appropinquant, eo magis in centrum concurrunt, numero imminuuntur, craſſitie augentur tandemque poſt ultimas Glandulas Meſentericas verſus medium Inſertionis Meſocoli in parvos Truncos communes deſinunt, ad quos plura Glandularum Lumbarium aliarumque Glandularum inferius ſitarum mere Lymphatica Vaſa adeunt.

219. *Quarta Claſſis.* Venae Lacteae Inteſtinorum Craſſorum in genere eandem conſtituere poſſunt. Plures earundem admodum clariſſime & diſtinctiſſime in Colo Hominis, atque Chylo turgidas in Academia Regia Scientiarum demonſtravi. Defunctus Dn. Mery ejusdem Academiae Socius, qui ſemper alienis Obſervationibus difficulter fidem adhibebat, tunc praeſens, atque, quod liquorem album, quem haec Coli Vaſa continebant, digiti mei apice uniformiter per intervalla in iisdem propellerem videns, mox hocce experimento admodum contentus eſſe videbatur, aſt ut hujus rei ulterius certior fieret, eodem tempore & ſe praeſente unum horum Vaſorum apice Scalpelli aperire, guttam liquoris extrahere atque Ungui Pollicis mei imponere me juſſit; id quod eidem penitus ſatisfecit.

220. Venae Lacteae non ſemper in Cadaveribus humanis apparent. Non niſi in iis ordinarie qui mox poſt aſſumtum cibum, ſive violenta morte, ſive morbo defuncti fuerunt, conſpici poſſunt.

Per

Per longum adhuc tempus poſt mortem, etiam in Inteſtinis eorum quorum Glandulae Meſentericae quoad maximam partem ſcirrhoſae factae ſunt, inprimis in tenera aetate cernuntur.

221. Venae Lacteae communiter in animalibus vivis demonſtrantur, quae elapſis tribus circiter horis plus minusve ab aſſumta ſufficiente quantitate alimentorum, e lacte inprimis praeparatorum, aperiuntur. Methodus haecce valde incommoda eſt, imo ſaepius etiam partem jucundi hujus ſpectaculi impedit. Multo faciliori negotio atque delectatione in animali quod, elapſa circiter hora, aut citius, ſecundum majorem vel minorem alimentorum, quae in ſufficienti quantitate aſſumſerit, fluiditatem, penitus ſtrangulatur, conſpicitur. Id quod in Curſibus meis privatis ex voto ſemper mihi ſucceſſit.

222. *Receptaculum Chyli.* Venae Lacteae tertiae Claſſis, id eſt, iſtae quae a Glandulis Meſentericis uſque ad regionem mediam Annexionis magni Meſocoli in Spina Dorſi reperiuntur; hae Venae, inquam, ſupra Corpus Aortae inferioris inter extremitates Muſculi minoris ſive Muſculi inferioris Diaphragmatis excurrunt, ubi ſpeciem Ciſternae Lacteae attingunt, quam quidam ſimpliciter Conceptaculum ſive Receptaculum Chyli, alii Receptaculum Pecqueti, Medici Dieppenſis, qui illud Demonſtrationibus peculiaribus clarius expoſuit, vocant; Euſtachius enim Anatomicus Romanus atque Medicus Sancti Caroli Borromaei idem jam detexerat.

223.

223. *Situs. Figura Receptaculi.* Ordinarie quoad maximam partem retro portionem ſive Crus dextrum Muſculi inferioris Diaphragmatis, ad latus dextrum Aortae, ſupra ultimae Vertebrae Dorſi cum prima Lumbari unionem ſitum eſt. Species Veſiculae Membranaceae eſt. Conformatio ipſius in Homine multum variat; ſaepius figura ovali prolongata atque uniformi, fere uti Veſicula Fellis gaudet. Arctationibus quandoque in plures parvos ſaccos, irregulariter rotundos, & plus minusve complanatos diviſum reperitur. Quibusdam in ſubjectis Truncus Aortae ab eodem inſtar collaris circumdatur.

224. *Structura.* E Tunicis admodum tenuibus componitur, ipſiusque cavitas interius per parvas pelliculas ſive Septa membranacea, quorum diſpoſitio minime regularis eſſe videtur, diviſa eſt. Praecipue inferius & circum ipſius portionem inferiorem ultimae Venae Lacteae, quaedam lateraliter, quaedam retro Aortam, uti etiam plura Vaſa mere Lymphatica, de quibus alio loco ſermo erit, inſeruntur. Portio ſuperior inter Aortam atque Venam Azygos arctatur, Canalemque peculiarem format, qui in Pectus ſub nomine Ductus Thoracici, de quo in Hiſtoria Pectoris dicam, aſcendit.

ARTERIAE ET VENAE INTESTINORUM.

225. *Duodenum.* Communiter Arteria propria, quae Arteria Duodenalis ſive Inteſtinalis dicitur, gaudet. Indifferenter e Coronaria Stomachica, Pylo-

Pylorica, Gaſtrica magna, imo etiam ex Hepatica oritur. Praeter Arteriam, in ſpecie Duodenalem dictam, quaedam harum Arteriarum, uti etiam Meſenterica ſuperior atque Splenica eidem plures parvos Ramuſculos ſubminiſtrant. Arteriae hae communicationes inter ſe alunt.

226. Arteria Duodenalis propria, cum reliquis Arteriolis Acceſſoriis conjunctim, circum Tunicam Muſculoſam Duodeni Rete Vaſculoſum format, quod Rete quamplurima Vaſa Capillaria tam extrorſum quam introrſum ablegat, ita ut hocce Inteſtinum inde plus minusve rubicundum appareat.

227. Venae Duodeni Ramuli Venae Portae ſunt, earumque diſtributio uti etiam earundem denominatio iſti Arteriarum fere reſpondet. Frequentius quam Arteriae inter ſe communicant, & in ſpecie cum Vena Haemorrhoïdali magna communicationem alunt.

228. Ramuſculi Venoſi circum Duodenum Rete iſti Ramuſculorum Arterioſorum ſimile conſtituunt. In genere Rete hoc Arteriarum atque Venarum Vaſculoſum magis minusve in reliquis Inteſtinis reperitur.

229. *Jejunum.* Ipſius Arteriae praecipue Arteriae Meſentericae ſuperioris ſoboles ſunt. Aſcendens Meſentericae inferioris Ramus, eidem etiam proſpicit. Venae quoad maximam partem Venae Meſaraïcae magnae Rami ſunt. Splenica uti etiam Meſaraïca parva, quae Haemorrhoïdalis interna eſt, itidem eidem proſpicit.

230. Praecipui ſecundarii harum Arteriarum, harumque Venarum Trunci in Texto Celluloſo inter Laminas Meſenterii ſeſe comitantur, ibidem in Ramos & Ramulos dividuntur, atque Maculas, Rhombos, & Arcus formant, de quibus in Tractatu peculiari Arteriarum & in illo Venarum dictum fuit. Ultimi horum Arcuum atque Rhomborum, id eſt, ii qui Inteſtinis proximi ſunt, duo parva Plana Vaſculoſa producunt, quae admodum diſtincte a ſe invicem diſcedunt, & Canalem Inteſtinalem inſtar Retis amplectuntur.

231. *Inteſtinum Ileum.* Ipſius Arteriae atque Venae proportionate ab iisdem originibus, uti iſtae Jejuni, naſcuntur, quemadmodum fuſius in peculiaribus Arteriarum Venarumque Tractatibus videre eſt. Hic, uti etiam reſpectu Jejuni, notandum eſt, quod hae Arteriae & hae Venae in toto ſuo per Meſenterium decurſu, Glandulis Meſentericis, Laminis atque Texto Celluloſo Meſenterii Ramuſculos praebeant. Species communicationis plurium parvarum Venarum Meſaraïcarum cum Ramulis Capillaribus Venarum Lumbarium Venarumque Spermaticarum hic occurrit.

232. *Caecum.* Ipſius Arteriae iſtaeque ipſius Appendicis Vermiformis Ramuſculi Rami ultimi convexitatis Arcus Arteriae Meſentericae ſuperioris ſunt. Secundus, & quandoque tertius Ramus, quando adeſt, iisdem etiam parvos Ramulos ſuppeditat. Venae Caeci ipſiusque Appendicis ſimiles Ramuſculi Arcus magnae Venae Meſaraïcae exiſtunt. Riolanus unum horum Ramorum Venam Caecalem appellavit.

233.

233. *Colon.* Portio dextra Arcus Coli, id eſt, iſta quae Caecum ſequitur, quaeque illius continuatio eſt, Arteriolas a ſecundo Ramo concavitatis Arcus Arteriae Meſentericae ſuperioris, paucasque a tertio, quando ibi adeſt, accipit.

234. Portioni ſuperiori ſive mediae Arcus Coli primus Ramus ejusdem concavitatis Arcus Arterioſi proſpicit; qui Ramus Furca ſua in dextro & ſiniſtro latere cum reliquis Arcus Coli portionibus communicat.

235. Portio ſiniſtra Arcus Coli Arterias ſuas ex parte ab eodem hocce Ramo Arteriae Meſentericae ſuperioris, ex parte a primo Ramo Arteriae Meſentericae inferioris accipit; qui duo Rami celebrem iſtam communicationem ſive Arcum duarum Arteriarum Meſentericarum communem formant.

236. Ob hancce communicationem ſive continuationem Trunco unius harum duarum Arteriarum obſtructo aut compreſſo, altera Arteria cunctis Ramis poſt locum obſtructionis reperiundis Sanguinem ſuppeditaret. Secundus Meſentericae inferioris Ramus extremitati Coli ſiniſtrae quoque Arteriolas praebet.

237. Inflexiones Coli deſcendentes, quibus nomen S Romani imponitur, a reliquis Arteriae Meſentericae inferioris Ramis, quorum ultimus Arteriam Haemorrhoïdalem internam format, irrigantur.

238. Venae omnium harum Portionum Coli Rami & Ramuſculi Venae Portae Ventralis, &

praecipue ipſius Truncorum ſecundariorum, Venae Meſaraïcae magnae, atque Venae Meſaraïcae parvae ſive Venae Haemorrhoïdalis internae ſunt. Diſtributio horum Ramorum, horumque Ramuſculorum iſtam Arteriarum aliquo modo ſequitur, quemadmodum fuſius in Tractatu de Venis videre eſt.

239. *Rectum.* Ipſius Arteriae ab Arteria Haemorrhoïdali interna, quae ultimus Ramus Arteriae Meſentericae inferioris eſt, ſubminiſtrantur. Cum Arteria Hypogaſtrica, & in ſpecie cum Arteria Haemorrhoïdali interna, quae unius ex hiſce Arteriis ſoboles exiſtit, communicationem alit.

240. Recti Venae ultimorum Ramorum Venae Meſaraïcae parvae, ſive Venae Haemorrhoïdalis internae Ramuſculi ſunt. Cum Venis Haemorrhoïdalibus externis, quae Ramuli unius e Venis Hypogaſtricis ſunt, communicant. Mediantibus Ramuſculis Capillaribus cum reliquis adhuc Venis Hypogaſtricis, quae ad Partes Naturales internas utriusque Sexus ſe conferunt, communicationem alunt.

N O T A.

241. 1°. Continuatio ſucceſſiva plus minusve ſimplex aut multiplicata inter cunctas Arterias totius Canalis Inteſtinalis, & ſimiliter inter cunctas ipſius Venas reperitur. 2°. Venae hic locorum uti in cunctis aliis locis, tenuiores & ampliores Arteriis exiſtunt, imo differentia haec hiſce in partibus habito reſpectu notabilior quam

in

in omnibus reliquis Corporis Humani partibus obſervatur.

NERVI INTESTINORUM.

242. *Duodeni.* Praeter quaedam Plexus Stomachici atque Plexus Hepatici Fila Plexus medius Gangliorum Semilunarium.

243. *Jejuni. Ilei. Glandularum Meſentericarum.* Plexus Meſentericus ſuperior; Faſces poſt-Meſenterici; Plexus Meſentericus inferior.

244. *Caeci.* Faſces ſive Plexus poſt-Meſenterici; Plexus Meſentericus inferior.

245. *Arcus Coli.* Iidem Faſces; Plexus Meſentericus ſuperior; Plexus Meſentericus inferior.

246. S *Romani.* Plexus poſt-Meſentericus; Plexus Meſentericus inferior; Plexus Sub-Meſentericus.

247. *Recti.* Plexus Meſentericus inferior; Plexus Sub-Meſentericus ſive Plexus Hypogaſtricus; duo ejusdem Plexus Ganglia.

248. *Ani ipſiusque Muſculorum.* Ganglia Plexus Sub-Meſenterici ſive Plexus Hypogaſtrici; Funiculus inferior utriusque Nervi Symphatici magni, ſive Nervi Intercoſtalis; Arcus communis extremitatis utriusque Funiculi.

EPIPLOON. APPENDICES ADIPOSAE.

249. Quoniam hi articuli tantam connexionem cum iis, qui de Hepate atque Liene agunt, habent, ut eorundem Hiſtoriam, absque ut de quibusdam horum duorum dictorum Viſcerum

peculiaribus circumſtantiis mentio injiciatur, tradere impoſſibile ſit, eorundem Expoſitionem iſti Hepatis, Lienis, imo etiam Pancreatis ſubnectere, quam hic inſtituere, quamque Deſcriptionis partium in Abdomine contentarum ab iſta Epiploï initium facere, convenientius eſſe duxi.

250. Ex eodem fundamento Expoſitioni omnium harum partium iſtam earundem uſuum, uti etiam iſtam uſuum totius Canalis Inteſtinalis, Meſenterii, Venarum Lactearum, Glandularum Meſentericarum, Muſculorum Ani, &c. ſubjungo.

HEPAR.

251. *Situs generalis.* Hepar maſſa magna mediocriter firma, coloris obſcure rubicundi, ad flavum pauxillum accedentis exiſtit, immediate infra Diaphragmatis fornicem, ex parte in Hypochondrio dextro, quod totum fere replet, ex parte in Epigaſtrio, inter Appendicem Xiphoïdem & Dorſi Spinam ſita, & ordinarie verſus ſiniſtrum Hypochondrium terminatur, & quandoque multum verſus illud protenditur.

252. *Figura.* Figura ipſius irregularis eſt, ſuperius fornicata ſive convexa, inferius inaequaliter concava, in latere dextro & poſterius admodum craſſa. Craſſities ipſius verſus latus ſiniſtrum & anterius magis magisque tenuis & ſcindens quaſi evadit. Latitudo ipſius a dextro latere verſus ſiniſtrum major quam ab anteriore poſteriora verſus exiſtit.

253. *Diviſio.* In duas Extremitates, unam magnam & alteram parvam; in duos margines, unum anteriorem & alterum poſteriorem; in duas facies, unam ſuperiorem & convexam, quae aequalis, polita atque Diaphragmatis fornici proportionata exiſtit; alteram inferiorem & concavam, quae inaequalis, & per plures eminentias atque depreſſiones, de quibus in ſequentibus ſermo erit, interrupta quaſi eſt, dividi poteſt.

254. In duas adhuc laterales partes, quae Lobi vocantur, dividitur. Unus Lobus major ſive Lobus dexter, alter Lobus minor ſive Lobus ſiniſter appellatur. Duo hi Lobi ſuperius per Ligamentum Membranaceum a ſe invicem diſtinguuntur; inferius vero diviſio haecce per ſciſſuram notabilem, cujus directio cum iſta Ligamenti ſuperioris eadem eſt, clariſſime diſtinguitur.

255. *Eminentiae.* Eminentiae Faciei concavae Hepatis ad Lobum majorem pertinent. Primaria harum Eminentiarum inſtar ſpeciei Apophyſis triangularis ſive pyramidalis Lobi majoris ſe habet. Poſterius prope magnam Sciſſuram, quae duos Lobos diſtinguit, ſita eſt.

256. Eminentia haec triangularis Lobulus Spigelii, aut ſimpliciter Hepatis Lobulus nominatur. Unus ipſius Angulorum verſus partem mediam faciei inferioris Lobi majoris notabiliter excurrit, ubi obliteratur. Huncce Angulum Lobuli Radicem appello. Verſus anteriora quoque eminentiae minus prominentis, aſt latioris ſpe-

cies reperitur. Veteres hiſce eminentiis in genere nomen Portarum impoſuerunt.

257. *Depreſſiones.* Concavae ſive inferioris Hepatis Faciei Depreſſiones, quae attentionem merentur, quatuor numero ſunt. Prima inſtar ſciſſurae ſe habet, quae duorum Loborum ſeparationem conſtituit, dum per Hepatis concavitatem ab eminentiis, de quibus modo dixi, ad Marginem uſque anteriorem transverſim excurrit, ubi in inciſuram magis minusve profundam deſinit. Sciſſura magna Hepatis ſalutatur. Quibusdam in ſubjectis ſciſſura haec ex parte integrum quaſi Tubum refert.

258. Secunda Depreſſio transverſim inter duas Lobi majoris eminentias ſita eſt. A Sinu Venae Portae, a Veteribus ita dicto, quoniam inter eminentias ejusdem nominis ſitum obtinet, occupatur. Tertia Depreſſio poſterius inter corpus Lobi majoris & Lobulum Spigelii reperitur. Venae Cavae Trajectui inſervit. Quarta Depreſſio ſpecies Sulci inter Lobulum & parvum Hepatis Lobum eſt, qui Sulcus olim in Foetu Canali Venoſo locando, qui in Adulto obliteratur, & non niſi inſtar ſpeciei Ligamenti apparet, inſervivit. Sulcus hic continuatio quaſi magnae ſciſſurae Hepatis eſt, ubi cum Vena Cava angulo acuto occurrit.

259. Praeter quatuor has Depreſſiones anterius in Lobo majori una adeſt, in qua Veſicula Fellis locatur, quaeque quandoque ad marginem uſque extenditur, ubi levem inciſuram format.

mat. Ad has Depreſſiones parva etiam ſuperficialis concavitas in parte poſteriore & laterali faciei inferioris Lobi majoris referri poteſt, qui parva hacce cavitate Reni dextro incumbit. Levis quoque ſiniſtri Lobi concavitas, qua mediante ſupra Ventriculum protenditur, huc referri poteſt.

260. In margine denique poſteriore Hepatis magna Inciſura reperitur, quae duobus Lobis communis eſt, atque Spinae Dorſi & extremitati Oeſophagi ſpatium concedit. Prope tranſitum Venae Cavae conſpicitur. Ceterum quandoque in utraque Hepatis facie ſciſſurae, quae non conſtantes ſunt, reperiuntur.

261. *Ligamenta.* Hepatis convexitas Diaphragmati ordinarie tribus Ligamentis, quae non niſi Laminae Membranaceae Peritonaei continuationes ſunt, annectitur. Unum verſus marginem extremitatis cujuslibet Lobi, & unum in medio ſitum eſt. Dextrum, Siniſtrum & Medium vocantur. Inter eorundem duplicationem Textum Celluloſum intercedit, in quo Vaſa Sanguifera & Lymphatica repunt, cujusque ſpecies Laminae in Hepar penetrat.

262. Ligamentum dextrum Lobum majorem quandoque etiam Cartilaginibus Coſtarum Spuriarum annectit. Siniſtrum, quod illud Lobi minoris eſt, duplex ſaepius invenitur, & verſus medium procedit. Ligamentum medium inferius in magna Hepatis ſciſſura, ab Eminentiis, quae Portae dicuntur, incipit, hincque per Inciſu-

ram anteriorem excurrit, ſupra unionem duorum Loborum ad partem Hepatis convexam tendit, atque Diaphragmati oblique annectitur.

263. Ligamentum hoc medium adhuc juxta longitudinem partis ſuperioris & internae Vaginae Muſculi Recti lateris dextri Abdominis, aſt oblique annectitur, ita ut inferius propius Lineam albam quam ſuperius exiſtat.

264. Praeter haec Ligamenta major Hepatis Lobus Diaphragmati adhuc, praecipue Alae dextrae ipſius Tendinoſae portionis, non quidem mediante Ligamento, ſed mediante adhaeſione immediata atque lata, absque Membranae Peritonaei interventu annectitur; nam non niſi circum circa adhaeſionem hancce replicatur, quo Membranam externam totius reliqui Corporis Hepatis formet.

265. Lata haecce adhaeſio communiter & inconcinne Ligamentum Coronarium appellatur; nam primo loco, uti modo dixi, Ligamentum non eſt, & ſecundo adhaeſio haecce non rotunda aut circularis, ſed ovalis & admodum oblonga exiſtit.

266. Non in parte convexitatis Hepatis ſuperiore, ſed juxta longitudinem partis poſterioris Lobi majoris reperitur, ita ut lata hujus adhaeſionis extremitas proxime inciſuram ſit, & altera quae acuminata eſt, Hypochondrium dextrum reſpiciat.

267. Ligamentum medium, inconcinne Ligamentum Hepatis Suſpenſorium dictum, craſſum Funi-

Funiculum album inſtar ſpeciei Ligamenti rotundi in duplicatione ſua includit. Funiculus hic in Foetu Vena, Vena Umbilicalis vocata, fuit. Ligamentum itaque medium inferius Falcem praeſentat, quae in margine convexo ſcindens, & in altero rotunda exiſtit.

268. Omnia haec Ligamenta ad magnum Hepatis volumen firmandum, &, ne nimis hinc & illinc agitetur, impediendum inſerviunt. Aſt cave ne ullum eorum ad idem ſuſpendendum contribuere credas. A Ventriculo & toto Inteſtinorum faſciculo, praecipue quando repleta ſunt, ſuſtentatur & quaſi fulcitur.

269. Ii quorum Venter vacuus eſt, aut qui ordinarium cibum capiendi tempus excedunt, communiter Ventriculum ipſos trahere dicunt. Hepar tunc temporis a Ventriculo & ab Inteſtinis non ſufficienter ſuſtentatum, proprio ſuo pondere deſcendit, Diaphragma, praecipue mediante Ligamento medio, ſecum abripit & trahit. Et in hoc inprimis loco tractio haecce ſentitur, quae ab orificio Ventriculi ſuperiore, cui plures eandem attribuunt, multum diſtat.

270. *Situs ſpecialis.* Lobus dexter ſive major Lobus, qui Hypochondrium ejusdem lateris occupat, Reni dextro mediante parva proportionata depreſſione, de qua ſuperius dixi, incumbit. Supra portionem quoque Arcus Coli & ſupra Pylorum ſuſtenſtatur. Duae tertiae Lobi minoris ſive Lobi ſiniſtri partes medium Epigaſtrii occupant, & ordinarie tertia tantum pars verſus Hy-

pochondrium ſiniſtrum ſupra Ventriculum excurrit, quem per ſpeciem concavitatis ſuperius indicatae contegit.

271. Minor Lobus ſive Lobus ſiniſter horizontaliter fere ſitus eſt. Lobus dexter ſive major Lobus admodum inclinat, ipſiusque craſſa extremitas directione fere perpendiculari valde deorſum ad Renem dextrum uſque deſcendit, cui mediante parva cavitate, de qua dixi, incumbit. Nota haec admodum neceſſaria eſt, ut loca Hepatis ratione vulnerum & Operationum Chirurgicarum bene diſtinguantur.

272. Annotatio haecce verum quoque ſitum, quando Hepar ſeparatum & e corpore exemtum examinatur, ſuppeditare poteſt; absque hacce attentione enim, & exercitatiſſimis etiam, facile accidit, ut reſpectu ſitus partium Hepatis, inprimis earum ipſius concavae faciei fallantur. Venae Cavae inter majoris Lobi Corpus & Lobulum Spigelii tranſitus, aliquo modo quoque inſtar regulae eſſe poteſt, quo Hepar ſeparatum in ſitu ſuo naturali teneri poſſit.

273. *Structura.* Hepar e pluribus Vaſorum ſpeciebus compoſitum eſt, quorum Ramuſculi mirandò modo multiplicati ſunt, & per eorundem extremitatum Capillarium implicationem innumerabilem parvorum pulpoſorum & friabilium Granorum congeriem formant, quae pro totidem Organis propriis, ad peculiarem a Sanguinis maſſa ſuccum, cui Bilis nomen imponitur, ſeparandum habentur.

274.

274. Maxima diverſorum horum Vaſorum pars ab uno extremo ad alterum uſque ſpeciei Vaginae Membranaceae, quae Capſula Venae Portae, ſive Capſula Gliſſonii, Auctoris Angli, qui primus eandem ſpecialiter deſcripſit, dicitur, includitur.

275. Vas quod Sanguinem Hepati advehit, Vena Portae, ex ratione ſuperius indicata ſalutatur. In Tractatu de Venis dixi, quod Vena Portae ceu duae craſſae Venae, quae per Truncos ſuos ſenſu contrario invicem uniuntur, itidemque poſtmodum, una in ſenſum alterius contrarium, Ramos & Ramuſculos de ſe ſpargunt, conſiderari poſſit; quod unus horum duorum craſſorum Truncorum Hepati annectatur, & in eodem in Ramuſculos dividatur; quod alter extra Hepar ſit, Ramosque ſuos ad Viſcera Abdominalia mittat; & denique quod prior harum craſſarum Venarum Vena Portae Hepatica, &c. & poſterior Vena Portae Ventralis vocari poſſit.

276. *Vena Portae Hepatica.* Truncus peculiaris Venae Portae Hepaticae transverſim inter Eminentiam latam ſive anteriorem Lobi majoris Hepatis atque Radicem Lobuli, in ſciſſura ſitus eſt, atque id quod Sinus Venae Portae vocatur, format. Ex hocce Sinu quinque craſſi Rami primarii oriuntur, qui in millenos Ramuſculos per totum Hepatis Volumen diſperguntur.

277. Vena Portae hoc in loco Venae ordinariae officium deponit, atque in introitu, & dum denuo in Hepate in Ramuſculos dividitur, ſpecies

ſpecies Arteriae evadit. Extremitates omnium horum Ramuſculorum quos Truncus Venae Hepaticae ablegat, ad parva pulpoſa & friabilia Grana, quae, quando in aqua clara Microſcopii ope examinantur, Folliculi craſſi & villoſi eſſe videntur, tendunt.

278. *Pori Biliarii. Ductus Hepaticus.* Bilis in Folliculis hiſce percolatur, & poſtmodum in totidem alius ſpeciei Vaſorum extremitatibus, quae per plures Ramuſculos uniuntur, & Truncum generalem formant, colligitur. Ramuſculi hi Pori Biliarii, eorumque Truncus Ductus Hepaticus vocatur. Ramuſculi harum duarum ſpecierum Vaſorum Capſulae Venae Portae invicem includuntur.

279. *Venae Hepaticae.* Sanguis bilioſo hocce liquido privatus per magnum Ramuſculorum Venoſorum numerum revehitur, qui invicem redadunantur, & tres primarios Ramos, & quosdam alios minus notabiles, qui in Venam Cavam ſeſe exonerant, formant. In genere ſimpliciter Vena Hepatica vocantur.

280. Capillares Ramuſculorum Venae Cavae extremitates iſtis Venae Portae ſeſe aſſociant, easque in Hepatis maſſam comitantur. Craſſi interim Ramuſculi utriusque per intervalla ſeſe decuſſant.

NOTA.

281. Quando Hepar indifferenter in fruſta diſcinditur, Venae Cavae Ramuſculi ab iſtis Venae

Portae

Portae facili negotio in hiſce ſectionibus diſtinguuntur; iſtae enim Venae Cavae ampliores, tenuiores, ac ſubſtantiae Hepatis arctius agglutinatae ſunt, & per conſequens ſatis exacte diſcindi poſſunt; cum e contrario iſtae Venae Portae quae Capſula Celluloſa involvuntur, quando vacuae ſunt, quaſi paulum rugatae apparent. Id exinde accidit, quoniam Celluloſa Capſulae Subſtantia in hiſce ſectionibus deprimitur, cum e contrario Venae Cavae aequaliter apertae maneant, quoniam tota ipſarum circumferentia typis quaſi in hocce Viſcere effictis annectitur.

282. *Arteria Hepatica. Nervi.* Hepar ab Arteria Coeliaca peculiarem Ramum, qui Hepaticus dicitur, accipit, qui, quoniam reſpectu magni Voluminis Hepatis admodum parvus exiſtit, potius ad nutritionem hujus Viſceris, quam quod ad ſecretionem Bilis contribuat, inſervire videtur. Plexus Hepaticus a Nervis Sympathicis magnis & Sympathicis mediis formatus, quamplurimos Hepatis Subſtantiae Nervos ſubminiſtrat. Arteriae hujus Ramuſculi atque Nervei Plexus itidem Capſulae Celluloſae cum iſtis Venae Portae & Poris Biliariis includuntur.

N O T A.

283. Arteriae hujus Pulſus iſtos qui Capſulae ſimilem motum attribuunt, Arterioſamque Venae Portae functionem exinde explicare credunt, decipit. Sanguis in hacce Vena contentus non ut embolorum ictibus propellatur, opus habet;

rapi-

rapiditas talis ſecretioni olei adeo ſubtilis, quale Bilis eſt, cujus ſecretio motum admodum lentum & fere inſenſibilem requirit, obſtitiſſet.

284. *Tunica. Textum Filatum.* Hepar exterius peculiari Membrana, quae eidem Tunicae loco eſt, inveſtitur. Peritonaei continuatio, quemadmodum ſuperius occaſione Ligamentorum & adhaeſionis in Diaphragmate innui, exiſtit. Subſtantia Hepatis Membranaceo adhuc ſive Filato Texto obſita eſt, quod Ramuſculos & extremitates omnium horum Vaſorum invicem alligat, quodque Capſulae Venae Portae & Membranae externae Hepatis productio admodum multiplicata eſſe videtur.

285. *Vaſa Lymphatica.* Externa hujus Tunicae ſuperficies admodum polita eſt. Interna ipſius ſuperficies inaequalis & ex quamplurimis Foliis membranaceis admodum ſubtilibus compoſita eſt, inter quae magnus Vaſorum Lymphaticorum numerus tam in concavitate quam in convexitate Hepatis diſtincte admodum detegitur. Ea quae Filatum Textum interiora verſus ſequuntur, non adeo facile reperiuntur.

286. *Grana Glanduloſa.* Superius, quod Hepatis maſſa ex infinito pulpoſorum & friabilium Granorum numero compoſita ſit, dixi. Quodlibet Granum per peculiarem Capſulae Gliſſonii expanſionem terminatur & quaſi involvitur, omnesque peculiares hae expanſiones per Septa communia, fere uti Apum alvearia, ſibi mutuo adhaerent.

287. Grana haec ubique in parte hujus Viſceris

ris interiore angularia atque polygona ſunt; aſt in latere ipſius ſuperficiei inſtar parvorum Umbonum parumper elevata exiſtunt. Pulpoſum eorundem Textum inſtar Holoſerici radiati, quod parvum admodum vacuum in medio cujuslibet Grani relinquit, apparet.

288. Quando Vena Portae, Vena Cava, Arteria Hepatica, aut Truncus Pororum Biliariorum, inprimis duae Venae tubo inflantur, ſtatim Hepatis Maſſa tumeſcere eodemque tempore vicina ſuperficiei Grana elevari, magisque ſenſibilia reddi videntur. Si fortius inflantur, Grana haec diſrumpuntur, atque ventus inter ea & communem ſive externam Hepatis Membranam erumpit, eandem ab eodem ſeparat, atque Veſicarum inſtar attollit.

289. *Ductus Cholidochus.* Poſtquam Ductus Hepaticus ſive Truncus Pororum Biliariorum parvum iter fecit, cum alio Ductu unitur, qui Cyſticus, id eſt Veſicarius, quoniam a Veſicula Fellea procedit, dicitur, de quo Ductu poſtea in Veſiculae hujus Deſcriptione ſermo erit. Ductuum horum duorum Concurſus Truncum communem, qui Ductus Cholidochus, id eſt, Ductus qui Bilem vehit, vocatur, format. Ductus hic Duodeni curvaturam petit, inter Tunicas Inteſtini repit, & in ipſius capacitatem, non per rotundam Mamillam, ſed per longiuſculam, ſuperius rotundam, & inferius inſtar roſtri urcei ſive dentiſcalpii e penna confecti arctatam aperturam aperitur.

290.

290. Aperturae hujus margines prominentes, lati & plicati ſunt, quemadmodum, quando hanc Duodeni portionem in aqua clara fluctuare ſinimus, videre eſt. In introitu ejusdem orificii minor alia apertura reperitur, quae non ad idem pertinet; orificium Ductus eſt, qui a Pancreate procedit, atque Ductus Pancreaticus ſalutatur, de quo in ſequentibus ſermo erit.

VESICULA FELLIS.

291. *Figura. Situs.* Veſicula Fellis ſpecies parvae Veſicae ſive marſupii inſtar pyri, id eſt, in una extremitate anguſta & in altera ampla eſt. Magna extremitas Fundus Veſiculae; extremitas anguſta Collum, atque quicquid inter haec intereſt, Corpus appellatur. Tertia circiter circumferentiae Corporis Veſiculae pars in cavae Hepatis partis depreſſione proportionata, a Sinu ſive Trunco Venae Portae, ubi Veſiculae Collum eſt, uſque ad Lobi majoris anteriorem marginem, pauxillum verſus latus dextrum, ubi fundus Veſiculae locatus eſt, nidulatur, & in quibusdam ſubjectis ultra huncce marginem procedit.

292. Veſicula Fellis itaque, quando ſtamus in Plano a poſteriori antrorſum parumper inclinato eſt. Quando Dorſo incumbimus, tota quanta fere inverſa eſt. Ipſius fundus, quando lateri dextro incumbimus, magis inferior exiſtit, & quando in latere ſiniſtro cubamus, oblique ſurſum ſpectat. Situs hi juxta diverſos harum poſitionum gradus adhuc differunt.

293. *Tunicae.* Veſicula Fellis e pluribus Tunicis componitur. Prima atque extima continuatio Membranae Hepar inveſtientis, & per conſequens iſtius Peritonaei continuatio eſt.

294. Secunda Tunica carnoſa eſt, & e duobus primariis Stratis, uno longitudinali & altero transverſali, cujus Fibrae eadem fere, qua iſtae Ventriculi, directione irregulari gaudent, compoſita eſt. Diſpoſitio haec inaequalis naturaliter a diametri horum Viſcerum inaequalitate earundemque curvatura dependet.

295. Nominatae Duae Tunicae invicem mediante Texto Celluloſo cohaerent, quod inter Veſiculae Corpus & Hepatis Subſtantiam, uſque ad ſtratum albicans continuatur, quod pro tertia Tunica Veſiculae habetur, quodque iſti, quae in Inteſtinis Nervea audit, reſpondet.

296. Tunica interna ſive Quarta interius magnum Reticulatarum replicationum quamplurimis parvis Lacunis Mamillarum perforatarum inſtar obſitarum numerum, praecipue verſus Veſiculae Collum praeſentat, ubi replicationes longitudinales evadunt, poſteaque parvi Pylori criſpati ſpeciem formant. Lacunae hae pro Glandulis peculiaribus venditantur.

297. *Ductus Hepati-Cyſtici.* Corpus Veſiculae, e latere quo Hepati innidulatur, eidem mediantibus quamplurimis Filis, quae multum in Hepatis Subſtantiam penetrant, annectitur. Inter haec Fila Ductus reperiuntur, qui inter Poros Biliarios atque Veſiculam communicationem

alunt. Diu non niſi in brutis apparuerunt; aſt revera tandem etiam in Homine detecti fuere. Verſus Veſiculae collum in majori quantitate quam alio in loco conſpiciuntur, atque Ductus Cyſt-Hepatici, ſive Ductus Hepati-Cyſtici vocantur.

298. *Collum. Ductus Cyſticus.* Parva Corporis Veſiculae extremitas arctatur, atque id, quod Collum ipſius vocatur, format, quod deinde modo peculiari incurvatur, & Canalem anguſtiorem, qui Canalis ſive Ductus Cyſticus dicitur, producit. Curvatura haecce fere caput Avis praeſentat, & Canalis Cyſticus, cujus diameter pedetentim imminuitur, ejus roſtrum quaſi conſtituit. Id quod in Hepate e ſitu ſuo dimoto non apparet. Imo imperfecte admodum quando adhuc in ſitu ſuo eſt cernitur, quando, quo Hepatis concavitas conſpiciatur, idem attollitur, & verſus Diaphragma nimis premitur; dum enim Hepar ſic invertimus, curvaturae huic vis infertur, & loco unius duae apparent.

299. Ut itaque bene informemur hujusque rei certiores reddamur, Hepar, quantum poſſibile parum, absque ut Duodenum deprimatur, elevandum eſt, atque noſmet ipſos inclinare, & absque ut quicquam turbemus, ab inferiori ſurſum aſpicere debemus. Curvatura haec ad nimis praecipitatam Bilis in Veſicula contentae effuſionem, quam certi motus ſive ſitus Corporis producere poſſent, impediendam inſervire poteſt.

300. Collum Veſiculae eadem fere cum reli-

quo

quo ſtructura gaudet. Interius itidem pluribus Reticulatis Rugis & quibusdam Replicationibus, quae inſtar fragmentorum ſpeciei Valvularum Conniventium, una alteri a Collo uſque ad Canalis Cyſtici arctationem admodum vicinarum apparent, inſtructum eſt. Prima harum Replicationum admodum elevata, magna & fere circularis eſt; ſequens obliqua magis & minor eſt, atque iſtae quae ſequuntur itidem imminuuntur. Cunctae conjunctim interius Scalae ſpiralis, exterius per Collum tranſparentis ſpeciem conſtituunt, & quibusdam in ſubjectis exterius Cochleae circuitum, inprimis quando Collum repletum aut inflatum eſt, conſpiciendum praebent. Obſervatio Dn. Heiſteri eſt.

301. Cunctae hae Replicationes Collo atque Canali diſciſſis admodum diſtincte oculis ſe ſiſtunt, inprimis quando in aqua clara, eo modo quem ſupra indicavi, examini ſubjiciuntur. Absque hocce auxilio conſpectae facillime fallunt, & occaſionem ſubminiſtrant, ut pro veris Valvulis, ob ſitum earundem plus minusve transverſum habeantur. Aliquo modo earundem officio fungi poſſunt, dum Bilem, ne praecipiti gradu in Duodenum influat, & ne materiae in Duodeno contentae in Ductum huncce intrent, impediunt.

302. Quando ſuperficies interna omnium horum Ductuum Biliariorum in genere, id eſt, Hepatici, Cyſtici & Cholidochi ſive communis, Microſcopii ope & in aqua clara, ſecundum methodum quam propoſui, examinatur, in toto

eorundem trajectu ejuſdem fere ſtructurae eſſe apparet.

303. Dum Canalis ſive Ductus Cyſticus & Canalis Hepaticus, occurſu ſuo & mediante ſua unione Canalem Cholidochum ſive Canalem Biliarium communem formant, non in naturali ſuo & ordinario ſitu Furcam inſtar Literae Graecorum majuſculae, ab ipſis Ypſilon, & a Gallis Υ Graecum dictae, diſtantem praeſentant. Poſt Colli Veſiculae curvaturam duo hi Canales ſive Ductus proxime ſe invicem comitantur; nec niſi, dum Hepar attollitur, quando eosdem contemplari volumus, Ductus Cyſticus a Ductu Hepatico diducitur. Eadem diſturbatio in Hepate e Corpore exemto & inverſo contingit; quoniam enim Hepatis volumen tunc complanatum eſt, duo hi Ductus a ſe invicem diſcedunt, cum e contrario, quoniam in ſitu ſuo admodum incurvatum eſt, duo Ductus ad ſe invicem accedant.

304. Ductus Cholidochus Ductus Cyſtici continuatio potius, quam ejusdem Ductus Cyſtici atque Ductus Hepatici Truncus communis eſſe videtur; Ductum Hepaticum enim aliquale in Ductus Cyſtici craſſitie iter facere, antequam in eundem aperiatur, fere uti cum Cholidocho reſpectu Duodeni accidit, inveni. Praeterea in Ductus Hepatici in Cyſtico Ductu oſtio Membranam parvam fluctuantem & inſtar Valvulae obſervavi, quae ne Bilis e Cholidocho Ductu in Ductum Hepaticum regurgitet, impedire poteſt.

305. Iſta Bilis quae per Ductum Hepaticum in

in Ductum Cholidochum manat, Hepatica, & illa quae in Veſicula colligitur, Bilis Cyſtica ſive Veſicaria appellari poteſt. Bilis Hepatica per Ductum Cholidochum continue in Duodenum fluit; cum Cyſtica ſive Veſicaria Bilis e contrario non niſi ex plenitudine aut compreſſione in idem exoneretur.

ANNOTATIONES IN VASA &c. HEPATIS.

306. Truncus Venae Portae Ventralis inter Lobulum atque portionem Lobo majori oppoſitam terminatur, ibique cum Trunco Venae Portae Hepaticae in Sinu Hepatis transverſo, inter extremitatem circiter dextram & medium hujus Sinus congreditur.

307. Ligamentum Umbilicale, & per conſequens Vena Umbilicalis Foetus, Trunco Venae Portae Hepaticae verſus extremitatem ſiniſtram Sinus transverſi obviam fit. Ductus Venoſus in Homine non ex toto e regione Venae Umbilicalis eſt; dextrorſum magis ibidem ſitus eſt. Relativa trium horum Vaſorum directio ibi ita ſe habet, ut duos Angulos oppoſitos, fere inſtar manubrii trochleae ſive veru invicem faciant.

308. In Foetu itaque Sanguis, quem Vena Umbilicalis advehit, non directe illum Venae Portae Hepaticae in Sinu permeat, quo iſti Canalis Venoſi ſeſe aſſociet; ſed antea a latere ſiniſtro dextrorſum deflectit, & per conſequens cum Sanguine Venae Portae miſcetur, antequam in

Ductum Venoſum transgreditur, qui in Truncum unius e craſſis Venae Cavae Hepaticis Venis prope Diaphragma aperitur.

309. Vena Portae Hepatica ordinarie quinque craſſos Ramos ad Hepar ablegat, tres ſcilicet ab ipſius extremitate dextra in majorem Lobum ſive Lobum dextrum, & duos ab ipſius extremitate ſiniſtra in minorem Lobum ſive Lobum ſiniſtrum. Parvum adhuc Ramum ab hoc intervallo directe verſus medium convexitatis Hepatis mittit.

310. Venae Hepaticae ordinarie tres magni Rami Trunci Venae Cavae inferioris ſunt, qui mox per oſtium quaſi commune, inprimis duae earundem ab illa proficiſcuntur, & ſtatim poſtea in maſſa Hepatis a ſe invicem diſcedunt, Ramos Venae Portae Hepaticae decuſſant, atque poſtmodum in omnes ſenſus, eo, quem ſupra expoſui, modo, ibidem in Ramuſculos dividuntur. Portio inferior oſtii harum Venarum in Trunco Venae ſpeciem Valvulae ſemilunaris format.

311. Infra Venas haſce Hepaticas Vena Cava inferior adhuc in trajectu ſuo per Hepar immediate e Trunco ſuo alias parvas Venas Hepaticas ſuppeditat, quae cum Arteriis Hepaticis, quemadmodum magnae cum Vena Portae, communicationem alere videntur.

312. Venae Cavae tranſitus per portionem dextram Inciſurae poſterioris Hepatis, & per conſequens in latere Lobi majoris contingit, qui in hoc loco tranſitui Venae proportionate excavatus eſt, atque diametro ſive circumferentia ſua tres quar-

quartas circiter partes, quandoque ultra, & quandoque totam convexitatem amplectitur.

313. Trajectus hic interſtitio Lobuli a reliquo Lobi majoris reſpondet. Directio hujus trajectus Venae Cavae in ſitu naturali a ſuperiori deorſum, & paululum a latere dextro ſiniſtrorſum fit; aſt in Hepate e corpore exemto & inverſo, ab initio admodum obliqua videtur; interim tamen ad Tyrones, eosque qui Hepar inverſum examinando facile errant, certiores in ſitu reddendos, quemadmodum jam ſuperius innui, inſervit.

314. Truncus Venae Portae majoris, Arteriae Hepaticae, Ductus Hepaticus ſive Truncus Pororum Biliariorum, atque Nervi Plexus Hepatici magnum invicem faſciculum formant, antequam in Maſſam Hepatis intrent. Truncus Venae Portae Hepaticae medium craſſitiei hujus faſciculi occupat; Arteriae Hepaticae in latere dextro & ſiniſtro hujus Trunci locantur; Nervi eundem undiquaque amplectuntur, & cum Plexu Meſenterico ſuperiore communicationem alunt.

315. Priores deinde harum Arteriarum horumque Nervorum Rami cum iſtis Ductus Hepatici, qui in ſpecie Pori Biliarii dicuntur, magnae Venae Truncum relinquunt, & habito reſpectu eodem modo Trunco parvae Venae Portae ſive Venae Portae Hepaticae, ipſiusque in Vagina Capſulari ſive Capſula Gliſſonii, de qua ſupra dixi, Ramuſculis ſeſe aſſociant.

316. Omnes hi Venae Portae, Arteriarum, Nervorum Pororumque Biliariorum Rami ubique

in Hepatis Maſſa ſuis Ramuſculis ſe invicem comitantur, & ubique parvos faſciculos, quemadmodum eorundem Trunci magnum, eo modo quem nunc expoſui, formant. Quilibet Venae Portae, Arteriae, Nervi & Pori Biliarii Ramulus Vagina propria gaudet, omnesque quatuor Vaginae communi, a Vaginis peculiaribus per Septa Celluloſa, quae non niſi reciproca Vaginae communis & Vaginarum peculiarium continuatio ſunt, diſtinctae includuntur.

317. Convexitas Vaginae Celluloſae communis circumcirca Subſtantiae Hepatis mediantibus quamplurimis Filis quae inde proficiſcuntur, quaeque Textum Celluloſum formant, quod inter Grana Glanduloſa ſeſe inſinuat, adhaeret. Concavitas Septa Celluloſa, de quibus modo dixi, producit.

318. In communi hacce Vagina Vaſa, Ductus & Nervi ita diſpoſiti ſunt, ut Venae Portae Ramulus ejusdem cavitatem praecipue occupet, ibique lateraliter locetur; Arterioſus Ramulus & Porus ſive Ductus Biliarius ad latus Venae invicem locantur; Nervus ibidem in plura Fila dividitur, quae inter utraque repunt, atque Arteriam inprimis & Porum Biliarium, Venam Portae vero parum, comitantur.

NOTA.

319. Uſus Hepatis in ſequentibus poſt Pancreatis, Lienis, & Epiploï, ceu Viſcerum cum Hepate affinitatem alentium, Hiſtoriam exponam.

PAN-

PANCREAS.

320. *Figura. Diviſio.* Pancreas corpus glandulosum, longum & planum, e ſpecie Glandularum quae Conglomeratae audiunt, infra Ventriculum inter Hepar & Lienem locatum eſt. Ipſius figura fere cum iſta Linguae Canis convenit. In duas Facies, unam ſuperiorem, & alteram inferiorem; in duos margines, unum anteriorem & alterum poſteriorem; in duas Extremitates, unam magnam, quae Linguae Baſin praeſentat, & alteram parvam inſtar apicis Linguae pauxillum rotundam dividitur.

321. *Situs.* Pancreas transverſim infra Ventriculum locatur, atque duplicationi portionis poſterioris Meſocoli includitur. Magna extremitas concavitati primae curvaturae Duodeni annectitur. Poſtmodum ante reliquum Duodeni ad ultimam ipſius curvaturam uſque procedit; ita ut magna hujus Inteſtini pars inter Pancreas atque Vertebras Dorſi reperiatur. Parva extremitas Epiploo prope Lienem annectitur.

322. *Structura. Ductus.* Pancreas e magno numero parvarum Maſſarum Glanduloſarum admodum molliuſcularum compoſitum eſt, quarum combinatio ita ſe habet, ut exterius non niſi unicam Maſſam praeſentent, cujus tota ſuperficies a quamplurimis parvis convexitatibus plus minusve complanatis ſimpliciter inaequalis redditur. Quando parvae hae Maſſae a ſe invicem parumper ſeparantur, ſtatim juxta longitudinem partis mediae latitudinis Pancreatis Ductus peculiaris re-

 peritur,

peritur, in quem plures parvi Ductus hinc & illinc fere inſtar parvorum Stirpis Ramulorum, lateraliter deſinunt.

323. Ductus hic, qui Ductus Pancreaticus ſive Ductus Virſungii, a nomine iſtius, qui primus eundem in Corpore Humano demonſtravit, vocatur, admodum tenuis, albus & tranſparens fere exiſtit. Trunci ſui extremitate in Ductus Cholidochi extremitatem ordinarie aperitur. Inde Trunci hujus diameter pedetentim imminuitur, & verſus Lienem in apicem deſinit. Parvi Rami collaterales itidem verſus Truncum proportionate parumper craſſi, & verſus Pancreatis margines admodum graciles ſunt, cunctique in eodem Plano, fere uti parvi Rami Plantae quae Filix dicitur, locantur.

324. Ductus Pancreaticus in Homine interdum duplex, unus ſupra alterum, reperitur. Non ſemper juxta longitudinem ſuam aequaliter extenditur; quandoque verſus utrumque latus ſerpentino paululum tractu, aſt in eodem plano excurrit. Propius inferiorem Pancreatis Faciem quam ſuperiorem Faciem eſt. Duodeni Tunicas tranſit, & in Canalem Cholidochum ordinarie parumper ſupra prominentem aperturae hujus Canalis apicem aperitur. Quandoque immediate in Duodenum hiat.

325. *Parvum Pancreas.* Ante plures annos in Homine magnam Pancreatis extremitatem eo in loco ubi curvaturae Duodeni annectitur, ſpeciem proceſſus inferiora verſus portioni ſequenti Inteſtini

ſtini agglutinati formare vidi. Cum eundem examinarem Ductum Pancreaticum peculiarem uti Ductum majorem in Ramuſculos diviſum inveni, qui verſus majoris extremitatem ferebatur, illum decuſſabat, & deinde Duodenum perforabat, atque in Ductus majoris extremitatem hiabat. Portionem hancce parvum Pancreas voco. Quandoque etiam ſeparatim in Duodenum aperitur, in quo etiam quandoque plura parva Foramina fere inſenſibilia circum Canalem Cholidochum reperiuntur, quae Foramina Pancreati reſpondent.

326. *Vaſa. Nervi.* Arteriae Pancreatis ab Arteria Pylorica, Arteria Duodenali & praecipue ab Arteria Splenica, quae Faciei inferiori Pancreatis juxta totam longitudinem hujus Faciei & verſus marginem poſteriorem agglutinata eſt, proveniunt. Plures eidem in hocce trajectu Ramulos, qui Arteriae Pancreaticae audiunt, praebet. Ramuli hi in utrumque latus plus minusve transverſim excurrunt. Quosdam quoque parvos Ramuſculos a magna Arteria Gaſtrica & ab Arteria Meſenterica ſuperiore accipit.

327. Venae Pancreaticae Ramuli Venae Splenicae, unius praecipuorum Venae Portae majoris ſive Venae Portae Ventralis Ramorum ſunt. Vena Splenica itidem juxta longitudinem Faciei inferioris Pancreatis prope marginem & Subſtantiae hujus Viſceris parumper immerſa excurrit. Venae hae Arteriis ejusdem nominis reſpondent. Aliis adhuc parvis Venis quae reliquis Arterioſis Ramuſculis ſimiles & magnae Venae Meſaraïcae productiones &c. ſunt, gaudet.

328. Nervi Pancreatis ex parte e Plexu Hepatico, ex parte e Plexu Splenico, & ex parte e Plexu Meſenterico ſuperiore oriuntur. A Ganglio quoque plano, ſive Implicatione plexiformi, inter duo Ganglia ſemilunaria de qua in Tractatu de Nervis (n. 413.) dixi, quamque (n. 140.) ſub nomine Funiculi Transverſi indicavi, accipit.

N O T A.

329. Ductus Pancreaticus in quibusdam ſubjectis nonſolum, uti dixi, duplex exiſtit, ſed parvi adhuc collaterales Rami per intervalla in Corpore Pancreatis plures communicationes inſtar Inſularum formant.

Uſus hujus Viſceris in ſequentibus explicabuntur.

L I E N.

330. Lien Maſſa livida eſt, quae ad colorem rubicundum accedit, ipſius figura ovalis pauxillum prolongata, ſeptem aut octo circiter transverſos digitos longa & quatuor aut quinque lata, parumper molliuſcula eſt; in Hypochondrio ſiniſtro inter craſſam Ventriculi extremitatem & Coſtas Spurias vicinas, infra marginem vicinum Diaphragmatis & ſupra Renem ſiniſtrum locatur.

331. Naturaliter in Facies, in Extremitates & in Margines, quemadmodum a longa jam annorum ſerie in Demonſtrationibus meis ordinariis feci, dividitur. Duabus Faciebus, una externa & leviter convexa, altera interna & inaequaliter concava; duabus Extremitatibus, una poſteriore medio-

mediocriter craſſa, altera anteriore, minus craſſa & pauxillum depreſſa; duobus Marginibus, uno ſuperiore, & altero inferiore, qui in plurimis ſubjectis in parvas inaequalitates deſinunt, gaudet.

332. Facies concava ſive interna per ſpeciem Stillicidii ſive Sciſſurae longitudinalis in duo plana ſive dimidias Facies, quarum una ſuperior, & altera inferior eſt, dividitur. Stillicidium hocce Vaſis & Nervis in Homine introitum concedit. Dimidia Facies ſuperior latior & inferiore magis cava, convexitati craſſae Ventriculi extremitatis proportionata eſt. Dimidia Facies inferior poſterius Reni ſiniſtro, & anterius Colo incumbit; imo quandoque duabus cavitatibus ſuperficialibus, quae Ventriculi convexitati iſtique Coli reſpondent, inſtructa eſſe videtur. Facies convexa Coſtas lateris ſiniſtri reſpicit.

333. Ventriculo mediantibus Vaſis, quae Vaſa Brevia appellantur, extremitati Pancreatis mediantibus Arteriae atque Splenicae Venae Ramuſculis, tandemque Epiploo per Ramuſculos Ramorum, quos eadem Arteria atque eadem Vena ad Lienem ablegant, quique in ipſius Sciſſura longitudinali quaſi nidulantur, annectitur.

334. Diaphragmatis margini per Ligamentum Membranaceum peculiare, plus minusve latum, quod in ipſius convexitate, modo verſus marginem ſuperiorem, modo verſus inferiorem reperitur, annectitur. Ligamentum hoc reſpectu totius Corporis Humani transverſum, & reſpectu voluminis

Lienis

Lienis longitudinale exiſtit. Quibusdam in ſubjectis alia Ligamenta peculiaria adſunt, quibus Ventriculo & Colo annectitur. Omnia haecce variant.

335. Lienis Figura non ſemper regularis eſt. Haec aeque uti Volumen quoque variat. Quandoque in circumferentia, & in Faciebus Sciſſuris notabilibus gaudet; quandoque Appendicibus inſtructus eſt. Quid quod ſpeciem parvorum Lienum peculiarium, plus minusve rotundorum, & Epiploo, in aliqua ab extremitate anteriore Lienis ordinarii diſtantia, ſeparatim annexorum inveni.

336. Lienis ſtructura in Homine admodum difficulter evolvitur, & ab illa quae in Animalium Lienibus reperitur, quique ordinarie Demonſtrationibus tam publicis quam privatis inſerviunt, valde differt.

337. Involucrum ipſius adeo ſtrictum eſt, ut difficulter admodum Tunica communis atque Tunica propria in Homine ibidem diſtingui poſſint; cum e contrario certis in animalibus, uti in Bove, Vervece &c. facillime oculis ſeſe ſiſtant, in quibus duae Tunicae mediante Subſtantia Celluloſa a ſe invicem ſeparatae reperiuntur. Involucrum hocce fere non, niſi mediante Epiploo atque Meſocolo Peritonaei continuatio eſſe videtur. Duae nihilominus Tunicae in Hominis Liene verſus Vaſorum per Sciſſuram longitudinalem introitum diſtingui poſſunt.

338. Subſtantia Lienis in Homine fere tota Vaſculoſa, id eſt, ex variis Vaſorum in Ramuſculos divi-

diviſorum ſpeciebus compoſita exiſtit. In Bove Textum Reticulatum ibi dominium obtinet; & in Vervece evidenter Celluloſa eſt. In Bove & Vervece Venarum Ramuſculi deſiderantur; ubique non niſi ſinus ſemiaperti & inſtar Ramulorum diſpoſiti cernuntur, parva Trunci Venoſi portione, qui in extremitate Lienis ubique perforatur, excepta.

339. In Liene Hominis uti in Animalium Lienibus Glanduloſa Grana conſpiciuntur. In tota ipſius extenſione innumeri Venoſi Ramuſculi reperiuntur. Ubique inter hos Ramuſculos univerſalis quaſi Sanguinis extra Vaſa elapſi & a ſpecie Texti lanuginoſi, transparentis & ſummae ſubtilitatis, quod per totum Lienis volumen expanſum invenitur, imbibiti ſive detenti effuſio cernitur.

340. Poſtquam lanuginoſum hoc Textum omnes Ramuſculos circumdedit, in Cellulis tandem fere inſenſibilibus, quae invicem communicant, finitur; ita ut, quando Lienis Involucrum Membranaceum parva apertura perforatur, ibique mediante tubo flatus immittitur, eodem momento totum hujus Viſceris volumen infletur.

341. Bovini & Vitulini Lienis ſuperficies manifeſte admodum magno Vaſorum Lymphaticorum numero, quae omni momento facillime demonſtrari poſſunt, repleta eſt; aſt in Homine hoc non ita facile fit, in quo multo labore deteguntur.

342. Arteria Splenica, quae una ex primariis Coeliacae Ramis eſt, juxta longitudinem Faciei infe-

inferioris Pancreatis, quemadmodum ſupra innuimus, excurrit, Lienemque ſerpentino curſu petit. Vena Splenica, cujus capacitas iſtam Arteriae multum ſuperat, parum in hocce trajectu inflectitur.

343. Poſtquam Arteria atque Vena extremitatem Pancreatis praeteriere, plures invicem Ramulos de ſe ſpargunt, qui mox in eodem plano a ſe invicem ſecedunt, poſtmodum in Membranacea portionis vicinae Epiploï duplicatione repunt, tandemque hinc & illinc ſeſe decuſſando in communi earundem plano ad Sciſſuram uſque Faciei internae ſive concavae Lienis excurrunt.

344. Hi Arteriae atque Venae Ramuli per eandem Sciſſuram in Corpus Lienis invicem penetrant. Celluloſum duplicationis Membranaceae Epiploï Textum eosdem ibi comitatur. Imo hoc in loco Lienis Tunicam a concavitate ſua Laminae Portionem, quae in Sciſſura incurvatur, atque itidem in Corpus Lienis penetrat, ablegare videtur.

345. Nervi Lienis in magno numero adſunt, & a Plexu Splenico, de quo in Tractatu Nervorum dictum fuit, veniunt. Nervi hi per intervalla circum omnes Subſtantiae Lienis internae Arterioſos Ramuſculos plura Fila inſtar Retis irregularis emittunt.

346. Poſtquam Arteriae, Venae atque Nervi in Lienem intrarunt, in eodem in magnum Ramuſculorum numerum dividuntur & ſubdividuntur, ibique ad ultimas uſque eorundem diviſionum extremitates ubique ſe invicem comitantur.

Speciei

Speciei Vaginae ſive Capſulae Celluloſae communis ibidem includuntur, quae tres Ramuſculorum ſpecies invicem circumdat, quaeque Septa adhuc peculiaria inter illas producit. Capſula haec a Texti Celluloſi Epiploï atque Laminae peculiaris Tunicae Lienis, de qua modo dixi, continuatione formari videtur.

347. Capillares omnium horum Vaſculoſorum, tam Arterioſorum quam Venoſorum Ramuſculorum extremitates ad parvas lanuginoſas Cellulas, quarum ſuperius mentionem feci, tendunt. Malpighius pro Capſulis peculiaribus ſive pro Folliculis, totidem parva Corpora Glanduloſa continentibus easdem habuit. Cunctae hae Cellulae communicationem inter ſe alunt, ita ut quocunque in loco Lienis Tunica perforetur, tota ejusdem Maſſa, quando flatus per foramen factum immittitur, integra infletur.

348. In Bove atque Vervece nulli Venoſi Ramuſculi reperiuntur. Poſtquam Vena Splenica in craſſam horum Lienum extremitatem intravit, mox viam unum ſive dimidium pollicem circiter aequantem emetitur; poſtea Venae ordinariae loco non niſi Canalis ubique perforatus reperitur. Initium hujus Canalis quodam adhuc Tunicarum Venae cujusdam reſiduo inſtruitur; forma vero Canalis integri pedetentim obliteratur, ita ut poſtmodum non niſi Sulci in Reticulato Lienis Bovini Texto cavati inveniantur. In Vervece Sulci hi Celluloſo Texto inſculpti ſunt.

349. Arteria Splenica, uti & Nervi, mediante

Vagina peculiari, fere uti in Homine, ibidem in Ramulos dividuntur. Capillarium ipſius Ramuſculorum extremitates in Cellulis fluctuare, atque lanuginoſum harum Cellularum Textum Sanguine replere videntur. In plurium extremitatum Arterioſarum apice parva grana fere inſtar eorum racemi Uvae diſpoſita obſervavi. E quolibet horum Granorum duos parvos Tubos, unum brevem atque apertum, alterum longum & graciliorem, qui in parietibus Lienis obliterabatur, procedere vidi.

350. Ego parvum Tubum longum, cujus extremitatem invenire non potui, Vaſis Lymphatici originem eſſe poſſe conjecturo; eo magis quoniam haecce Vaſorum ſpecies adeo viſibiliter & in tanto numero in Liene Bovino, quemadmodum ſupra indicavi, reperitur. Parva Grana in Liene Bovino cocto & evoluto, mediante encheireſi peculiari, de qua alio in loco dicam, facile itidem deteguntur & demonſtrantur. In Liene recenti multo craſſiora quam in Liene cocto exiſtunt, aſt minori firmitate in illo gaudent, &, quando vulnerantur, collabuntur. Similia Grana in Liene Humano, aſt valde parva reperiuntur, ita ut non niſi Microſcopii ope conſpici poſſint.

351. Uſus Lienis poſt Epiploï Deſcriptionem exponentur.

EPIPLOON, PARVUM EPIPLOON, APPENDICES EPIPLOICAE.

352. Epiploon magnus Saccus Membranaceus, admo-

admodum tenuis admodumque ſubtilis eſt, qui ubique plurimis Pinguibus ſive Adipoſis Faſciis, quae totidem Vaſculoſas Faſcias, id eſt, totidem Arterias & Venas ſibi invicem agglutinatas, comitantur imo involvunt, circumdatur.

353. Quoad maximam partem ſpeciei Marſupii complanati, ſive Marſupii venatorii vacui ſimile eſt. Supra Inteſtina Tenuia, a Ventriculo ad partem inferiorem Regionis Umbilicalis uſque plus minusve extenditur. Quandoque altius, imo ad inferiorem Hypogaſtrii partem uſque deſcendit, & quandoque Regionem Epigaſtricam non excedit. Ordinarie per intervalla, inprimis inter Faſcias, plicatum eſt.

354. In portionem ſuperiorem, inferiorem, dextram, ſiniſtram, anteriorem, poſteriorem dividitur. Portio ſuperior in duos quaſi margines ſeparatur, quorum unus juxta magnae curvaturae ſive convexitatis Arcus Coli longitudinem, alter juxta magnae curvaturae Ventriculi longitudinem annectitur. Commiſſura ſive unio horum duorum marginum in latere dextro Ligamento communi ſive Duodeni atque Coli adhaeſioni, locisque horum duorum Inteſtinorum vicinis annectitur. Iſta lateris ſiniſtri Sciſſurae longitudinali Lienis, extremitati Pancreatis, atque craſſae Ventriculi extremitatis convexitati annectitur. Membranaceo quoque Canalem Cholidochum ſuſtinenti, eumque cum Trunco Venae Portae Ventralis connectenti Ligamento adhaeret.

355. Infra haſce annexiones reliquae portiones

nes, anterior ſcilicet, poſterior, duae laterales atque inferior portio, quae fundum quaſi Marſupii Epiploïci conſtituit, ordinarie nullibi adhaerent, ſed inter parietem anteriorem Cavitatis Abdominis & Faſciculum Inteſtinorum libere fluctuant. Portio anterior atque poſterior communiter Laminae Epiploï appellantur; ſed quoniam hocce termino ordinarie, quando in genere compoſitae cujusdam Membranae duplicationem indicare volumus, utimur, convenientius Folia, Alae aut aliter vocari poſſunt.

356. Membrana Epiploïca in genere in tota ſua extenſione e duabus Laminis ſubtiliſſimis, & nihilominus mediante Texto Celluloſo invicem junctis, compoſita eſt. Textum hoc juxta longitudinem Vaſorum Sanguiferorum, quae ubique inſtar latarum, Ramisque & Ramuſculis horum Vaſorum proportionatarum Faſciarum comitatur, magno volumine gaudet. Celluloſae hae Faſciae plus minusve, juxta gradus corpulentiae Hominis, Pinguedine repletae ſunt. Id quod easdem Faſcias Pingues ſive Adipoſas appellare occaſionem ſubminiſtravit.

357. Praeter magnum huncce Saccum Membranaceum, quem Epiploon magnum voco, alius adhuc multo minor, a magno nonſolum volumine, ſed etiam figura, ſitu & connexione diverſus reperitur. Epiploon parvum eundem nominavi. Parvus hicce Saccus circumferentia ſui marginis partim parvae Ventriculi curvaturae, partim Hepatis concavitati ante Sinum Venae Portae

anne-

annectitur, ita ut portionem Lobuli prominentem circumdet, eidemque hoſpitium quaſi praebeat.

358. Epiploon parvum magno tenuius magisque tranſparens eſt. Ipſius capacitas a circumferentia Marginis ad fundum uſque per gradus imminuitur, hicque fundus quibusdam in Subjectis in plures parvas cavitates ſive foſſulas plus minusve acuminatas deſinit. Ipſius ſtructura iſti magni fere proportionate ſimilis eſt, quoniam itidem ex duabus Laminis componitur, atque etiam Faſciolis Celluloſis & Adipoſis, aſt notabiliter ſubtilioribus inſtructum eſt.

359. Ex iis, quae de duorum Epiploorum ſive Saccorum Epiploïcorum ſitu dixi, facile intelligitur, quod mediante intervallo ſive ſpatio, quod inter inferiorem Ventriculi Faciem, & ſuperiorem Meſocoli Faciem eſt, admodum late inter ſe communicent, ita ut, ſi unum eorum liquidum quoddam in capacitate ſua contineret, liquidum hoc facillime inter Ventriculum & Meſocolon repere, & in capacitatem alterius, Stomacho praecipue vacuo, & per conſequens facili negotio dimovendo, tranſire poſſet.

360. Duo itaque Epiploa mediante Ventriculi atque Meſocoli intervallo non niſi unicam communem capacitatem conſtituunt, quae unico orificio communi, prope Commiſſuram lateris dextri Epiploï magni ſito, in cavitatem Abdominis hiat. Orificium hoc ſemilunare ſive ſemi-circulare eſt, & a duorum Ligamentorum Membranaceorum unione formatur, quorum unum Duodeni initi-

um atque Veſiculae Fellis Collum Hepati, alterum vicinam Coli portionem ibidem annectit, & ad Pancreas uſque extenditur. Margo inſtar Anſae inde exurgit, qui Lobuli Radicem amplectitur, dum circum hancce Radicem ſatis latam aperturam, quae digiti apici tranſitum concedit, relinquit.

361. Ut orificium Epiploïcum conſpici poſſit, major Hepatis Lobus ſolummodo parumper elevandus, atque Lobuli Radix quaerenda eſt: illa inventa, craſſus Tubus proportionatus, pauco goſſypio, lana aut ſubtili ſtupa circumdatus, quo aëris egreſſus impediatur, ibi immittatur. Paulatim poſtea flatus ibi impellatur, & ventum magni Epiploï parietes elevare, idque inſtar magnae veſicae, in plures Lobos ſive Umbones ab Adipoſis Faſciis, quae tunc ceu totidem Frena inter hos Umbones conſpicientur, inaequaliter diviſae, apparere videbis.

362. Quo Experimentum hoc cum ſucceſſu inſtituatur, ut duo Epiploa in ſtatu ſuo naturali, nec corrupta ſint, ut eadem leviter contrectentur, utque Digiti, quibus, dum eadem contrectamus, uti volumus, pinguedine ſive oleo inungantur, neceſſe eſt. Experimentum hoc melius adhuc in ſubjectis junioribus & in iis quae macilenta, quam quae pinguia & annoſiora ſunt, ſuccedit.

363. Quando Membranae hae digitis ſiccis tanguntur, iisdem adeo adhaerent, ut difficulter admodum integrae ab iisdem ſeparentur; portiones

nes enim ita tactae atque ſeparatae infinitis parvis foraminibus inſtar ſpeciei Retis perforatae inveniuntur. Vano tunc opere per orificium naturale, de quo modo dixi, flatus immitteretur. Parva haecce accidentalia Foramina, ut Epiploïcas Membranas naturaliter reticulatas eſſe affirmatum fuerit, occaſionem praebuerunt.

364. Membranaceae parvi Epiploï Laminae partim cum Membrana externa Hepar inveſtiente, partim cum Tunica Ventriculi communi, & parumper cum vicina Membranae Diaphragma obducentis portione continuantur. Iſtae magni Epiploï ex parte cum eadem Ventriculi Tunica, & ex parte cum pari Coli Tunica, & per conſequens cum Meſocolo continuum conſtituunt. Cum Tunica adhuc Lienis communicationem alunt.

365. Quando uni Laminarum Epiploïcarum prope Ventriculum, Colon &c. parvum foramen infligimus, atque per Tubum proportionatum beneque adaptatum flatum immittimus, de continuationibus hiſce certiores fieri poſſumus; tunc enim infra Ventriculi Tunicam, atque infra illam Coli flatum manifeſte repere videbimus. Si partes hae pauxillum exiccatae reperiuntur, pauxillum, antequam experimentum inſtituatur, humectandae ſunt.

366. Adipoſae Coli atque Recti Appendices ſemper mihi ſpecies parvorum Epiploorum ſive ſupplementorum Epiploïcorum eſſe viſae ſunt. Per intervalla juxta longitudinem horum Inteſtinorum diſpoſitae, atque peculiares Tunicae eo-

rundem externae ſive communis proceſſus ſunt. Eadem qua magnum Epiploon ſtructura gaudent. Duplicatio earundem quoque Textum Celluloſum includit, quod juxta majorem minoremve corpulentiam magis minusve pinguedine repletur.

367. Quaelibet prope Inteſtinum latam tenuemque Baſin format, & in irregularem admodum Baſique craſſiorem Mamillam deſinit. Baſes hae mox ibidem longitudinaliter & in eadem quaſi linea, poſtea oblique, tandemque plus minusve transverſim, praecipue verſus Inteſtinum Rectum & ſuper hocce Inteſtino diſpoſitae ſunt.

368. Appendices hae in genere quoad maximam partem a ſe invicem ſeparatae ſunt. Quaedam earum quarum Baſes longitudinaliter diſpoſitae ſunt, mediantibus anguſtis admodum & valde parum prominentibus communicationis veſtigiis, quae ab una ad alteram uſque extenduntur, invicem communicant. Quando Membranae unius harum Appendicum parvum foramen infligitur, eidemque flatus immittitur, inſtar parvae inaequalis Veſicae tumeſcit, flatusque infra vicinam Coli aut Recti Tunicam penetrat.

369. Praeter Epiploïcas haſce Appendices juxta longitudinem Coli per intervalla, inter Faſciam Ligamentoſam abſconditam atque inter ambas reliquas Faſcias Ligamentoſas, id eſt, verſus duo latera annexus Meſocoli, plura Adipoſa Strata reperiuntur, quae itidem pro Supplementis Epiploïcis haberi poſſunt. Inter apparentes Coli Faſcias Ligamentoſas tales ordinarie non inveniuntur.

370. Ar-

370. Arteriae Venaeque magni Epiploï Arteriarum Venarumque Gaſtricarum Ramuli ſunt. In genere Gaſtro-Epiploïcae ideo vocantur; & in ſpecie quaedam Gaſtro-Epiploïcae dextrae, quaedam Gaſtro-Epiploïcae ſiniſtrae audiunt, Arteriae lateris dextri Arteriae Hepaticae, ſiniſtrae Arteriae Splenicae reſpondent. Utraeque cum Arteria Coronaria Stomachica, uti etiam habito reſpectu cum Arteriis Meſentericis commŭnicationem alunt. Venae Gaſtro-Epiploïcae utriusque lateris ſecundum eundem diſtributionis modum Venae Portae reſpondent.

371. Parvum Epiploon a Vaſis Coronariis Stomachicis Vaſa ſua praecipue mutuat. Iſta Appendicum Stratorumque Adipoſorum Retis Arterioſi Retisque Venoſi Inteſtinorum Coli atque Recti Ramuſculi ſunt.

INTESTINORUM, MESENTERII, VENARUM LACTEARUM, HEPATIS, PANCREATIS, LIENIS, EPIPLOI, &c. USUS.

372. Inteſtina in genere id, quod Ventriculus incepit, abſolvunt. Paſta ſive Pulpa alimentaria a Lympha Gaſtrica ſufficienter praeparata, Lymphae poſtmodum Inteſtinalis, Bilis atque Succi Pancreatici ope magis apta fit, ut Liquor iſte Lacteus, Chylus dictus, ex eadem produci poſſit, ut Liquor hicce fluidior reddatur, quo in Lacteas Venas per Poros Tunicae Villoſae Inteſtinorum Tenuium intrare poſſit, dum interim ſolidior Paſtae alimentariae portio iter ſuum conti-

 nuat,

nuat, atque quo magis verſus Inteſtina craſſa procedit, eo magis craſleſcit, in quibus inſtar ſpeciei magmatis, quod Materia faeculenta vocatur, accumulatur.

373. Tunica Inteſtinorum communis eorundem dilatationi limites ponit. Undantes, ſucceſſivae & periodicae Fibrarum carnoſarum, inprimis Orbicularium, Tunicae Muſculoſae contractiones Lympham Inteſtinalem exprimunt, cum Paſta alimentaria in Emulſionem redigunt, Emulſionem per Venarum Lactearum orificia percolant, illiusque magma eo modo, & per viam, quam nunc indicavi, propellunt.

374. Nervea ſive Texta Tunica Villoſae ſive internae Tunicae fulcimenti loco eſt. Obliqua Fibrarum ſuarum diſpoſitione periodicis Tunicae Muſculoſae motibus, absque ut Chyliferae Radices, quae Telae Inteſtinorum Tenuium Maculas tranſeunt, conſtringantur aut ſtrangulentur, cedit. Uſus Tunicae Villoſae ſive internae ex ſtructurae ipſius Expoſitione ſatis ſuperque eluceſcunt.

375. Inteſtinorum Tenuium longitudo Chyli Cribro magnum ſpatium concedit, hocque ſpatium inſuper per replicationum multitudinem, quae Valvulae Conniventes vocantur, multum augetur. Spatium magnum percolationem copioſam reddit, magnusque replicationum numerus impedit, ne alimentaria Paſta nimis cito promoveatur, & ut mediante ſufficiente mora omnis Succus Lacteus, praecipue in Inteſtinorum initio, ubi

ubi replicationes numeroſiores, atque latiores inveniuntur, quemadmodum etiam alimentaria Paſta ibidem fluidior quam in ſequentibus exiſtit, exugi queat.

376. Inteſtinorum Craſſorum capacitas ad faecem alimentorum excipiendam, & ad notabilem illius congeriem conſervandam, absque ullo per certum tempus ex illius mora incommodo, & absque illam ſaepius excernendi neceſſitate, id quod aliud adhuc incommodum eſſet, inſervit. Coli curvatura, ipſius Cellulae, inferiorum ipſius inflexionum arctatio huic morae favent; imo Caecum primarium ipſius Organum eſſe videtur, quoniam faex, quae in illo primum colligitur, poſtmodum retrograda via, quo ſe in Colon conferat, aſcendere debet.

377. Coli Valvula, quae potius Sphincteris ſive Pylori Ilei nomen meretur, ne ſolidiores materiae in Inteſtina Tenuia regurgitent, impedit. Materiae ſolidiores, inquam, illam enim penitus reſiſtere, aut liquidae materiae tranſitui, quae e Colo verſus Caecum propelleretur, ſemper in ſtatu etiam naturali obicem ponere evictum non eſt.

378. Glanduloſae Craſſorum Inteſtinorum Lacunae continue ſpeciem Mucilaginis ſuppeditant, quae Tunicam internam contra materiae faeculentae Acrimoniam nonſolum defendit, ſed etiam ad hancce materiam, prouti magis minusve firma exiſtit, lubricam reddendam inſervit.

379. Appendix Vermiformis in Adulto nimis parvus

parvus exiſtit, ut verum illius uſum hariolari poſſimus. Mucilaginoſa materia, qua ob magnum Tunicae ipſius internae Lacunarum Glanduloſarum cumulatarum numerum ejus cavitas repletur, quaeque ex parte non niſi ex abundantia inde effluit, Acrimoniam fortaſſis hoc modo contrahit, qua mediante Caecum irritat, & in eodem contractiones neceſſarias ſuſcitat, quibus depoſitum ſuum verſus Colon propellit.

380. Inteſtinum Rectum ultima faeculentarum materiarum apotheca eſt. Magna carnoſae ipſius Tunicae craſſities, magnusque Fibrarum longitudinalium craſſitiem hancce inprimis formantium numerus, ut illa a faecum congerie ad eum uſque gradum extendi poſſit, ut magnam Veſicam ſive Ventriculum praeſentet, efficiunt. Muſculi Elevatores Ani inferiori hujus Inteſtini portioni, inprimis quando materiis oneratum eſt, ſuſpenſorii loco inſerviunt. Congeries contractione partim Fibrarum carnoſarum eorundem horum Muſculorum expellitur, dum Sphincteres Ani, qui tertium totius Canalis Alimentarii Pylorum conſtituit, ſuperant.

381. Meſenterium & Meſocolon Inteſtina eo modo annectunt, ut eorundem gyri ſibi invicem nec implicari, nec ſe mutuo ſtrangulare, attamen repere, ſibique mutuo, juxta diverſos Hominis ſitus, atque ſecundum majorem minoremve ipſorum repletionem, cedere poſſint.

382. Annexio Meſenterii ex omnibus Inteſtinis Tenuibus eorundem gyrorum diſpoſitione faſci-

faſciculum craſſum irregulariter rotundum format, qui magnam capacitatis Abdominis partem ab Epigaſtrio uſque verſus inferiora occupat.

383. Meſocolon ſua in Colo inſertione Septum quaſi transverſum inter huncce Inteſtinorum Tenuium faſciculum, atque Viſcera in Epigaſtrio contenta conſtituit; Septum quod Hepar atque Ventriculum verſus Diaphragmatis fornicem elevata ſuſtinet, dum ipſum a faſciculo Inteſtinali ſuſtentatur. Situs hicce naturalis in Cadaveribus juxta methodum communem & improvide apertis ſaepiſſime turbatus deprehenditur.

384. Meſenterii & Meſocoli latitudo magnae Ramuſculorum Arteriarum, Venarum Nervorumque extenſioni, qui ibidem per quampluri-mos occurſus Anaſtomoſesque diſtribuuntur, ſpatium concedit, quibus mediantibus in notabilis cujusdam Ramuli compreſſione & obſtructione, portioni Inteſtinali huic Ramulo reſpondenti, a Ramulis vicinis damnum reſarcitur.

385. Duplicationis Meſenterii atque Meſocoli Celluloſum Textum nonſolum ad cunctos hos Ramuſculos molliter locandos, ſed etiam ad collectiones Adipoſas pro Bilis formatione, quemadmodum poſtmodum indicabo, neceſſarias, includendas inſervit. Illud Meſenterii peculiari uſu gaudet, qui eſt, ut Glandulas Lymphaticas Venasque Lacteas involvat. Imo ſimili Meſocoli Texto craſſius exiſtere apparet.

386. Quoniam Venae Lacteae mox circum Canalis Inteſtinalis circumferentiam a Reti admodum

multi-

multiplicato, fere uti Vaſculoſum ejusdem Canalis Rete formantur, atque deinde ubique in Meſenterii Duplicatione Ramuſculis Arterioſis occurrunt, easque plurimis in locis comitantur, Meſentericarum Arteriarum pulſum Chyli in Venis Lacteis ab Inteſtinis verſus Lumbare Receptaculum, progreſſum per diſpoſitionem earundem Valvularum continue promovere, intellectu facile eſt.

387. Hepar primarium formationis Bilis Organum eſt. Textum Villoſum immenſi iſtius numeri Cellularum Glanduloſarum e quibus componitur, a Sanguine Venae Portae continue totidem Bilis Guttulas ſeparat, quae poſtmodum Poris Biliariis ſeſe inſinuant, partim in Veſiculam Felſis deponuntur, & partim in Inteſtinum Duodenum immediate, quemadmodum in Canalium Biliariorum Expoſitione jam dixi, influunt.

388. Lien, Epiploon, Appendices Epiploïcae, Adipoſa Meſenterii Strata, iſta Inteſtinorum craſſorum, imo Pancreas, atque univerſus Glanduloſus Canalis Inteſtinalis comitatus ceu totidem Organa auxiliaria ſive potius praeparantia, aſt quodlibet modo diverſo, ad Bilis formationem contribuere videntur.

389. Videtur 1°. Quod Sanguis Venoſus ex cunctis Inteſtinalibus Glandulis atque Pancreate redux magna ſeri ſui parte orbatus ſit. 2°. Quod iſte qui a Liene revehitur, ob mechanicam curſus ſui retardationem, certam mutationem ſubierit, atque actione magni numeri Nervorum, quos Plexus Splenicus ad illum ablegat, peculiarem

rem evolutionem acquiſiverit. 3°. Quod iſte denique qui ab Epiploïs, Appendicibus, Stratis, aliisque Adipoſis Collectionibus revertitur, oleo turgeat.

390. Tres hae Sanguinis Venoſi ſpecies in Trunco Venae Portae Ventralis ſibi occurrunt, ibidem, dum in Sinum ſive Truncum transverſum Venae Portae Hepaticae effunduntur, invicem confunduntur. In hocce Sinu tanquam in ſpecie Lacus intime commiſcentur, ibique Maſſa Sanguinis uniformis fiunt, quae, quoniam non niſi a Sanguine ex altera Vena Portae ſuperveniente, & collaterali Ramuſculorum Arteriae Hepaticae pulſu in Venae Portae Hepaticae Ramos urgetur, admodum lente ibidem procedit. Bilis ſecretio ex parte ab hacce lentitudine & ab hiſce concuſſionibus, quemadmodum alibi indicabo, dependet.

391. Veſicaria Bilis iſta Ductus Hepatici magis evoluta, & ambae ſuo in Ductu communi ſive Cholidocho occurſu tertiam Bilis ſpeciem componere videntur, quae fortaſſis absque Cyſtica nimis mitis, & absque Hepatica nimis acris foret. Bilis haec in Duodeno cum Succo Pancreatico, & cum iſto Glandularum Inteſtinalium commiſcetur. Hacce ex commixtione Liquor in Paſta alimentaria e Ventriculo veniente materiae Chyloſae a ſolidiore & inutili materia ſeparationem efficiendi admodum aptus exurgit.

Renes, Ureteres.

392. *Situs generalis.* Renes ſunt duo Corpora Glan-

Glanduloſa parumper firma, quae in poſteriore cavitatis Abdominis parte, in utroque Vertebrarum Lumbarium latere, inter ultimam Coſtam Spuriam atque Oſſa Ilii locantur. Ren dexter infra majorem Hepatis Lobum, & per conſequens magis inferius quam Ren ſiniſter, qui infra Lienem exiſtit, ſitus eſt.

393. *Figura.* Figura eorundem magnam fabam fere repraeſentat; eorundem itaque circumferentia in uno latere convexa & in altero concava ſive depreſſa exiſtit. Concavitas Vertebras reſpicit; convexitas in oppoſito latere reperitur. Longitudo eorundem diſtantiae, quae inter ultimas Coſtas Spurias atque Oſſa Ilii eſt, reſpondet; latitudo eorundem dimidiam longitudinis, eorumque craſſities dimidiam latitudinis partem adaequat.

394. *Diviſio.* Quilibet Ren Facie anteriore & Facie poſteriore; extremitate ſuperiore & extremitate inferiore; magna curvatura & parva curvatura, ſive convexitate & concavitate gaudet.

395. Facies poſterior anteriorem Faciem latitudine ſuperat. Extremitas ſuperior inferiore quoque latior & pauxillum magis incurvata exiſtit. Depreſſio, quae in parva curvatura reperitur, oblonga & inaequalis, ac inſtar ſpeciei ſinus pluribus parvis Umbonibus circumdati ſe habet. Depreſſio haecce faciem anteriorem paululum anticipat, quae ſic poſteriore anguſtior exiſtit.

396. *Arteriae & Venae Renales.* Aorta Deſcendens & Vena Cava inferior inter duos Renes

locan-

locantur, atque una prope alteram Corporibus Vertebrarum, Arteria parumper verſus latus ſiniſtrum, & Vena verſus dextrum applicantur. Quodlibet horum duorum magnorum Vaſorum ordinarie Ramum primarium transverſim dextrorſum & ſiniſtrorſum ablegat, qui Renem petit, ſeſeque in ipſius ſinum per plures Ramulos, de quibus in ſequenti ſermo erit, inſinuat.

397. Veteres Vaſa haec Arterias Venasque Emulgentes vocarunt. Convenientius Arteriae & Venae Renales appellantur. Quandoque plures, inprimis Arteriae, adſunt; id quod modo in utroque latere, modo in uno tantum contingit.

398. Arteria & Vena non una eademque longitudine gaudent, id quod ab Aortae atque Venae Cavae ſitu dependet; Arteria Renalis ſiniſtra enim, ob Aortae cum Rene ſiniſtro proximitatem, brevior quam dextra eſt; & Vena Renalis lateris ſiniſtri iſtam lateris dextri, ob majorem inter Venam Cavam Renemque ſiniſtrum diſtantiam, longitudine ſuperat.

399. Vaſa haec eo inſuper modo diſpoſita ſunt, ut Venae anterius magis quam Arteriae ſitae ſint, quoniam Aorta proxime Spinam Dorſi locatur; cum e contrario Vena Cava, quae Diaphragma anterius magis perforat, ab initio a Vertebris remota exiſtat, atque ad easdem non, niſi quando Renales Venas ſuppeditavit, accedat.

400. *Nervi.* Quaelibet Arteriarum Renalium a Reti Nerveo, quod Plexus Renalis dicitur, circumdatur, qui Renibus quamplurima Fila largitur,

tur, quae partim ex utriusque Nervi Sympathici magni ſemilunaribus Gangliis, partim e Plexu Hepatico & e Plexu Splenico oriuntur. Quaedam quoque Fila circum Venas Renales ſpargit.

401. *Tunicae.* Renes Texto Membranaceo & Celluloſo admodum laxo involvuntur, quod Membrana Adipoſa vocatur, quoniam Texti hujus Cellulae in pinguibus hominibus pinguedine replentur. Per longum tempus & inconcinne pro Peritonaei Duplicatione habitum fuit, cujus vera Lamina Membranacea non niſi anteriorem Renum Faciem contegit, ita ut extra Peritonaei Saccum locentur, atque portio eosdem contegens minime pro Tunica integra venditari queat; nulla itaque alia Tunica communi niſi Texto Celluloſo gaudent. Hocce Textum ſupra Arterias quoque & ſupra Venas Renales extenditur, easque Vaginae Celluloſae inſtar involvit.

402. Tunica ſive propria Renum Membrana e duabus Laminis componitur, inter quas itidem Textum Celluloſum ſubtiliſſimum reperitur, quod, quando mediante Tubo flatus inter duas has Laminas immittitur, viſui ſiſti poteſt.

403. Lamina externa admodum ſubtilis eſt, Laminaeque internae mediante Texto Celluloſo fortiter adhaeret. Interna Lamina ubique mediantibus multis Proceſſibus in Renis Subſtantiam ſeſe immergit, ita ut absque dilaceratione inde ſeparari nequeat.

404. Externae Laminae ſuperficies laevis, polita & ſplendens eſt, totamque Renis convexitatem

tem ſive ſuperficiem admodum unitam atque aequalem in Adultis reddit. In Infantibus haecce convexitas in plures Umbones ſive Lobos, fere uti in Bove & Vitulo, diviſa quaſi eſt. Haec inaequalitas quandoque etiam in Homine conſpicitur.

405. Poſtquam Vaſa Sanguifera in Renem intrarunt, quaquaverſum ibidem in Ramuſculos dividuntur, hique Ramuſculi parvos adhuc Capillares Ramulos de ſe ſpargunt, qui ad ſuperficiem uſque diſperguntur, ubi inſtar parvarum ſtellarum irregularium apparent, atque Tunicam ſive Membranam Renis propriam irrigant. Duae hae Ramuſculorum diviſiones quandoque ad Membranam Adipoſam uſque penetrant, & cum iſtis Vaſorum, quae Arteriae & Venae Adipoſae audiunt, communicationem alunt.

406. Tunica ſive propria Renis Membrana circumcirca ad Sinum, uſque ad Vaſorum introitum ſeſe confert, ubi inſtar Vaginae ſive Capſulae omnes eorundem Ramuſculos in Corpore Renis comitatur, atque ex parte quoque ad Pelvim Calicesque ſive Infundibula, de quibus in ſequentibus ſermo erit, formanda contribuit.

407. Quandoque notabile quoddam Vas in medio aut in vicinia convexitatis Renis egredi aut intrare videmus; aſt hoc non ordinarie contingit, tuncque Depreſſio in hoc loco reperitur, in quam Tunica ſive Membrana propria ſeſe immergit, & cum portione Membranae, quae per Sinum intrat, communicationem alit.

408. Tunica Adipoſa ſive communis quae itidem

dem magna Vaſa uſque ad eorundem in Renem introitum circumdat, eadem ulterius comitari non videtur. In interſtitia Ramuſculorum in Sinum uſque ſe confert, ubi terminari videtur.

409. *Structura.* Tres Subſtantiarum ſpecies in Rene diſtingui poſſunt; una exterior, craſſa, granoſa & quaſi Corticalis; una media aut magis interna, & quaſi Medullaris, quae radiata eſt, quaeque Striata, Sulcata ſive Tubuloſa audit, quoniam ex parvis Tubis ſive Tubulis Radiorum inſtar compoſita eſſe videtur. Tertia quae non niſi ſecundae continuatio eſt, interius per Papillas terminatur, unde eandem Mamillanam vocavi.

410. Tres hae Subſtantiarum ſpecies in Rene juxta magnam ipſius curvaturam in duas dimidias partes aequales diſciſſo diſtincte conſpiciuntur. Mox ibidem Corticalis Subſtantia, quae totam ipſius circumferentiam occupat, notatur. Subſtantia haec ex ſpongioſis, granoſis, parumper undantibus & Radiorum inſtar arctiſſime ſibi invicem agglutinatis ellychniis quaſi componitur, quae non niſi Microſcopii ope oculis ſeſe ſiſtunt. Color eorundem ex cinereo albus, admodum clarus exiſtit.

411. Injectionibus Anatomicis admodum ſubtilibus, uti etiam inflammationibus infinita parva Vaſa Capillaria, inter haecce ellychnia, eadem per plures inflexiones amplectendo, diverſimode repentia atque ſerpentia deteguntur. Microſcopii quoque ope ibidem quamplurima parva Grana rubicunda plus minusve rotunda, inſtar racemorum

rum Ribium fere diſpoſita obſervantur. Parva haecce Grana non niſi Vaſorum plus minusve directo diſciſſorum, & aut Sanguine aut colorata injectione repletorum fines eſſe, quis ſuſpicari poſſet.

412. Duae reliquae Subſtantiae, Medullaris ſcilicet ſive Striata & Mamillana, revera non niſi unam eandemque coloris magis rubicundi maſſam conſtituunt, & cujus convexitas per intervalla inſtar Monticulorum ſive Umbonum pauxillum latorum ſe attollit, qui in totidem depreſſionibus ſive cavis quaſi nidulantur. Striae radiatae absque interruptione in Mamillana portione continuantur, atque Papillae totidem quaſi peculiaria horum Radiorum centra in latere Monticulorum oppoſito formant.

413. Subſtantia Medullaris ſive Radiata a Corticali adhuc per Arterioſos Venoſosque Arcus diſtinguitur, qui Ramulos atque Ramuſculos Capillares quaquaverſum ablegant. Color ipſius plus minusve rubicundus exiſtit.

414. Papillae quae non niſi Subſtantiae Medullaris continuatio ſunt, quemadmodum modo monui, ſaepius hacce Subſtantia parumper pallidiores ſunt. Decem aut duodecim numero, una ab altera ceu totidem Coni, quorum Baſis lata & apex admodum obtuſus exiſtit, admodum diſtinctae exiſtunt.

415. In cujuslibet Papillae apice, etiam absque Microſcopio, in parva depreſſione plura foramina ſive aperturae ſubtiles diſtinguuntur, per

quas, quando Papillae comprimuntur, guttulas exire videmus. Sunt Guttulae Urinae, quae partim in Corticali Subſtantia, & partim in Medullari ſive Tubuloſa Subſtantia percolatae poſtmodum foratos Papillarum Ductus tranſeunt, & per parvas haſce aperturas exeunt.

416. *Pelvis.* Quaelibet Papilla in Calicis ſive Membranacei Infundibuli ſpecie nidulatur. Margo ſive Infundibuli hujus Umbella in cavitatem communem, quae Pelvis vocatur, hiat, in quam omnes Papillarum Calices ſive Infundibula ſeparatim aperiuntur. Pelvis uti Calices, quorum continuatio eſt, Membranacea exiſtit. Non in Homine uniformem cavitatem, ſed in tres Fundos ſive Canaliculos communes, quorum quilibet plura Infundibula ſive Calices cum Papillis ibidem contentis amplectitur, diſtinctam conſtituit. Quandoque duo imo etiam tres Papillae in uno eodemque Infundibulo reperiuntur.

417. Infundibula haec eo in loco ubi baſin Papillarum amplectuntur, in Medullarem ſive Radiatam Renis Subſtantiam proceſſus ablegant, qui Vaſa Sanguifera ibidem comitantur, cunctisque Vaſculoſis, tam Arterioſis quam Venoſis Arcubus eorumque diverſis Ramuſculis, per Subſtantiam Corticalem uſque ad externam Renis ſuperficiem, Capſularum ſive Vaginarum loco ſunt.

418. *Ureteres.* Quodlibet Infundibulorum, poſt conicam ipſorum circum apicem Papillarum arctationem, parvum Tubum brevem inſtar ſpeciei Canaliculi format. Parvi hi Tubi per in-

tervalla

tervalla juxta longitudinem fundi Sinus Renis invicem uniuntur, hacque unione tres magnos Tubos formant, qui e Sinu a ſuperiori oblique deorſum egrediuntur, & in exitu ſtatim in unicum Truncum coëunt.

419. Truncus hic poſtmodum Canalis admodum longus, Ureter dictus, fit. Tres hi Tubi in Homine illius, quod in Brutis Pelvis vocatur, loco exiſtunt, & meliori jure Radices ſive Rami Ureteris, quam Pelvis appellarentur. In Homine nomen hoc Trunco, quoniam reliquo Ureteris amplior eſt, imponi poſſet. Duo non niſi ordinarie Ureteres adſunt, quorum unus a Rene dextro, & alter a Rene ſiniſtro procedit. Interdum plures reperiuntur.

420. Trunci atque Radicum ſive Ramorum cujuslibet Ureteris reſpectu Arteriae atque Venae Renalis ſitus, ſequentem in modum ſeſe habet: Arteria partem Sinus ſuperiorem occupat, & ex parte ante Venam locatur. Vena in medio circiter & inter duos reliquos Canales conſtituta eſt. Ureter inferius & ex parte retro Venam ſitus eſt, ubi etiam ab uno e Ramis Arteriae parum amplexatur.

421. Diſpoſitio haecce in latere Faciei anterioris Renis magis quam in Faciei poſterioris latere, ob latitudinem quae in hac major quam in illa exiſtit, apparet. Imo tres Ureteris Rami ſive Radices, quarum ſuperior longiſſima, atque inferior breviſſima, ob obliquam earundem a ſuperiori deorſum directionem, exiſtit, ibidem conſpiciuntur.

422. Ex hacce Expoſitione, nullam aliam in Rene Humano Pelvim communem atque uniformem, quam Truncum ſive Caput Ureteris atque tres magnos Ramos exiſtere eluceſcit. Quo diſpoſitionem eorundem melius concipere poſſimus, Ureterem in Renem per inferiorem Sinus oblongi partem intrare, dumque ibidem procedit, ampliorem fieri, imo antequam ibi intrat, in plures Ramos dividi nobis praeſentare debemus.

423. Ex hiſce Ramis unus directa quaſi Ureteris continuatio omniumque longiſſimus eſt. Ab inferiore Sinus extremitate uſque ad partem ſuperiorem extenditur, ſtatimque absque magna artificioſa ſeparatione detegitur. Reliqui Rami breviores ſunt, & absque hacce ſeparatione vix diſtincte conſpiciuntur. Anguli quos Rami hi mediantibus ſuis baſibus prope caput Ureteris inter ſe formant, non uti in aliis Ramuſculis in apicem, ſed in curvaturam parumper rotundam, atque ſaepiſſime pinguedine circumdatam deſinunt.

424. Primi Ureteris Rami in fundo quoque Sinus Renis minores alios & per Paria diſpoſitos Ramos producunt. Parvi hi collaterales Rami ampliores fiunt, & Infundibula ſive Calices formant, in quibus Papillae nidulantur, & quorum magna circumferentia, quemadmodum ſuperius dictum fuit, diverſas Arcuum Vaſculoſorum eorumque Ramuſculorum Vaginas in corpore Renis producit. Interna Tunicae Renis Lamina circum haſce Vaginas continuatur. Externa Lamina circum primos Ramos, circum Truncum, & circum totius Ureteris reliquum expanditur.

425.

425. Quando Ureteris Truncus in latere quod Vertebras reſpicit finditur, atque ſectio haec uſque ad Rami ſuperioris extremitatem continuatur, immediate ſupra Truncum duo Foramina unum ad latus alterius conſpicientur; parvorum collateralium Ramorum Orificia atque Infundibulorum Canaliculi exiſtunt. Parumper ſupra haec duo Foramina duo ſimilia reperies; & ſic porro uſque ad ejusdem Rami ſuperioris extremitatem, qui itidem per Infundibulorum Canaliculos terminatur. Eodem tempore in quolibet Canaliculo unum ad minimum Papillae apicem apparere videbis.

426. Sectio quae a parte Renis gibba incipit, & in Trunco Ureteris deſinit, Papillarum extenſionem, iſtam Infundibulorum, eorumque Canaliculorum, &c. bene detegit, aſt ante priorem ſectionem aut absque illa, Tyronibus hujus ſtructurae ideas claras ſuppeditare admodum difficile erit.

427. Ureteres poſtmodum oblique & absque magna inflexione a Renibus uſque ante laterales internae ſive anterioris Faciei Oſſis Sacri partes deſcendunt, & inter Inteſtinum Rectum atque Veſicam Urinariam repunt, in qua finiuntur, & in eam eo modo, quem poſtmodum exponam, hiant. Canales admodum elaſtici ſunt, qui in omnes ſenſus cedunt, atque paulo poſt, dummodo non per nimis longum tempus violentam extenſionem paſſi ſunt, ad naturalem eorundem extenſionem redeunt.

428. E tribus Tunicis propriis componuntur, quorum prima quae reliquas ambit, albicans eſt, Texto Filato admodum ſtricto, quod tamen facile extendi poteſt, atque inſtar Texti Celluloſi ordinarii degenerati apparet, gaudet. Tunica ſequens parumper rubicunda atque robuſtior exiſtit, & ex diverſis Fibrarum ſeſe decuſſantium, & difficulter admodum, an Muſculoſae aut ſimpliciter Membranaceae ſint, diſcernendis Stratis formatur.

429. Intima Ureterum Tunica Ligamentoſa quaſi eſt, peculiarique ſubtiliſſima Membrana, quae Vaſculoſum ejusdem ſubtilitatis Rete contegit, inveſtitur. Inſtar Holoſerici valde raſi leviter granoſa, & ubique Liquore Mucilaginoſo madida exiſtit. Mediantibus Rugis longitudinalibus, quas ſtatim quamplurimae parvae transverſae Rugae transgrediuntur, & quaſi interrumpunt, plicatur.

430. Praeter proprias haſce Tunicas Ureteres a Texto Peritonaei Celluloſo circumdantur, cujus Membranacea Lamina itidem duas tertias circiter ipſorum diametri partes, quandoque plus, quandoque minus cooperit, non vero eosdem circumdat. Id quod efficit, ut, quando in loco ſuo naturali examinantur, inſtar Funiculorum, retro Peritonaeum ſitorum & in Cavitate Abdominis, conjunctim cum portione Peritonaei, quae eosdem eo, quo nunc dixi, modo contegit, plus minusve prominentium appareant.

NOTA.

NOTA.

431. Omnes hae peculiares ſtructurae internae Ureterum, Pelvis, Arcuum, Striarum, imo Foſſularum & Foraminum, quae in apice Papillarum reperiuntur circumſtantiae, multo diſtinctius quando in aqua clara examinantur, quam quando absque hocce medio aſpiciuntur, apparent; quemadmodum jam alio loco innui.

GLANDULAE SUPRA-RENALES, CAPSULAE ATRABILIARIAE communiter dictae.

432. *Situs generalis. Nomina.* Immediate ſupra utrumque Renem Corpus Glanduloſum reperitur. Veteres duobus his Corporibus Capſularum Atrabiliariarum nomen, alii inſequentes Capſularum Renalium, plures Recentiorum Renum Succenturiatorum illudque Glandularum Renalium impoſuerunt. Mihi admodum apte illa Glandulas Supra-Renales appellari viſum fuit. Super ſuperiori cujuslibet Renis extremitate, pauxillum oblique, id eſt, magis verſus marginem internum atque Renis Sinum, quam verſus externum atque gibbum marginem locatae ſunt.

433. *Figura. Volumen.* Quaelibet harum Glandularum Corpus oblongum tribus Faciebus, tribus Marginibus & duobus Apicibus inſtructum, Lunae creſcenti inaequali, cujus convexitas ſive magna curvatura ſcindens quaſi, & concavitas ſive parva curvatura lata eſſet, ſimile exiſtit.

Longi-

Longitudo ipſius duas circiter tertias partes maximae Renis latitudinis, atque latitudo ipſius portionis mediae tertiam circiter ipſius inter duas extremitates extenſionis partem, quandoque plus, quandoque minus adaequat. Color ipſius obſcure ſubflavus eſt.

434. Una trium Facierum anterior, altera poſterior, & tertia, cui Baſis nomen impoſui, inferior eſt. Inde prono alveo fluit, quod e tribus marginibus unus ſuperior, & duo inferiores ſint, quorum unus anterior & alter poſterior exiſtit. Superiori Criſtae, inferioribus Labiorum nomen dari poteſt. E duabus tandem ipſius extremitatibus una interna eſt, ſive introrſum verſus Renis Sinum vertitur, & altera externa eſt, ſive extrorſum verſus gibbam partem ſpectat. Corporis hujus Glanduloſi figura cum iſta Criſtae omnino ſimplicis Galli, ſive cum iſta ſummitatis galeae comparari adhuc poteſt.

435. *Structura.* Superficies in genere inaequalis eſt. Facies anterior latiſſima, poſterior minus lata, & inferior ſive iſta Baſis anguſtiſſima eſt. Juxta longitudinem partis mediae Faciei latae ſive anterioris Sulcus reperitur, qui a margine Extremitatis internae parumper ſupra Baſin ad alterius uſque Extremitatis apicem excurrit, atque hancce Faciem in duas dimidias Facies dividit, fere uti folii arboris nervus latitudinem ipſius diſtinguit. Juxta longitudinem Faciei inferioris, infra Baſin, ſpecies Raphe ſive Suturae reperitur.

436. Sanguifera Capſularum ſive Glandularum

rum Vaſa ab Arteriis & Venis Emulgentibus ſive Renalibus, ab Arteriis Veniſque Diaphragmaticis, ab Aorta ipſa & a Vena Cava, ab Arteria Coeliaca, &c. veniunt. Vaſa haec in genere Arteriae & Venae Capſulares vocantur. Dum ſeſe in haſce Glandulas inſinuant, Vagina involuta eſſe videntur. Non ſemper ex iiſdem fontibus ſcaturiunt, neque in eodem numero in quolibet Subjecto reperiuntur. Ordinarie Vena admodum ampla juxta longitudinem Sulci nidulatur. Nervos in utroque latere Ganglion Semilunare vicinum, atque Plexus Renalis, qui ab eodem dependet, ſubminiſtrant.

437. Internum Capſularum foveae triangularis admodum anguſtae ſpecies eſt, cujus ſuperficies inſtar Holoſerici brevis & firmi, coloris ſubflavi eſt, qui in ſubjectis juvenilibus ad rubicundum accedit, & in aetate adulta admodum obſcurus, ex flavo quaſi fuſcus ſive ex flavo niger apparet. Parietes hujus cavitatis mediante magno Filorum numero invicem adhaerent; toti Glanduloſi, totique parvis Follicoſis ſubtiliſſimis Granis obſiti eſſe videntur. Superius juxta longitudinem verticis immediate ſeſe contingunt.

438. Quando cavitas haecce aperitur, Subſtantia granoſa & follicoſa quaſi ibidem reperitur, quae totam fere triangularem Cavitatem replet. Vaſa Sanguifera ibidem, uti etiam in parietibus Cavitatis diſtribuuntur. Quando in craſſa Capſulae extremitate apertura inſtituitur, atque ſectio per verticem ſive ſuperiorem marginem continuatur,

nuatur, poſtmodumque parietes ſive laterales portiones a ſe invicem removentur, Corpus Glanduloſum ibidem fere inſtar ſpeciei Criſtae, quae e medio longitudinis fundi Cavitatis exurgit, repraeſentatur.

439. Corpus hoc ſive Nucleus Glanduloſus Capſulae Renalis fundo, id eſt, Baſi Cavitatis magis quam parietibus, inprimis verſus craſſam Extremitatem adhaeret. Nihilominus a Baſi diſtinguitur, a qua, uti etiam a parietibus, quibus mediantibus quamplurimis parvis Filis arcte annectitur, ſeparari poteſt. Baſi verſus parvam Extremitatem minus adhaeret.

440. Vena Capſularis, quae ordinarie Venae Renalis ſoboles eſt, reſpectu Arteriarum, quae hoc in loco admodum tenues exiſtunt, valde craſſa eſt. Cum interiori Capſulae, fere uti Vena Splenica cum Cellulis Lienis communicationem alit; quando enim quemcunque Cavitatis Capſularis locum inflamus, Vena quoque Capſularis, & per conſequens Vena Renalis, &c. intumeſcit.

441. Cavitas unguinoſum & plus minusve glutinoſum, coloris e flavo rubicundi, e flavo purpurei, e flavo obſcuri, e flavo nigri Succum, ſecundum diverſos aetatis gradus continet. Succus hicce quandoque plane nigricans, imo etiam niger invenitur; interim quando magnae ſuperficiei illinitur, ſimpliciter flavus apparebit. Nonſolum admodum rubicundum, ſed & cum vero Sanguine commiſtum eundem inveni.

442.

442. *Uſus.* Uſus harum Capſularum, uti & iſti Succi, quem includunt, quique revera ſemper Bilis notam fert, nondum demonſtrati ſunt. In Foetu maximopere craſſae exiſtunt, earumque volumen ſucceſſu aetatis decreſcit. Duo haec Phaenomena attentione digna ſunt.

NOTA.

443. Capſulae ſive Glandulae Renales quandoque directe ſuper ſummitate Renis locatae reperiuntur. Easdem nunquam in gibba parte inveni. Iſta lateris dextri ex parte Diaphragmati, infra & proxime Lobi Hepatis majoris adhaeſionem in Diaphragmate annectitur. Iſta lateris ſiniſtri Diaphragmati immediate infra Lienem adhaeret. Haecce Capſularum cum Diaphragmate connexio vicinis ipſius Muſculi inferioris portionibus limitatur. Cum Renibus in Celluloſo Membranae Adipoſae Texto includuntur, cujus valde tenuis quaedam portio inter illas atque Renes, uti etiam inter illas atque Diaphragma ſe inſinuat; ita ut earundem in his locis adhaeſio non niſi mediante eodem Texto contingat. Unde adhaeſiones hae in plurimis Subjectis a Strato pinguedinis formatae reperiuntur.

444. Sulcus Venoſus, cujus ſuperius mentionem feci, quibusdam in Subjectis Faciei anteriori adeo alte immiſſus eſt, ut ſuperior hujus Faciei portio ab inferiore quaſi ſeparata ſit. Hoc, quando Capſula in aqua clara examini ſubjicitur, diſtinctius apparet.

445.

445. Quando Capſularis Vena juxta longitudinem ſuam apice lanceolae aperitur, multa parva foramina ibidem reperiuntur, quorum plurima orificia Ramulorum Venae ſunt, & quaedam ceu ſimplicia foramina apparent. Per foramina haec fortaſſis ventus in Venam inflatus, quemadmodum ſupra dixi, tranſit.

446. In externa Capſularum harum ſuperficie peculiaris valde tenuis, a Texto Celluloſo, quod easdem circumdat, non dependens Tunica reperitur. Tunica haec quandoque a Strato pingui valde inaequali, quodque eandem granoſam reddit, hiſque Capſulis quandoque colorem admodum pallidum, & inſtar ſpeciei Corporis pinguis conciliat, elevata reperitur.

447. Liquor earundem cavitatis quandoque in Foetu, uti etiam in Infantibus coloris ſubcaerulei ad rubrum vergentis eſſe videtur.

448. Quo uſus harum Capſularum cognoſci poſſit, praeter duas circumſtantias ſive peculiares res ſupra indicatas ad externam earundem conformationem, in Foetu & in Infantibus ordinarie magis regularem quam in Adultis atque aetate provectis attendi debet. Propter conſiſtentiam earundem maſſae, quae ante nativitatem atque durante tenera aetate, habita ratione, firmior quam in aetate adulta & in ſenectute eſſe videtur, attentio adhuc adhibenda eſt. Imo tunc quandoque admodum molliuſculae & marcidae quaſi reperiuntur; quod tamen minime mirum eſt, dum enim ex earundem Celluloſis

loſis atque Adipoſis Involucris eximuntur, haec ex parte in poſterioribus magis quam in prioribus reſiſtunt. Id quod fortaſſis occaſionem ſubminiſtravit, ut tot irregulares earundem, & ab iis, quas ſpatio viginti fere annorum demonſtravi, quam maxime diverſae figurae traditae fuerint.

VESICA.

449. *Situs. Figura.* Veſica Perae ſive Lagenae Membranaceae & carnoſae ſpecies eſt, quae dilatari & conſtringi poteſt, in parte Abdominis inferiore immediate retro Symphyſin Oſſium Pubis e regione initii Inteſtini Recti ſita. Figura ipſius ad ovalem abbreviatam fere accedit, quae anterius & poſterius latior quam in utroque latere exiſtit; ſuperius rotundior quam inferius, quando vacua, eſt, atque inferius latior quam ſuperius, quando repleta, exiſtit.

450. *Diviſio.* In Corpus, in Collum, in Fundum, in partem anteriorem, in partem poſteriorem, & in partes laterales dividitur. Pars ſuperior Fundus, & portionis ipſius partis inferioris inſtar Canaliculi formata arctatio Collum vocatur.

451. *Structura. Tunicae.* E pluribus Tunicis, fere uti Ventriculus componitur. Tunica externa ſive communis non niſi ex parte, ſuperius ſcilicet, poſterius & pauxillum in Veſicae lateribus, vera Peritonaei Lamina ſive Membrana eſt; reliquum a Texto Celluloſo, quo mediante por-

tio Peritonaei Membranacea Tunicae carnoſae annectitur, penitus involvitur.

452. Tunicae propriae tres numero ſunt, una carnoſa ſive Muſculoſa, una Nervea dicta, & una interna, quae Villoſa vocatur. Tunica Muſculoſa e pluribus ſtratis Fibrarum carnoſarum, quarum externae quoad maximam partem longitudinales, ſequentes in utrumque latus inclinatae magis, internae magis magisque obliquae, & tandem fere transverſae ſunt, componitur. Omnes hae Fibrae diverſimode decuſſantur, & per ſubtiliſſimum Textum Celluloſum, quo mediante a ſe invicem, dum flatus eidem immittitur, artificioſe ſeparari poſſunt, ſibi mutuo adhaerent.

453. Tunica Nervea, ita dicta, ſtructura iſti Tunicae Nerveae Ventriculi fere ſimili gaudet.

454. Tunica interna leviter granoſa & Glanduloſa quaſi eſt, ex qua continue Mucilaginoſa Lympha exudat, quae totam internam ſuperficiem oblinit, & ad eandem contra Urinae acrimoniam defendendam inſervit. Interdum ob parvas eminentias atque rugas irregulares quando vacua, & in ſtatu contractionis naturali eſt, interius tota inaequalis apparet. Inaequalitates hae nec in Veſica repleta, nec in iſtis facile reperiuntur, quae poſtquam flatu aut injectione quadam diſtentae fuerunt, aperiuntur.

455. In apice Veſicae, ſupra Symphyſin Oſſium Pubis Funiculus Ligamentoſus conſpicitur, qui inde inter Peritonaeum & Lineam Albam ad Umbilicum uſque aſcendit, qui ea proportione, qua ſupe-

ſuperiora petit, craſſitie decreſcit. Funiculus hic peculiari ſuo uſu in Foetu, quemadmodum alio loco indicabo, gaudebat. Dicere hic ſufficiat, quod ex parte originitus internarum Veſicae Tunicarum productio ſit, quae productio Urachus appellatur.

456. Funiculus hic e duobus adhuc aliis Ligamentoſis Proceſſibus, qui Arteriarum Umbilicalium extremitates ſunt, componitur. Arteriae hae quae ab Hypogaſtricis Arteriis veniunt, & ad latus Veſicae aſcendunt, in Adulto cavae & ad dimidium uſque Veſicae altitudinis Sanguine repletae ſunt, imo ad hunc uſque locum Ramuſculos de ſe ſpargere continuant. Poſtea cavitatem ſuam amittunt, quo magis aſcendunt, eo magis Ligamentoſae evadunt, in Veſicae ſummo ad ſe mutuo accedunt, & conjunctim cum Uracho Funiculum formant, qui Ligamentum Veſicae ſuperius appellari poteſt.

457. Externae Tunicae carnoſae Fibrae internas numero ſuperant. Externarum anteriorum quam maxime longitudinales verſus verticem Veſicae circum Urachum dimidium circuitum, fere inſtar illius unius ex duabus Faſciis carnoſis, quae ſuperius Ventriculi Orificium & inferiorem Oeſophagi extremitatem circumdant, formant. Dimidius hicce circuitus retro Urachum excurrit.

458. Portio Peritonaei, quae poſteriorem Veſicae convexitatem contegit, transverſam ibidem plicam admodum prominentem, quando Veſica in ſtatu contractionis conſtituta eſt, format,

quaeque quo magis repletur, eo magis obliteratur. Plica haecce dimidiam poſteriorem Veſicae partem circumdat, atque poſtmodum in utroque latere mediantibus duabus ſuis extremitatibus, quae inſtar Ligamentorum lateralium Corporis Veſicae ſe habent, & in Infantibus magis quam in Adultis apparent, Proceſſum format.

459. Inferior Veſicae pars, quae meliori jure quam pars ſuperior Fundi nomen meretur, tribus aperturis, una anteriore, & duabus poſterioribus, perforatur. Anterior ab omnium Tunicarum propriarum Proceſſu in modum Canaliculi, eandem fere quam internum roſtri capitelli Alembici orificium directionem habentis formatur. Proceſſus hic Collum Veſicae vocatur, cujus Deſcriptionem iſti Organorum Viris propriorum ſubjungam.

460. Ureteres duas reliquas veri fundi Veſicae aperturas ſuis extremitatibus formant. Duo hi Canales eo, quem ſupra expoſui, modo deſcendentes, retro Vaſa Spermatica, & poſtmodum, unus prope alterum retro inferiorem Veſicae partem repunt. Quilibet Ureter inter Arteriam Umbilicalem ejusdem lateris atque Vas Deferens vicinum reperitur. Arteria latus Ureteris externum, atque Vas Deferens latus internum tenet.

461. Poſt totum huncce trajectum Ureteres inter Vaſa Deferentia atque Veſicam, Vaſa haec decuſſando repunt. Tandem transverſum circiter digitum a ſe invicem diſtantes Veſicae Tunicas perforant. Mox quoddam inter Tunicam Muſcu-

Muſculoſam atque Nerveam Tunicam iter faciunt, atque in Veſicam oblique, ſibique paulo magis propinquati hiant.

462. Ureterum in Veſica aperturae pauxillum ovales anguſtioresque ſunt, quam extremitates Ureterum immediate ante aperturas exiſtunt. Aperturarum harum margo admodum tenuis eſt, & non niſi Membranacea ab internae Tunicae Veſicae cum interna Ureterum Tunica occurſu formata duplicatio eſſe videtur.

463. *Arteriae. Venae.* Arteriae in genere ab Arteriis Hypogaſtricis ſive Iliacis internis ſuppeditantur; in utroque latere in ſpecie Arteriae Iſchiadicae, Arteriae Epigaſtricae, imo etiam Arteriae Umbilicalis Ramuli ſunt. Venae ab iſtis, quae iisdem, quibus hae Arteriae, nominibus inſigniuntur, procedunt.

464. *Nervi.* Nervi Veſicae e Nervis Cruralibus, imo etiam e Nervis Sympathicis magnis mediante Nervorum horum cum Cruralibus Nervis communicatione oriuntur. A Plexu Meſenterico inferiore quoque Nervos accipit.

N O T A.

465. Praeter Ligamenta de quibus ſupra dictum eſt, duo adhuc parva reperiuntur, quae anteriorem veri fundi Veſicae partem Oſſibus Pubis annectunt, & quorum occaſione Colli atque Sphincteris poſt Partium Naturalium utriusque Sexus Deſcriptionem mentionem injiciam. Videantur inferius (n. 659.) & ſequentes hujus

Tractatus. Ea quoque quae partium Veſicae cum vicinis partibus connexionem reſpiciunt, ad eandem occaſionem differo.

PARTES NATURALES SEXUS MASCULINI.

466. *Situs generalis. Diviſio.* Plures diverſae partes ſunt, quarum quaedam penitus in Abdomine incluſae, & quaedam extra idem ſitae ſunt. Secundum huncce ſitum, in partes externas & in partes internas admodum naturaliter dividi poſſent, alterarumque plenaria expoſitio alteri praemitti poſſet.

467. Aſt quoniam earundem oeconomia ita diſpoſita eſt, ut mox a quibusdam internarum incipiat, per quasdam externarum continuetur, ad reliquas internas revertatur, & reliquo externarum finiatur, in Partium harum Expoſitione methodum eandem, qua in Lectionibus meis publicis uſus ſum, ſequar.

468. Prima harum quatuor Claſſium Arterias Venasque Spermaticas; ſecunda Teſticulos, Epididymides atque Scrotum; tertia Vaſa Deferentia, Veſiculas Seminales atque Proſtatas; quarta Corpora Cavernoſa, Urethram, Involucra, &c. continet.

469. E quibusdam harum partium quintam quondam Claſſem, easdem tanquam tales, quae reliquas comitabantur conſiderando, conſtitueram; aſt omnes in quatuor Claſſes includere aptius duxi.

470.

470. *Arteriae Spermaticae.* Communiſſime ex anteriore Aortae inferioris parte, una prope alteram in diſtantia unius circiter pollicis magis inferius quam Renales ſive Emulgentes Arteriae egrediuntur. Origo earundem ſaepiſſime variat; ex Arteria Renali quasdam procedere vidi; quandoque ſuperius magis aut inferius magis, aut magis lateraliter, quam locus earundem ordinarius oriuntur; quandoque e pluribus locis pullulant.

471. In parte poſteriore cavitatis Abdominis & in Celluloſo Peritonaei Texto oblique deſcendunt, ſenſim ſenſimque a poſteriori antrorſum, ab Aorta magis magisque recedendo ſe conferunt, ante Ureteres, quas decuſſant, excurrunt, atque portionis Celluloſae Peritonaei Proceſſus ſive Productiones per Aperturas ſive Annulos Muſculorum Abdominis attingunt.

472. In origine ſua admodum tenues ſunt. In deſcenſu ſuo Membranae Adipoſae, Peritonaeo, uti etiam Meſenterio, ubi cum Arteriis Meſentericis communicationem alere videntur, Ramuſculos laterales admodum notabiles praebent.

473. In deſcenſu ſuo Areolas quandoque ſive Maculas Venarum Spermaticarum tranſeunt; & antequam ex Abdomine egrediuntur, in ſubtiliſſimos adhuc Ramulos dividuntur, qui inter ſe fere paralleli, plus minusve ſinuoſi ſunt, eandemque viam ſequuntur.

474. Poſtmodum in Peritonaei Proceſſus, qui iisdem Vaginarum loco ſunt, ſeſe inſinuant. Non indifferenter hinc & illinc in hiſce Vaginis agitantur,

tur, quoniam juxta totam earundem internae ſuperficiei longitudinem mediantibus Foliis Membranaceis admodum tenuibus, quae etiam Celluloſi Peritonaei Texti continuatio ſunt, annectuntur.

475. Dum ante Vas Deferens, quod itidem hiſce Vaginis incluſum eſt, excurrunt, maeandros formant; tandemque in Ramuſculos diviſae ſupra Teſticulum & Epididymidem ſe conferunt, quemadmodum in ſequentibus videbimus.

476. *Venae Spermaticae.* Arterias comitantur, eandemque fere viam ſequuntur. Vena Spermatica lateris dextri e Trunco Venae Cavae ordinarie, fere uti Arteria ex Aorta oritur. Ipſam quoque ſuam ex Venae Renalis dextrae cum Vena Cava unione originem ducere, atque etiam tres Venas Spermaticas in dextro latere e Trunco Venae Cavae ſeparatim pullulare vidi. Vena Spermatica ſiniſtra ſaepiſſime Venae Renalis ſiniſtrae ſoboles eſt.

477. In deſcenſu Arteriis ſtatim ſeſe aſſociant, & cum illis in Celluloſis Peritonaei Proceſſibus ſive Productionibus, quibus eodem modo uti Arteriae annectuntur, excurrunt. Ab earundem ortu uſque ad earundem per Aperturas ſive Annulos Muſculorum Abdominis tranſitum plures Ramos, uti Arteriae, ad Adipoſam Renum Membranam, ad Peritonaeum & ad Meſenterium ablegant, ubi quoque cum Venis Meſaraïcis, & per conſequens cum Vena Portae communicationem alere videntur.

478. In pauca diſtantia poſtquam Ureteres decuſſa-

cuſſarunt, Ramum notabilem producunt, qui poſtmodum in duos Ramulos dividitur, quorum unus cum Vena Capſulari ſive Supra-Renali, & alter ſaepius cum Renalibus ſive Emulgentibus Venis communicat. Inferius magis Ramulum, qui cum Vena Meſaraïca, de qua modo dixi, communicationem alit, largiuntur.

479. Ab Arteriis Spermaticis nonſolum in eo differunt, quod majores, earumque Tunicae tenuiores ſint, ſed etiam ideo, quod quo magis verſus Aperturas ſive Annulos Muſculorum Abdominis deſcendunt, eo magis dividantur atque multiplicentur; & quoniam ſic Ramuſculorum faſciculum, qui magis magisque latior fit, pedetentim producunt, Veteres iisdem conjunctim cum Arteriis Vaſorum Pyramidalium nomen impoſuerunt.

480. In hocce trajectu ſaepiſſime Anaſtomoſes inter ſe alunt, atque quamplurimas Areolas, contortiones, & gyros formant, ita ut Retis ſpeciem repraeſentent, quod Celluloſae ejusdem lateris Vaginae mediantibus Foliis ſubtiliſſimis, quemadmodum Arteria idem comitans, illud per intervalla decuſſans, Areolasque vario modo percurrens, annectitur. Frequentes hi gyri, ut Vaſa Spermatica in genere Vaſa Pampiniformia vocarentur, olim occaſionem ſubminiſtrarunt, & peculiaris unius horum Vaſorum ad alterum certis in locis adhaeſio, Arterias atque Venas revera Anaſtomoſes inter ſe alere perſuaſit.

481. Leal Lealis, Anatomicus Italus, qui ad

laterales Arteriarum atque Venarum Spermaticarum Ramuſculos non attendit, ſe putatas haſce Anaſtomoſes ſtabilire & demonſtrare poſſe credidit. Experimenta quae his in locis in animalibus vivis inſtituit, nihil probant. Duorum horum Vaſorum Faſciculum parumper ſupra Teſticulum ligavit: Truncum quoque Venae, poſtquam eundem evacuavit, peculiariter ligavit. Poſtmodum Aortam preſſit, ut Sanguinem in Arteriam Spermaticam propelleret, tandemque Venam Spermaticam, quam evacuaverat, totam repleri vidit.

482. Auctor inde concludit, quod quoniam Sanguinis Teſticuli itus reditusque a ligatura inferiore impeditur, immediate in duarum ligaturarum intervallo Anaſtomoſis, quae in hoc Experimento Sanguinem Venae ſubminiſtravit, adeſſe debeat. Verum laterales utriusque Vaſis Spermatici Ramuſculos, absque putata Arteriae cum Vena Anaſtomoſi, huncce effectum produxiſſe horumque Ramuſculorum Euſtachio optime cognitorum ſubtilitatem, eosdem Leal Leali abſcondiſſe, diſtincte admodum apparet.

483. *Teſticuli.* Duo Corpora Glanduloſa, unum ad latus alterius extra Abdomen, inferius in intervallo Inguinum in Maſculo adulto ſita ſunt. Veteres eosdem Didymos, id eſt, Gemellos appellaverunt. Volumen eorundem ovum Columbinum fere adaequat. Ovalis eorundem figura in utroque latere parumper complanata eſt. In quolibet duae extremitates, duo latera & duo margines conſiderari poſſunt. Eorundem extremita-

mitatum una antrorſum & pauxillum ſurſum, altera retrorſum & paululum deorſum ſpectat; margines eorundem ſuperiorem & inferiorem locum occupant.

484. Quilibet in margine ſuperiore Appendicis ſpecie quae Epididymis dicitur, gaudet, cum qua in pluribus Involucris peculiaribus includitur, amboque in communi Involucro, quod Scrotum nominatur, ſuſpenduntur.

485. Quilibet Teſticulus in ſpecie Glandula Spermatica eſt, quae a magno albicantium, ſubtiliſſimorum, plicatorum, replicatorum, & in diverſos faſciculos inter ſepta Membranacea diſtributorum, atque Membrana communi robuſtiſſima, Tunica Albuginea dicta, involutorum Canalium numero formatur.

486. Septa haec juxta longitudinem & eum in modum diſpoſita ſunt, ut uno in latere ad ſe invicem accedant, alteroque recedant. Juxta longitudinem unius e marginibus Teſticuli ad ſe invicem accedunt, ubi album, longum & anguſtum quoddam Corpus, inſtar ſpeciei Axis petunt.

487. Inde ſymmetrico a ſe invicem modo recedunt, oppoſitisque ſuis marginibus internae Tunicae Albugineae ſuperficiei, cujus vera continuatio eſſe videntur, annectuntur. Corpus hoc album Nucleus Teſticuli vocari poteſt.

488. Cuncta haec Septa non aequaliter lata exiſtere, eorundemque intervalla triangularia quaſi eſſe inde elucescit. Parvorum quoque Canalium in hiſce intervallis contentorum extenſionem ad-

modum

modum notabilem eſſe debere, apparet. Ad permagnum ulnarum numerum, aſt ſumma plurium portionum computata extenduntur. Parvi hi Canales optime longa maceratione evolvuntur, dum ſubtile illud, quod plicas, replicationes atque gyros eorundem invicem ligat atque ſubigit, Textum iſta mediante ſolvitur.

489. Omnes hi tenues Canales verſus Corpus album ſive Nucleum, de quo ſupra dixi, in parvos Truncos communes deſinere videntur, dum per parvum Canalium craſſiorum numerum, qui anteriorem Teſticuli extremitatem verſus ſuperiora perforant, & per plures plicas juxta longitudinem partis lateralis externae marginis ſuperioris uſque verſus poſteriorem extremitatem diſponuntur, huc feruntur. Longus, albicans & plicatus Faſciculus, Epididymis termino Graeco dictus, qui rem Teſticulo, qui alias Didymos vocabatur, additam deſignat, ex unione hacce exurgit.

490. *Epididymis* ita formatus pro Teſticuli Proceſſu, ſive pro Teſticulo acceſſorio haberi poteſt. Aliquo modo Arcui centro ſuo impoſito ſimilis eſt. Volumen ipſius aequale non eſt, quoniam in ſui medio anguſtior quam in ſuis extremitatibus, quibus mediantibus Teſticuli extremitatibus arcte unitur atque annectitur, exiſtit.

491. Teſticulum non immediate in intervallo ipſius extremitatum tangit; ſed mediante Membranae ſubtiliſſimae fereque tranſparentis duplicatione per ſpeciem quaſi Ligamenti laxe ibidem anne-

annectitur. Membrana haecce Tunicae Albugineae ſive propriae Teſticuli Tunicae continuatio atque duplicatio eſt, quae Epididymidem quoque, poſtquam eidem Ligamenti loco ſervivit, involvit.

492. Epididymis planus, & inferius, id eſt, in latere Teſticuli valde leviter concavus eſt. Superius ſive in latere oppoſito inaequaliter convexus exiſtit; haeque duae Facies duobus angularibus marginibus a ſe invicem diſtinguuntur. Mediante margine interno Teſticulo, eum in modum quem dixi, annectitur. Externus Margo uti etiam plana facies libera eſt.

493. Anterior Epididymidis Extremitas, quaeque Caput appellari poteſt, e Teſticulo oritur; poſterior quam Caudam illius vocare poſſumus, eidem fortiter adhaeret, & a poſteriori antrorſum & ſurſum inflectitur, atque quo Canalem peculiarem, Vas Deferens dictum, formet, abbreviatur, cujus Deſcriptionem poſt iſtam Scroti continuabo. Per hancce extremitatum atque marginum Epididymidis Expoſitionem ante plures annos modum monſtravi, quo Teſticulus e loco ſuo exemtus cognoſci, & an iſte lateris dextri ſive lateris ſiniſtri ſit, diſtingui poſſit.

494. *Scrotum.* Nomen hoc Cutaneo Teſticulos includenti Involucro imponitur. Exterius Marſupium ambobus commune eſt, quod a cutis partes vicinas contegentis continuatione formatur, & ob quamplurimas rugas ſive rugoſitates, quae in tota ipſius ſuperficie conſpiciuntur, ordi-

naric

narie admodum inaequale exiſtit. Interius carnoſum eſt, & pro quolibet Teſticulo Muſculoſum Marſupium, quod Dartos dicitur, format.

495. Externa ſive Cutanea Scroti portio eadem fere ſtructura qua Cutis, cujus continuatio eſt, in genere gaudet. Subtilior eſt, & pluribus parvis Granis, quae Glandulae Sebaceae dicuntur, innumerisque Pilorum Bulbis per intervalla obſita eſt.

496. Quamvis non niſi Involucrum duobus Teſticulis commune ſit, nihilominus per ſuperficialis prominentis & inaequalis Lineae ſpeciem, quae inſtar ſpeciei Suturae apparet, ideoque termino Graeco Raphe vocatur, in duas laterales partes diſtinguitur.

497. Linea haec iſtius continuatio eſt, quae itidem Cutaneum Penis Involucrum dividit, atque uno tractu ad Anum uſque, Perinaeum, id eſt, ſpatium quod inter Anum atque Scrotum eſt, eodem modo in duas partes laterales dividendo, continuatur. Superficialis tantum exiſtit, nec in interna Cutis parte apparet.

498. Interna Marſupii Cutanei ſuperficies Membrana celluloſa admodum tenui inveſtitur, per quam Glanduloſa Grana Pilorumque Bulbi, quando interius examinatur, admodum diſtincte transparent. Scroti Rugoſitas nota ordinarie ſtatus naturalis ſani exiſtit, tuncque non niſi mediocre volumen format. Volumen hoc ſecundum praeternaturalis ſtatus atque invaletudinis gradus longitudine praecipue creſcit, rugaeque plus minusve obliterantur.

499. *Dartos* ſive carnoſa Scroti portio verus Muſculus Cutaneus eſt, cujus Fibrae quoad maximam partem Cuti ſive portioni cutaneae fortiter annectuntur, & Celluloſum, quod inter duas has portiones reperitur, Textum, ibique Membranae Adipoſae locum, aſt absque pinguedinis veſtigio, tenet, tranſeunt. Muſculus hic tenuis eſt, ſuarumque Fibrarum diſpoſitione duorum loculorum Marſupium, ex duobus parvis carnoſis Marſupiis lateraliter averſa unione junctis, communique ſive Cutaneo Marſupio involutis compoſitum format.

500. Laterales duorum Dartorum remotae partes iſtis, quae ſe invicem tangunt, longiores ſunt. Unio ſive averſa partium lateralium vicinarum duplicis hujus Darti ſive duorum horum Dartorum conjunctio inter duos Teſticulos Septum format, quod Anatomici Mediaſtinum Scroti vocant.

501. Sutura ſive Raphe, de qua ſupra dixi, averſae Dartorum conjunctioni marginique eorundem Mediaſtini adhaeret, ſicque cutaneam Scroti portionem perpendiculariter frenat, ita ut duobus fundis inſtructa eſſe videatur; unde fortaſſis Scroto nomen commune Marſupiorum in plurali impoſitum fuit. Alter Mediaſtini margo Urethrae annectitur.

502. Duo Darti ſive duo ſacci Darti interius, id eſt, in latere ipſorum concavitatis Celluloſo Texto, quod iſto inter eorundem convexitatem atque Cutem intercedente notabilius eſt, inveſtiuntur. Carnoſae itaque Fibrae ad Septum uſ-

que

que inter duo Strata Celluloſa reperiuntur. Eorundem externum, cuti ſeſe annectendo, uti ſupra dixi, tranſeunt, naturalesque Scroti Rugas contractione ſua formant.

503. Carnoſae hae Fibrae magnam quoque cum interna Celluloſa Membrana, praecipue ſuperius infra Inguen, ubi anterior portio atque lateralis externa Darti portio in ſpeciem Tendinoſae ſive Ligamentoſae expanſionis cum interna Celluloſa Membrana fortiter unitae deſinunt, affinitatem alunt. Eandem inſtar Faſciae Latae peculiaris, quae indicatis Darti portionibus inſertionem praebet, & inſtar ſpeciei Freni lati easdem has portiones pauxillum conſtrictas retinet, monſtravi.

504. Aponevrotica ſive Ligamentoſa Darti Expanſio Ramo Oſſis Pubis inter Muſculum Tricipitem atque Corporis Cavernoſi vicini originem, de quo poſtmodum ſermo erit, ad partem uſque inferiorem Symphyſis Oſſis Pubis annectitur. Interna cujuslibet horum Muſculoſorum Marſupiorum portio, id eſt, iſta quae Septum format, Urethrae mediante ejusdem Expanſionis Ligamentoſae cum alia peculiari, de qua in ſequentibus ſermo erit, communicatione annectitur.

505. *Vaſa Deferentia.* Duo albi, firmi, & pauxillum complanati Tubi, unus ad latus dextrum & alter ad ſiniſtrum ſiti, ſunt, quorum quilibet ab origine Epididymidis, cujus continuatio eſt, quemadmodum ſupra innui, in Celluloſa Spermaticorum Vaſorum Vagina, & juxta horum

horum Vaſorum longitudinem uſque ad eorundem per Muſculos Abdominis tranſitum ita aſcendit, ut Vaſa Sanguifera anteriorem & Vas Deferens poſteriorem locum occupent.

506. Faſciculus a Vaſis Sanguiferis, a Vaſe Deferenti, & a communi eorundem Involucro ita formatus, Funiculus Vaſorum Spermaticorum ſive Funiculus Spermaticus vocatur. Hocce Involucrum exterius magis unitum quam interius apparet, id quod, ut pro Vagina haberetur, occaſionem ſubminiſtravit. Internum Textum quod magis Celluloſum quam externum exiſtit, tria haec Vaſa invicem ligat, externumque eorundem Involucrum format.

507. Poſtquam Vas Deferens ad Membranaceam Peritonaei Laminam pervenit, eo in loco ubi Lamina haec orificium Vaginae contegit, a Spermaticis Sanguiferis Vaſis abſcedit, & inſtar Arcus in Celluloſum Peritonaei Textum, uſque ad latus Veſicae vicinum retrorſum excurrit.

508. Poſtmodum retro Corpus Veſicae repit, eidem uti etiam Membranaceae Peritonaei Laminae, quae idem contegit, valde adhaeret, atque iter ſuum in modum Arcus uſque verſus Veſicae Collum continuat, ubi duo Deferentia Vaſa ſibi occurrunt, Arcusque ſuos finiunt.

509. Vas Deferens in hocce trajectu retro Arteriam Umbilicalem vicinam eandem decuſſando excurrit. Extremitatem quoque Ureteris ejusdem lateris inter hancce extremitatem atque Veſicam excurrendo decuſſat. Vas Deferens deni-

que unius lateris Vaſi Deferenti alterius lateris retro Veſicam, inter duorum Ureterum inſertiones obviam fit, & conjunctim uſque ad Veſicae Collum deſcendunt.

510. Vas hoc quod ab initio in origine Epididymidis parumper craſſum & plicatum eſt, poſtea ſtatim uſque retro Veſicam tenue, unitum & laeve fit, ubi denuo craſſius & inaequaliter plicatum evadit.

511. Ex inflexa portione ſive poſteriore Epididymidis extremitate oritur. Inde admodum oblique, dimidiaeque poſteriori Epididymidis parte quaſi incumbens antrorſum procedit, ubi, quo retro Vaſa Spermatica aſcendat, leviter incurvatur.

512. Portionis ipſius unitae Textum firmum & Cartilaginoſum quaſi eſt, inprimis circum ipſius cavitatis ſuperficiem, quae anguſtiſſima exiſtit, & ob hancce firmitatem, hancque Texti ipſius craſſitiem, absque ut collabatur, aperta ſemper manet.

513. Cavitas Vaſis Deferentis cylindrica eſt, quamvis Vaſis craſſities complanata ſit, externaque ſua ſuperficie ovalem circumferentiam formet, quemadmodum, quando idem Vas transverſim diſcinditur, videre eſt. Cavitas haecce retro Veſicam magis magisque latior evadit. Eorundem finem ad Urethrae Hiſtoriam reſervare cogor.

514. *Tunicae Teſticulorum.* Peculiaria Teſticulorum Involucra communiter Tunicae vocantur. Tres numero ſunt, Muſculoſa ſcilicet ſive Carnoſa,

noſa, Cremaſter dicta, Vaginalis & Albuginea. Duae priores cuilibet Teſticulo Funiculoque Vaſorum Spermaticorum eidem reſpondenti communes ſunt. Non niſi ultima revera Teſticulo propria eſt..

515. *Tunica Vaginalis.* E tribus quam maxime notabilis exiſtit, & quo primae ſive Muſculoſae, quae improprie admodum Tunica vocatur, ſtructura atque connexio melius intelligatur, ante reliquas deſcribenda eſt. Albugineae Deſcriptio cum iſta Teſticulorum conjuncta eſt.

516. Vaginalis Tunica Vaginae Funiculi Vaſorum Spermaticorum continuatio eſt. Dum Vagina ad Teſticulum accedit, pedetentim dilatatur, & duas quaſi Capſulas, quarum una alteri incluſa, format, quarumque externa longior quam interna eſt, fundoque latiori gaudet; ita ut inter duarum fundos intervallum reperiatur, quod intervallum Teſticulo hoſpitium praebet.

517. Sequentem quoque in modum illa exponi poteſt. Poſtquam Vagina verſus Teſticulum deſcendit, in duas Laminas dividi videtur, quarum interna fundus Vaginae eſt, atque externa circum Teſticulum ampliatur, eique Tunicam, quae Vaginalis a Latino vocabulo Vagina audit, largitur. Veteres eidem nomen Graecum Elytroïdes, quod idem ſignificat, impoſuerunt.

518. Interna hujus Tunicae Superficies peculiari ſubtiliſſima Membrana inveſtitur, quae ipſum Vaginae fundum corroborat, ſpeciemque hinc Diaphragmatis format, quod communicationem

inter Funiculi Spermatici Vaginam atque Teſticuli Capſulam ſive Tunicam Vaginalem impedit.

519. *Cremaſter* improprie Tunica dictus, Muſculus ſive Planum carnoſum admodum tenue eſt, quod circum Funiculi Vaſorum Spermaticorum Vaginam deſcendit, & in Tunica Teſticuli Vaginali finitur.

520. Totam fere Vaginam circumdat, poſtmodumque ſupra ſuperiorem externam Tunicae Vaginalis partem, ubi ipſius extremitates inſeruntur & obliterantur, expanditur.

521. Partim a Ligamentoſa Fallopii Faſcia, partim ab inferiore Muſculi Obliqui interni Abdominis margine oritur. Unde quandoque a Spina Oſſis Ilii originem ducere videtur. Transverſum Muſculum itidem parumper ad ipſius formationem contribuere videtur.

522. Subtiliſſima Celluloſa Membrana, quae ab externa Aponevroſis Muſculi Obliqui externi Facie, circum ipſius aperturam, quae communiter Annulus dicitur, abſcedit, contegitur. Haecce Membrana in Celluloſa Faciei internae Darti Subſtantia obliteratur.

523. Ex omnibus hiſce, Cremaſterem Tunicae Vaginalis Muſculum potius quam peculiarem Tunicam eſſe eluceſcit. Ii Veterum qui eundem pro Tunica habuerunt, ipſum Erythroïdem, termino qui ruber ſive rubicundus ſignificat, appellaverunt. Interim non ſemper ruber exiſtit, hicque color Subſtantiae carnoſae non eſſentialis eſt.

524. *Corpora Cavernoſa.* Duo Tubi Ligamentoſi

toſi admodum flexiles ſunt, unus cum altero maxima ipſorum longitudinis parte lateraliter unitus, in extremitatibus clauſi, quarum duae ſibi mutuo adhaerent, & quaelibet inſtar apicis digiti rotunda eſt; duae reliquae uti rami Υ Graeci a ſe invicem diſcedunt, poſt ſeceſſionem craſſitie pedetentim imminuuntur, & oblique admodum in apicem deſinunt. Extremitates a ſe invicem diſtantes & acuminatae Radices, & rotundae Capita vocari poſſunt.

525. Duo haec Corpora fere cylindrica, id eſt, rotunda ſunt, & a Radicibus uſque verſus Capita, ubi parum per conica exiſtunt, id eſt, imminuendo progrediuntur, aequali craſſitie gaudent. Ligamentoſum eorundem Parietum Textum elaſticum, ex ſubtiliſſimis, quam maxime conſtrictis, partim transverſis, partimque plus minusve obliquis Fibris compoſitum eſt.

526. Cavitas horum Tuborum ligamentoſorum a Texto Celluloſo ſive Cavernoſo admodum robuſto, quod non niſi Texti ipſorum Tuborum continuatio eſſe videtur, penitus occupatur. Cellulae invicem communicant, & continue fere uti Celluloſum Lienis Textum, hac cum differentia Sanguine plus minusve repletae ſunt, quod parietes Cellularum hic craſſiores ſint, earumque cavitates nullo Texto acceſſorio gaudeant.

527. Ex duorum Corporum Cavernoſorum unione exterius duo Stillicidia ſive Sulci, unus ſuperius & alter inferius, exurgunt. Inferior

paulo latior quam ſuperior eſt, & juxta totam longitudinem a tertio Tubo, qui Corporibus Cavernoſis anguſtior eſt, nomenque Urethrae gerit, de qua poſtmodum ſermo erit, occupatur.

528. Quaelibet Radicum horum Corporum Cavernoſorum margini parvi Rami Oſſis Iſchii, iſtique parvi Rami Oſſis Pubis uno tractu annectitur. Verſus Symphyſin Oſſium Pubis, ubi quaelibet Tubi cylindrici formam aſſumit, ſibi mutuo occurrunt, invicemque, quemadmodum modo dixi, uniuntur.

529. Capita ſive rotundae extremitates peculiaris cujusdam corporis Baſi, quod Glans dicitur, quae Urethrae expanſio eſt, directe occurrunt, & cum eadem arctiſſime, quemadmodum in ſequentibus videbimus, uniuntur.

530. Averſa lateralis duorum Corporum Cavernoſorum ab eorundem Radicibus ad apicem eorundem Capitum ſive rotundarum extremitatum uſque conjunctio, inter ipſa mediante transverſarum unius Fibrarum cum transverſis alterius Fibris unione peculiare Septum format. Fibrae Septi parvam per intervalla ſeceſſionem inter ſe relinquunt, qua mediante duo Corpora Cavernoſa invicem communicant; ita ut, ſi unius Textum inflatur, in alterius ſtatim Textum flatus tranſeat. Septum admodum tenue evadit, & verſus extremitates rotundas diminuendo excurrit.

531. *Urethra.* Tertius e tribus Tubis Spongioſis, e quibus Penis praecipue componitur, exiſtit. Corporibus Cavernoſis juxta totam Sulci

ci inferioris eorundem unionis longitudinem valde adhaeret. Ab his reliquis Tubis in eo differt, quod anguſtior ſit, verumque Canalem in modum Tubi excavatum formet. Craſſities ipſius, parva portione in latere Veſicae excepta, ſpongioſa ſive Cavernoſa eſt, & in ſuis ſuperficiebus ſive in ſua convexitate & in ſua concavitate Membranaceus exiſtit.

532. Ab initio non niſi Membranaceus Canalis ab anteriore Veſicae apertura, eo in loco qui communiter Veſicae Collum appellatur, nomen quod huic primae Urethrae portioni melius conveniret, productus exiſtit.

533. In diſtantia circiter unius & dimidii digiti transverſi poſt ſuam originem, Canalis hic Subſtantiae Spongioſae, iſti Corporum Cavernoſorum ſimili, aſt ſubtiliori, occurrit, quae eundem poſtmodum ad apicem uſque juxta totam Sulci inferioris Corporum Cavernoſorum longitudinem circumdat.

534. *Bulbus Urethrae.* Spongioſum hoc Textum non ſtatim Urethrae Canalem circumdat, oblongum antea Corpus inſtar pyri ſive cepae format, quod non niſi inferiori convexitatis Canalis Faciei annectitur, & parumper poſtea in utroque latere finditur, eumque circumcirca amplectitur. Peculiare hoc Corpus Bulbus ſive Cepa Urethrae appellatur. Reliquum Urethrae craſſitie ſuperat, & interius in duas partes laterales mediante Membranaceo ſubtiliſſimo Septo dividitur, id quod efficit, ut duplex quaſi, & quando inflatus eſt, Biceps quaſi appareat.

535. *Proſtatae.* Prima Urethrae portio, id eſt, iſta, quae Cavernoſo Texto non contegitur, quaeque a Veſica ad Bulbum uſque non niſi ſimplex Canalis Membranaceus eſt, illius loco a craſſa albicante mediocriter firma, inſtar caſtaneae fere formata, & inter Veſicam atque Urethrae Bulbum eum in modum ſita maſſa, ut Baſis Veſicam, apex Bulbum, & Facies ſuperiora atque inferiora reſpiciant, ſuſtinetur.

536. Maſſae huic nomen Proſtatarum, Graeco termino imponitur, qui ſitum Veſiculis anteriorem, & quaſi plures adeſſent, denotat, quoniam per Stillicidium ſuperiori Faciei, à Baſi ad apicem uſque inſculptum in duos Lobos diſtincta apparet. Prima Urethrae portio, maſſae Proſtatarum ubique valde adhaerens admodumque unita in Stillicidio hocce locatur atque immergitur.

537. Corpus Proſtatarum Inteſtino Recto incumbit, ipſiusque apex infra internum Arcus Cartilaginoſi Oſſium Pubis Labium exiſtit. Textum ipſius interius Spongioſum, aſt quam maxime ſtrictum eſt. In quolibet Proſtatarum Lobo plures Folliculi reperiuntur, qui in primam Urethrae portionem verſus fundum Stillicidii, quemadmodum in ſequentibus videbimus, hiant. Parva Urethrae portio, quae inter apicem Proſtatarum atque Bulbum Urethrae eſt, Ligamentum Interoſſeum Oſſium Pubis, de quo ſuperius (n. 184.) dixi, perforat. Admodum brevis eſt, ipſiusque longitudo vix pro tranſitu per foramen Liga-

Ligamenti ſufficit; ita ut Ligamentum hoc facie ſua poſteriore Proſtatarum apicem, anterioreque ſua facie Urethrae Bulbum attingat. Portio haec Collum Urethrae, atque iſta, quae inter Corpus Veſicae atque Proſtatas eſt, Collum Veſicae appellari poteſt.

538. *Glans*. Poſtquam Spongioſum Urethrae Textum ad extremitatem Corporum Cavernoſorum pervenit, craſſum Caput, quod Glans dicitur, format, quae capitellum quaſi trium Columnarum Spongioſarum commune, hac cum differentia, exiſtit, quod vera Texti Spongioſi Urethrae continuatio ſit, Corporumque Cavernoſorum extremitatibus, absque ut directe cum hiſce Corporibus communicationem alat, tantum adhaereat.

539. Unde quando Textum Spongioſum Urethrae ſolum inflatur, mox Glans uti quoque Bulbus, absque ut flatus in illud Corporum Cavernoſorum tranſeat, intumeſcunt; & quando unum e Corporibus Cavernoſis inflatur, flatus mox in alterum, absque ut Urethra & Glans intumeſcant, tranſit.

540. Glandis figura inſtar illius coni rotundi, cujus convexitas inferior parumper plana, cujusque baſis admodum obliqua eſt & parumper prominet, ſe habet, ita ut ipſius circumferentia iſtam Corporum Cavernoſorum parumper excedat.

541. Spongioſum ipſius Textum maſſa craſſa, & in latere Corporum Cavernoſorum uniformis, in latere Urethrae vero per Canalis continuatio-

nem perforata eſt, nec majori quam ante Glandis formationem craſſitie gaudet.

542. Urethrae itaque Canalis non in medio craſſitiei Glandis exiſtit, ſed in linea recta iter ſuum deorſum verſus planam convexitatem ad apicem uſque, ubi in orificium oblongum deſinit, continuat.

543. Tota Glandis convexitas ſpecie ſubtiliſſimae ſubſtantiae Villoſae inveſtitur, quae Membrana admodum ſubtili contegitur, & in eo parti Labiorum Oris rubicundae ſimilis eſt. Circumferentia Baſis Glandis duplici parvarum Papillarum ordine notatur, quae pro Glandulis Sebaceis & cujusdam ſqualoris fontibus haberi poſſunt.

544. *Caruncula.* Plura in cavitate Urethrae notanda occurrunt. In cavitatis primae portionis Urethrae, id eſt, illius quae corpori Proſtatarum immiſſa eſt fundo, parva eminentia longiuſcula, ovalis, & poſterius craſſa, anterius prolongata & in apicem deſinens elevatur. Indifferenter Caruncula, Caput Gallinae & Verumontanum appellatur. Eminentia haec in craſſa ſua portione ordinarie a duobus parvis Foraminibus, quandoque ab unico, raro a tribus perforatur. Orificia Canalium excretoriorum Veſicularum Seminalium ſunt, de quibus poſtmodum ſermo erit. In quolibet horum Foraminum ſive Orificiorum parvus ſubtiliſſimus membranaceus margo conſpicitur, qui excretoriis harum Veſicularum Canalibus Valvulae loco eſſe poſſet.

545. In quolibet latere craſſae portionis Carunculae quatuor, quinque aut ſex Foramina inſtar Lunae creſcentis circum laterales ipſius partes diſpoſita adſunt. Orificia Canalium Excretoriorum Proſtatarum ſunt, qui Canales a Folliculis, de quibus ſupra ſermo fuit, procedunt, & uſque ad Orificia admodum oblique, tanquam in membranacea Duplicatione, excurrunt.

546. *Veſiculae Seminales.* Duo Corpora albicantia, gibboſa & molliuſcula, tres quatuorve digitos transverſos longa, transverſum digitum lata & tertiam circiter hujus latitudinis partem craſſa ſunt, quae oblique inter Inteſtinum Rectum & inferiorem Veſicae partem ita locantur, ut ſuperiores eorundem extremitates a ſe invicem diſtent, & inferiores inter Vaſorum Deferentium extremitates, quorum & obliquitatem & curvaturam imitantur, invicem conjungantur.

547. Superius inaequaliter rotundae ſunt, earumque latitudo per gradus verſus inferiora imminuitur. Mediante inferiorum ſuarum extremitatum unione furcae ſpeciem formant, cujus Rami lati & inſtar cornuum Arietis incurvati eſſent. Inferiores hae extremitates admodum anguſtae ſunt, ſpeciemque Colli tenuis unione ſua formant, quod infra Veſicam verſus ipſius orificium repit, poſtmodumque iter ſuum in Proſtatarum Stillicidio & in portionis vicinae Urethrae craſſitie continuat, ubi tandem extremitates Carunculae craſſitiem perforant, quemadmodum ſupra innuimus.

548. Interius plicatae & in plures quaſi Veſicarias Capſulas per tortuoſas replicationes diſtinctae ſunt. Externa earundem ſuperficies Membrana ſubtili, quae replicationes limitat atque frenat, inveſtitur. Membrana haec vera Texti Celluloſi Peritonaei continuatio eſt. Replicationes ſolvi, hocque modo contortiones explicari, & Veſicularum Corpus multo longius, quam quando replicatum eſt, reddi poteſt.

549. Interna earundem Texti Superficies villoſa & glanduloſa eſt, & continue ſuccum peculiarem ſuppeditat, qui Materiam ſeminalem quam a Vaſis Deferentibus accipiunt, cujusque per certum temporis ſpatium Receptacula ſunt, digerit, exaltat aut ſubtiliorem & magis magisque perfectiorem reddit.

550. Deferentium Vaſorum in has Veſiculas tranſitus ſingularis admodum eſt. Supra, Vaſa Deferentia retro Veſicam incurvari, ibidemque mediantibus extremitatibus ſuis admodum abbreviatis ſibi occurere, dixi. Duae hae extremitates in modum anguli uniuntur, & inter vicinas Veſicularum Seminalium extremitates repunt. Ibidem adeo arcte invicem uniuntur, ut earundem portiones averſo ſitu conjunctae non niſi Septum intermedium inter duos parvos Tubos, quorum quilibet partim ab extremitate unius Vaſorum Deferentium, partimque ab extremitate Veſiculae vicinae formatur, conſtituere videantur.

551. Lateralis extremitatis Vaſis Deferentis atque extremitatis Veſiculae cujuslibet lateris unio itidem

itidem ſpeciem Septi peculiaris breviſſimi inter ipſas format, quod in Lunam creſcentem inſtar parvae Valvulae Semilunaris deſinit. Extremitas Vaſis Deferentis iſta Veſiculae Seminalis anguſtior eſt. Hicce Mechanismus cujuslibet Vaſis Deferentis liquido lentum ſemper in Veſiculam Seminalem ejusdem lateris tranſitum concedit, illiusque e Veſicula in Vas Deferens reditum impedit.

552. Quando clauſa antea Urethra uni e Vaſis Deferentibus flatus immittitur, ventus Veſiculam Seminalem vicinam atque Veſicam Urinariam inflat, absque ut in Veſiculam aut in Vas alterius lateris, niſi cum violentia propellatur, tranſeat.

553. Poſtmodum duo parvi Tubi, quorum quilibet ab extremitate Vaſis Deferentis & ab iſta Veſiculae Seminalis formatur, inter Baſin Proſtatarum atque Canalem Urethrae repunt, cujus craſſitiem oblique perforant, & Carunculam, quemadmodum antea dictum eſt, petunt.

554. *Lacunae Urethrae.* Urethrae Canalis interius Membrana ſubtiliſſima inveſtitur, magnaque Vaſorum Capillarium quantitate obſeritur. A quamplurimis longiuſculis Foraminibus ſive parvis Lacunis, quarum quaedam reliquis ſenſibiliores, praecipue prope Glandem exiſtunt, perforatur.

555. Lacunae hae Canalium excretoriorum ſubtiliſſimorum totidem parvorum Corporum Glanduloſorum, in Urethrae craſſitie diſperſorum orificia ſunt. Canales aliquale iter in Texto Spon-

Spongioſo juxta longitudinem convexitatis Membranae internae Urethrae faciunt, & a poſteriori antrorſum oblique in magnum Canalem hiant. Margo Lacunarum, ob ipſarum aperturae obliquitatem, ſemilunaris quaſi ſive inſtar Lunae creſcentis eſt.

556. *Antiproſtatae.* Pauxillum poſt Spongioſi Urethrae Texti initium duae harum Lacunarum reliquis notabiliores, atque Canales iisdem reſpondentes longiſſimi reperiuntur. Lacunae hae hique Canales ad duo Corpora Glanduloſa, in duobus lateribus convexitatis Texti Spongioſi Urethrae prope Bulbum ſita, ducunt. Quodlibet craſſitiem nuclei ceraſi adaequat, aſt oblonga atque complanata ſunt, & Muſculis, Acceleratoribus dictis, de quibus in ſequentibus ſermo erit, penitus conteguntur. Haec duo Corpora communiter Proſtatae inferiores ſalutantur; aſt ſi earundem ſitus bene examinatur, inferiores magis quam verae Proſtatae reperientur. Tertium adhuc Corpus ſimile, anterius magis ſitum invenitur.

557. *Orificium Urethrae.* Cavitas Canalis Urethrae fere uti iſta parvi calami ſcriptorii ſe habet. Non ubique rotunda exiſtit; verſus Glandem latior fit, & in utroque latere, praecipue in craſſitie Glandis, ubi ſpeciem foſſulae ovalis ſive navicularis format, complanatur.

558. Canalis tandem in apice Glandis in oblongum orificium, inſtar ſpeciei fiſſurae anguſtum, ipſaque cavitate multo minus deſinit. Una Commiſſurarum parvae hujus fiſſurae verſus maximam Glandis

dis convexitatem, altera verſus complanatam ipſius portionem vertitur. Labia fiſſurae laterales ipſius partes conſtitunt. Fibris carnoſis circumdata eſſe videtur.

559. *Involucra communia.* Involucra totum huncce apparatum contegentia tria aut quatuor numero ſunt. Primum Cutis cum Epidermide conſtituit; ſecundum Membrana Celluloſa ordinaria eſt, quae vero hoc in loco raro Adipoſa exiſtit; tertium Nerveum vocatur; quartum Membrana Celluloſa peculiaris eſt, quae quandoque non apparet.

560. *Praeputium. Sutura.* Primum horum Involucrorum ſive Cutis non niſi iſtius Pubis atque Scroti continuatio eſt. Secundo Involucro ad Baſin Glandis uſque, ubi ſecundum finitur, adhaeret. Sequens Involucri cutanei Portio Glandem absque adhaeſione tegit, ipſiusque extremitas in aperturam deſinit. Portio haec Praeputium appellatur. Juxta totam lateris inferioris ſive poſterioris, tam totius Involucri in genere quam Praeputii in ſpecie longitudinem, Sutura ſubtilis adeſt, quae iſtius Scroti atque Perinaei continuatio eſt.

561. Interna Praeputii ſuperficies ab apertura uſque retro baſin Glandis ſubtiliſſima Membrana inveſtitur. Membrana haec a poſteriori antrorſum circum Glandem replicatur, ſicque Membranam propriam conſtituit, quae magna cum adhaeſione, Epidermidis inſtar, Villoſam ipſius ſuperficiei Subſtantiam ad orificium Urethrae uſque

que contegit, ubi iſti, quae interiora hujus Canalis inveſtit, occurrit, & cum illa unitur.

562. Propria haecce Glandis Membrana & interna Praeputii Membrana occurſu ſuo conjunctim, juxta longitudinem partis planae Glandis, ab ipſius baſi ad orificium Urethrae uſque Membranaceam Duplicationem formant, quae locum huncce inſtar ſpeciei Septi ſive Mediaſtini in duas partes laterales dividit, atque, ne Praeputium indifferenter lubrice moveatur, aut nimis lubrice moveatur, impedit. Id quod eandem, Frenum Praeputii vocare, anſam dedit.

563. Internae Praeputii Membranae ſuperficies in genere liquorem exudat, qui ne Glandi agglutinetur, impedit. Liquor hicce ad craſſitiem iſtius, quae verſus baſin Glandis cumulatur, & a Glandulis Sebaceis, de quibus antea dixi, provenit, diluendam quoque inſervire poteſt.

564. Secundum harum partium commune Involucrum iſti, quod aliis in locis infra Cutem reperitur, fere ſimile eſt, excepto quod pinguedine non repletum ſit, quod fibratum potius quam celluloſum & parumper laxum exiſtat. Cutem ad Glandis baſin uſque, uti jam innuimus, comitatur.

565. *Ligamentum Suſpenſorium.* Tertium commune Involucrum, Tunica ſive Membrana Nervea improprie dictum, firmum, elaſticum & ligamentoſum Textum eſt, cujus Fibrae quandoque ſubflavae apparent. Corpora Cavernoſa atque Urethram a Glande uſque ad Symphyſin Oſſium

ſium Pubis involvit; & in aliquali ab hiſce Oſſibus diſtantia ſupra ſuperiorem Corporum Cavernoſorum Sulcum Duplicationem bene redadunatam, & mediante hacce Duplicatione Ligamentum planum latumque format, quod plano ſuo directe aſcendit, & juxta longitudinem Symphyſis eorundem Oſſium ad tendinoſam uſque Muſculorum Pyramidalium Abdominis baſin annectitur.

566. Ligamentum hoc Ligamentum Elaſticum vocatum fuit, quoniam extendi poteſt, ſeſeque iterum in priſtinum ſtatum reſtituit. Ligamentum Suſpenſorium appellatur, quoniam partes has ob annexionem in Symphyſi ſuſpenſas quaſi tenet. Ablegationem in utroque latere inſtar Alae format, cujus alter marginum inter Muſculum Tricipitem & Corpora Cavernoſa annectitur, atque Expanſionem ligamentoſam, Darto inſertionem praebentem, quemadmodum ſupra dixi, conſtituit. Inferius Proceſſum quoque recta ad Perinaeum ad Anum uſque ablegare videtur.

567. Quartum harum partium Involucrum Tunica Celluloſa Ruyſchii eſt. Corpora Cavernoſa atque Urethram inter haſce tres Columnas atque tertium Involucrum, a quo non niſi Texto magis ſtricto & ſubtiliori diſtincta eſſe videtur, immediate circumdat. Quandoque fere non percipi poteſt.

568. *Muſculi.* In vicinia harum partium plures Muſculi reperiuntur, qui ibidem annectuntur. Decem eorundem numerari poſſunt, duo ſcilicet pro Corporibus Cavernoſis, duo pro

Urethra, duo communes Tranſverſi dicti, & quatuor parvi Proſtatis deſtinati.

569. Duo omnium horum Muſculorum priores communiter Erectores vocantur; melius Iſchio-Cavernoſi appellarentur. Duo ſequentes Acceleratorum nomen gerunt; convenientius Bulbo-Cavernoſi nominarentur. Quatuor parvi, quorum duo ſuperiores & duo inferiores ſunt, Muſculi Proſtatici vocari poſſunt. Ab initio Tractatus de Muſculis, quod nomina ab uſibus deſumta admodum ambigua ſint, dixi.

570. Muſculi Iſchio-Cavernoſi lateraliter juxta totam Radicum Corporum Cavernoſorum longitudinem ſiti ſunt. Quilibet eorum uno extremo interno Rami Oſſis Iſchii Labio ab ipſius Tubere oblique admodum annectitur, Corporum Cavernoſorum Radicem ad Symphyſin Oſſium Pubis uſque comitatur, poſtmodumque Corporibus Cavernoſis prope eorundem unionem altero extremo inſeritur; unde Fibrae unius Fibris alterius occurrunt, & reciproce in utrumque latus ſupra duo Corpora Cavernoſa expanduntur. Inferiores magis magiſque interiores quam Corporum horum Radices ſunt.

571. Duos adhuc Muſculos his Acceſſorios demonſtravi, tuncque eoſdem pro Acceleratoribus lateralibus ſive pro Acceleratorum Acceſſoriis habui. Magis inferius & adhuc interius quam priores ſive praecedentes Oſſibus Iſchii annectuntur, eoſque ad Corpora Cavernoſa uſque comitantur, ubi eoſdem relinquunt, & praecipue U-

rethrae

rethrae prope Bulbo-Cavernoſi Muſculi Furcam inſeruntur.

572. Muſculi Bulbo-Cavernoſi, communiter Acceleratores dicti, mox Tendine intermedio parti inferiori Ligamenti interoſſei Oſſium Pubis ſuperius (n. 184.) deſcripti, atque Muſculorum Transverſorum cum Cutaneis Ani Sphincteribus unioni annexo Muſculum Penniformem formant. Inde infra Urethrae Bulbum late excurrunt, huncque Bulbum atque Urethram ipſam mediante ſpecie adhaeſionis uſque e regione originis Ligamenti Suſpenſorii contegunt; ita ut Tendo intermedius Septo Bulbi reſpondeat.

573. Duo Plana carnoſa poſtmodum a ſe invicem ſeparantur, unumque dextrorſum alterumque ſiniſtrorſum, a poſteriori antrorſum & ab inferiori ſurſum, duo Corpora Cavernoſa amplectendo, oblique excurrit, unumque ad latus unius Corporum Cavernoſorum & alterum ad latus alterius annectitur. Tendo intermedius parti inferiori Septi Bulbi arcte adhaeret, cui uti etiam Canali Urethrae plures horum Muſculorum Fibrae annectuntur.

574. Muſculi Transverſi, qui Triangulares quoque vocantur, duo carnoſi oblongi & anguſti faſciculi ſunt, quorum quilibet una extremitate Radici ſive origini Rami Oſſis Iſchii inſeritur. Inde juxta longitudinem marginis Ligamenti Interoſſei Oſſium Pubis, de quo modo dixi, uſque infra apicem Proſtatarum transverſim excurrunt, ubi alteris ſuis extremitatibus ſi-

bi obviam fiunt, & ordinarie Muſculum quaſi Digaſtricum formant, cujus medium Muſculis Urethrae Cutaneiſque Ani Sphincteribus communem inſertionem praebet.

575. Muſculi Proſtatici ſuperiores parva Plana tenuia ſunt, quae ſuperiori parti Faciei internae parvorum Ramorum Oſſium Pubis anneсtuntur, unde ſupra Proſtatas expanduntur, iisque inſeruntur. Eorundem in Oſſibus Pubis inſertiones ad latus iſtius Muſculorum Obturatorum internorum ſunt.

576. Muſculi Proſtatici inferiores parva Plana transverſa ſunt, quorum quodlibet Symphyſi Rami Oſſis Pubis cum Ramo Oſſis Iſchii inſeritur, indeque transverſim excurrit atque ſui pari infra Proſtatas, quibus agglutinantur, iisque Cinguli ſive Suſpenſorii loco ſunt, occurrit, & cum eodem unitur. Ceu parvi Transverſi ſive Transverſi interni conſiderari poſſunt, reliquisque ſupra deſcriptis Transverſorum majorum ſive Transverſorum externorum nomen imponi poteſt. Quosdam quoque annexus in Puncto, in quod cuncti hi Muſculi, de quibus modo dixi, concurrunt, habent.

577. *Arteriae*. Ab Iliacis internis ſive Hypogaſtricis praecipue proveniunt; & dantur quoque quae ex Iliacis externis & Cruralibus oriuntur. Primariae communiter Pudendae, quaedam internae, quaedam externae vocantur.

578. Pudendae externae in quolibet latere Ramum emittunt, qui poſtquam ad latus Oſſis Sacri

cri e Pelvi egreſſus eſt, per faciem internam Tuberis Oſſis Iſchii ad Radices Corporum Cavernoſorum uſque juxta longitudinem faciei internae Muſculorum Iſchio-Cavernoſorum, qui communiter Erectores dicuntur, excurrit. Ad Bulboſum Urethrae Caput & ad Corpora Cavernoſa Ramuſculos mittit. Scroto quoque, uti etiam Arteria vicina, quae Glutaea appellatur, & cum qua in tranſitu communicationem alit, proſpicit.

579. Pudendae internae, alium adhuc Ramum ablegant, qui, poſtquam Inteſtino Recto, Veſicae, Veſiculis Seminalibus, Proſtatis proſpexit, atque cum Haemorrhoidalibus communicavit, infra Arcum Oſſium Pubis excurrit, partimque mox in Corpora Cavernoſa intrat, partim juxta convexitatis ſuperioris horum Corporum longitudinem, parvos Ramos laterales emittendo, excurrit, qui eadem inſtar dimidiorum Arcuum irregularium amplectuntur, atque itidem in eadem mediantibus pluribus Ramuſculis penetrant.

580. Quaelibet Arteriarum Cruralium Ramum largitur, qui retro Venam Cruralem vicinam repit, atque ſub Pudendae externae nomine in Tegumentis Penis diſtribuitur, & mediantibus collateralibus Ramuſculis cum iſtis Pudendae internae communicat. Communicationes hae nonſolum inter internas & externas unius lateris contingunt, ſed & utraeque unius lateris cum utriſque alterius lateris Anaſtomoſes alunt.

581. *Venae.* Diſtributio Venarum in genere iſtam Arteriarum, aſt hic locorum, uti alibi, cum

frequentioribus Ramuſculis atque communicationibus ſequuntur. Primaria harum Venarum illa eſt, quae directe infra Symphyſin Oſſium Pubis inter duas Arterias excurrit; atque juxta totam longitudinem Sulcum ſuperiorem unionis Corporum Cavernoſorum occupat. Magna ſaepiusque duplex, raro triplex exiſtit, verum ſecundarii Trunci ſuper Sulco minime a ſe invicem ſecedunt. Pluribus Valvulis inſtructa eſt.

582. Magna haec Vena intermedia ab Hypogaſtricorum Ramorum unione formatur, qui poſt ipſorum ſupra duo interna Pelvis latera tranſitum ſibi ibidem prope medium Arcus Oſſium Pubis occurrunt. Hoc in loco Plexus Venoſus reperitur, qui ſuperiorem primae portionis Urethrae convexitatem, antequam ab ipſius Texto Spongioſo circumdatur, contegit.

583. Poſtquam Spermatica Vaſa, quorum originem atque decurſum uſque ad ipſorum ex Abdomine exitum ſupra deſcripſi, in utroque latere verſus Teſticulum pervenerunt, in duos praecipue Faſces ſive Faſciculos dividuntur, quorum unus alterum craſſitie ſuperat. Craſſior anterius ſitus eſt, atque in Teſticulo in tota ipſius Subſtantia ac in gyris, plicis & replicationibus omnium parvorum ipſius Canalium mediante magno ſubtiliſſimorum Ramuſculorum Capillarium numero diſtribuitur.

584. Alter ſive minor Vaſorum Spermaticorum Faſciculus poſterior eſt, atque Epididymidem petit, in quo eodem modo diſtribuitur.

585.

585. Arteriam Spermaticam in ſpecie Ramulus Arteriae Epigaſtricae comitatur, qui ad ipſius latus uſque ad Teſticulum deſcendit, ubi reciproce Anaſtomoſin invicem formant. Parvus quandoque Arteriae Hypogaſtricae Ramulus adeſt, qui Vas Deferens ad Epididymidem uſque comitatur, ibique cum Spermatica Anaſtomoſin format.

586. *Nervi.* Nervi horum Organorum a Nervis Lumbaribus & a Nervis Sacris procedunt. Cum magno Nervo Sympathico, communiter Intercoſtali dicto, atque cum Meſentericis Plexibus communicationem alunt. Peculiarem verſus Arcum Oſſium Pubis in quolibet latere Funiculum invicem formant, qui infra huncce Arcum juxta convexitatis ſuperioris Corporis Cavernoſi vicini longitudinem, ad latus Arteriae, de qua ſupra dixi, excurrit.

587. Quo magis duo hi Funiculi ſupra Corpora Cavernoſa procedunt, eo majorem Ramorum numerum de ſe ſpargunt, qui Corpora haec ubique amplectuntur. Inter Cutem atque Membranam ſive Involucrum Ligamentoſum excurrunt. Ita diſpoſiti ſunt, ut Arteriae inter eadem atque magnam Venam mediam ſint. Paulo poſt ablatam Cutem examinandi ſunt, quoniam Ramuſculi eorundem ea proportione, qua ab aëre exſiccantur, diſparent.

588. Duo Nervi peculiares adſunt, qui Funiculum Vaſorum Spermaticorum comitantur; unus a Nervis Lumbaribus verſus anteriorem Oſſis Ilii Spinam venit: ex Abdomine per Muſculos

los tranſiens flexum inſtituit, & in tranſitu ad Cremaſterem Muſculum diſtinguendum inſervit. Alter horum duorum Nervorum a Plexu Renali procedit.

589. In quolibet latere adhuc unus adeſt, qui poſtquam ex ſecundi, tertii & quarti Paris Nervorum Sacrorum unione, aſt praecipue ex tertio natus eſt, e Pelvi ſupra Ligamentum Iſchio-Sacrum egreditur, internam Tuberis partem iſtamque parvi Rami Oſſis Iſchii tranſit, atque in Corporibus Cavernoſis, in Muſculis ad eadem pertinentibus & in partibus vicinis diſtribuitur.

PARTES NATURALES SEXUS FOEMININI.

590. Harum partium plures ſunt, & quaedam internae, quaedam externae exiſtunt. Una primaria eſt, & ad quam omnes reliquae ſive externae, ſive internae referuntur; eſt illa Uterus, qui unam ex internis partibus conſtituit. Reliquae partes internae Tubae Fallopii, Ovaria, Vaſa Spermatica, Ligamenta lata, Funiculi ſive Faſciae, Ligamenta Rotunda dictae, & Vagina Uteri ſunt. Partes externas Pubes, Alae, Nymphae, Clitoris, Orificium Urethrae & Orificium Vaginae Uteri conſtituunt.

591. *Uterus*. Pars haec inter Veſicam & Inteſtinum Rectum locatur. Corpus interius cavum, exterius albicans, mediocriter durum, ordinarie extra ſtatum ſive tempus graviditatis figuram fere Lagenae complanatae referens, exiſtit, cujus longitudo in adultis tres circiter digitos transverſos

ſos, craſſities unum digitum transverſum, latitudo verſus unam ipſius extremitatum duos, & verſus alteram vix unum adaequat. Volumen hocce ſecundum aetatem differt.

592. Portio latiſſima Fundus, & anguſtiſſima Collum appellatur. Situs ipſius obliquus eſt, ita ut Fundus poſterius & ſuperius, Collum anterius & inferius ſit, partes latae ſive Facies Veſicam & Inteſtinum Rectum reſpiciant, partesque anguſtae latera conſtituant.

593. Cavitas Uteri plana atque triangulo oblongo ſimilis eſt, cujus parva Linea ſive Coſta fundo Uteri directe reſpondet, duae magnae Lineae ſive Coſtae dextrum & ſiniſtrum latus occupant, cunctaeque tres introrſum verſus ſpatium quod formant incurvantur.

594. Duo e tribus hujus cavitatis angulis, qui ejusdem fundum limitant, eundem in dextro & ſiniſtro latere per Ductus admodum anguſtos, qui vix ſetam Porcinam admittere poſſunt, perforant. Tertius Angulus Ductum complanatum minusque anguſtum format, qui Collum Uteri juxta longitudinem perforat, & in extremitate hujus Colli in aperturam transverſam deſinit.

595. Apertura haecce Orificium Uteri internum ſalutatur. In ſtatu ordinario anguſtior quam Ductus Colli Uteri exiſtit; non niſi parvum ſtilum admittit. In Orificii hujus margine plura parva Foramina, quae parvis Granis Glanduloſis reſpondent, & e quibus Lympha glutinoſa exudat, reperiuntur.

596. Interna cavitatis Uteri ſuperficies Membrana ſubtiliſſima inveſtitur. Portio ipſius lata, quae ad fundum pertinet, admodum polita atque aequalis eſt; portio vero anguſta, quae ad Orificium ducit, peculiari modo rugoſa exiſtit.

597. Hujus Membranae, quae fundum cavitatis contegit, portio quamplurimis parvis foraminibus ſatis ſenſibilibus, per quae, quando totum Uteri corpus comprimitur, ſanguinis guttulae prodeunt, perforata eſt. Quandoque parvis ſubtiliſſimis pilis obſita & quaſi villoſa eſſe videtur. Pili hi haecque foramina in iſtis, quae Menſium tempore mortuae ſunt, plus minusve rubicunda & ſanguine tincta inveniuntur.

598. In parte anguſta, quaeque Collo reſpondet, quaelibet Facierum ſive Parietum per ſpeciem lineae prominentis in duas partes laterales dividitur. Longitudinalis haecce Linea in Facie ſuperiore ſive anteriore craſſior, quam in Facie inferiore ſive poſteriore exiſtit.

599. In duobus utriusque harum Linearum longitudinalium lateribus Lineae atque Rugae oblique transverſae, plus minusve inaequales, & Ramorum inſtar diſpoſitae reperiuntur, quarum longitudinales Truncos repraeſentant. Inter parvas haſce Lineas hasque Rugas, uti quoque in vicinia, parvae Lacunae conſpiciuntur, & mucoſus inde liquor exudat, qui Uteri Orificium obturat. In earundem Rugarum intervallis plura parva Grana globoſa atque tranſparentia, quae Recentiorum quidam pro Ovulorum ſpecie habuit, reperiuntur.

600.

600. *Structura.* Textum Corporis Uteri ſpongioſum, Vaſis intertextum admodumque ſtrictum exiſtit. Craſſities ipſius fere aequalis, & in latere Facierum atque Marginum uniformis eſt. Fundus in medio craſſior quam verſus duos Angulos exiſtit, verſus quos craſſities ipſius per gradus imminuitur. Craſſities marginum itidem verſus fundi angulos multum, verſus Colli extremitatem vero admodum parum decreſcit.

601. Uterus a portione Peritonaei, quae eidem Tunicae loco eſt, cooperitur. Portio haec non niſi iſtius, quae Veſicam atque Inteſtinum Rectum contegit, continuatio ſive continuitas eſt, quaeque a poſteriore & inferiore Veſicae parte ſupra totam Uteri partem anteriorem iterum aſcendit, ſupra ipſius fundum excurrit, ſupra poſteriorem ipſius partem iterum deſcendit, ſeſeque poſtmodum ad Rectum confert.

602. Haec Peritonaei Portio juxta totam cujuslibet partis lateralis ſive marginis Uteri longitudinem duplicationem latam format, quae in utrumque latus plus minusve directe uſque ad partem lateralem vicinam cavitatis Pelvis ſeſe extendit, & ſpeciem quaſi Septi Membranacei inter dimidiam partem anteriorem & dimidiam partem poſteriorem cavitatis Pelvis format. Septum hoc quod pauxillum laxum eſt, cum Peritonaeo poſtmodum ſupra Pelvis latera continuatur.

603. *Ligamenta Lata.* Duabus his lateralibus Duplicationibus nomen Ligamentorum Latorum imponunt: Alae quoque Veſpertilionum appellantur.

lantur. Ambarum margo ſuperior ex parte duplex ſive replicatus eſt, ita ut duae parvae peculiares Duplicationes inde exurgant, quas parva Folia ſive parvas Ligamentorum Latorum Alas voco, quarumque anterior magis elevata quam poſterior exiſtit. Ambae laxae & fluctuantes quaſi ſunt.

604. Omnium harum Duplicationum Laminae mediante Texto Celluloſo, fere uti reliquae Peritonaei Duplicationes invicem cohaerent, atque Tubas Fallopii, Ovaria, partem Vaſorum Spermaticorum, portionem Vaſorum quae ad Uteri Corpus tendunt, Funiculos ſive Faſcias, quae communiter Ligamenta Rotunda audiunt, Nervos, &c. includunt.

605. *Ovaria* duo albicantia, ovalia, complanata & longiuſcula Corpora ſunt, quae ad latera fundi Uteri locantur. Quodlibet per Ligamenti rotundi brevisque ſpeciem ibidem annectitur, atque cum eodem hocce Ligamento in parvi Folii ſive parvae Alae poſterioris Ligamenti lati duplicatione involvitur.

606. E Texto ſpongioſo admodum ſtricto, atque ex pluribus parvis Globulis ſive Veſiculis admodum pellucidis, quibus nomen Ovorum impoſuere, componuntur. Spongioſum Textum quamlibet harum Veſicularum arctiſſime circumdat, imo etiam cuilibet corticis ſive Calicis ſpongioſi peculiaris ſpeciem largiri videtur. Ab aliis Veſiculis praeternaturalibus, quae Hydatides appellantur, bene diſtingui debent.

607. Ligamenta Ovariorum, parvarum Alarum

rum ſive parvorum Foliorum poſteriorum Ligamentorum latorum margini, fere uti Vena Umbilicalis margini Ligamenti anterioris ſive Ligamenti Umbilicalis Hepatis, includuntur. Funiculi quaſi rotundi & ex Texto filato fabrefacti ſunt, qui una extremitate angulo fundi Uteri pauxillum ſupra horizontalem hujus fundi lineam & pauxillum poſterius annectuntur. Cavi eſſe credebantur, & tanquam Vaſa Deferentia conſiderabantur.

608. *Tubae Fallopii* duo Canales molliuſculi, conici & vermiformes, in quolibet Uteri latere ab Uteri fundo uſque verſus partes Pelvis laterales plus minusve transverſim ſiti, & parvorum Foliorum ſive parvarum Alarum anteriorum Ligamentorum latorum duplicationi incluſi ſunt.

609. Quaelibet anguſta ſua extremitate angulo fundi Uteri annectitur, ibique hiat. Extremitates hic locorum admodum anguſtae ſunt, nihilque niſi ſetam plus minusve craſſam admittunt. Poſtmodum Tubarum diameter ad extremitates oppoſitas uſque, ubi quatuor circiter lineas adaequat, per gradus creſcit. Corpus Tubarum ſerpentino parumper tractu procedit, earumque magnae extremitates verſus Ovaria incurvatae ſunt.

610. Magnae Tubarum extremitates inaequaliter rotundae ſunt, atque in anguſtum & parumper plicatum orificium, quod verſus Ovarium vertitur, quodque mox inſtar ſpeciei membranaceae, plicatae & inciſae Fimbriae latius evadit, deſinunt. Fimbria haecce Vexillum Tubae Fallopianae vocatur.

611.

611. Latitudo Fimbriae non ubique aequalis eſt. In circumferentia ſua quaſi ovalis eſt, ipſiusque inciſurarum longiſſima ad Ovaria uſque extenditur, ibique annectitur. Plicae in Vexilli concavitate in modum parvorum Foliorum quaſi formantur.

612. Tubae ex Fibris carnoſis compoſitae ſunt, quarum quaedam longitudinales, reliquae oblique circulares, omnes alia Subſtantia admodum ſubtili ornatae atque implicitae ſunt.

613. Anterior Ligamenti Lati Ala utrique Tubae, fere uti Meſenterium ratione Inteſtinorum, Inſertionem praebet, atque loco Tunicae communis ſive externae eſt. Id quod in cauſa eſt, ut Tubae, imprimis earundem Fimbriae, plus minusve fluctuent, atque efficit, ut directio earundem in quamplurimis Figuris admodum indeterminata ſit.

614. Cavitas earundem a molliuſcula & glanduloſa quaſi Membrana inveſtitur, & juxta longitudinem fere uti interna Aſperae Arteriae ſuperficies plicata eſt. Plicae hae in craſſis extremitatibus magis elevatae atque robuſtiores quam alibi exiſtunt. Craſſities earundem ſpongioſa quaſi eſt, earumque interſtitia Lympha, quae continue inde exudat, plus minusve madida ſunt.

615. *Vaſa Sanguifera* harum partium plurium ſpecierum ſunt, Arteriae ſcilicet atque Venae Hypogaſtricae, quarum Ramuſculi ad Corpus Uteri praecipue pertinent, ſic dicta Vaſa Spermatica, atque duo Funiculi Vaſculoſi, communiter Ligamenta Rotunda dicti, quae potius Vaſculoſi Uteri

Uteri Funiculi ſive Funiculi Vaſculoſi Ligamentorum Latorum vocari poſſent.

616. Rami Hypogaſtrici Arterioſi atque Venoſi Ramuſculi ſunt, qui in utroque latere ab Arteria atque Vena ejusdem nominis oriuntur, margines ſive lateralem Uteri portionem petunt, & in cunctis ipſius tam internis quam externis partibus diſtribuuntur. Quamplurimas ubique inflexiones & implicationes multiplicatas formant.

617. Arteriae unius lateris ſuper Utero & in Uteri craſſitie cum iſtis alterius lateris communicant, ſive Anaſtomoſes formant, & Arterioſi cujuslibet lateris Ramuſculi inter ſe invicem multas Anaſtomoſes alunt. Venae pariter hinc & illinc quamplurimas communicationes proportionate efficiunt. Cuncta haec Vaſa cum Spermaticis & cum Vaſculoſis Ligamentorum Latorum Faſciis atque cum Haemorrhoïdalibus communicant ſive Anaſtomoſes alunt.

618. Clare frequentes Anaſtomoſes, factis antea convenientibus Ligaturis, ne liquor aut ventus in alias partes penetret, per injectiones immiſſas & dum Hypogaſtricae inflantur, demonſtrantur. Extremitates plurium harum Arteriarum exiſtunt, quae, uti ſupra diximus, ad cavitatem Uteri tendunt, & in eandem hiant. Venae hoc peculiare habent, quod cum Venis Haemorrhoïdalibus internis, & per conſequens cum Vena Portae communicationem alant.

619. Vaſa Spermatica hic eadem fere origine, eodem progreſſu iisdemque implicationibus quam

in

in Sexu Maſculino gaudent. Extra Abdomen non egrediuntur, ſed in Ovaria Tubasque ſe conferunt, & cum Hypogaſtricis & Vaſculoſis Ligamentorum Latorum Funiculis communicationem alunt. Venae Arterias habito reſpectu numero ſuperant. Vaſa haec quoque lateraliter in Ramuſculos dividuntur, & cum Meſaraïcis Venae Portae communicare videntur.

620. Funiculi Vaſculoſi, communiter Ligamenta Rotunda dicti, duo longi Faſciculi Arteriarum Venarumque admodum tenuium, per ſubtiliſſimum Celluloſum Textum ſibi invicem implicatarum & colligatarum ſunt, quae in craſſitie magnae Ligamentorum Latorum duplicationis ab utroque fundi Uteri angulo uſque ad Annulares Abdominis aperturas repunt.

621. Quilibet Faſciculus in toto hocce trajectu in anteriore Duplicationis utriusque Ligamenti Lati Facie elevationem ſive prominentiam format, ita ut Lamina ejusdem lateris, id eſt, anterior Faſciculo Vaſculoſo ſpeciem Tunicae praebeat, eumque inſtar Funiculi peculiaris anteriori Duplicationis Faciei applicati atque agglutinati praeſentet.

622. Funiculi hi ex Spermaticorum Vaſorum cum Hypogaſtricis Vaſis communicatione oriri videntur, & pro peculiari Vaſorum Spermaticorum continuatione haberi poſſent. Diſpoſitio eorundem inſertionum in angulis fundi Uteri reſpectu illius Tubarum Fallopii & Ligamentorum Ovariorum, quae in eodem fere loco conſpiciuntur, ita ſe habet,

habet, ut Tubae magis elevatae, Ligamenta Ovariorum poſterius, & Funiculi, Ligamenta Rotunda dicti, anterius pauloque magis inferius quam Ligamenta Ovariorum ſita ſint.

623. Poſtmodum iter iſti Vaſorum Spermaticorum in Viris fere ſimile inſtituunt, & Pelvi per Aperturas Muſculorum Abdominis uſque ad ſuperiorem & fere mediam Inguinum partem, ubi in Pinguedine diſparent, egrediuntur. Vaſa haecce Materiam Lacunarum, de qua poſtmodum ſermo erit, ſubminiſtrare, ſuſpicari poteſt. Ex Abdomine egredientia a Texti Celluloſi Peritonaei continuatione, fere uti Funiculus Spermaticus in Viris, & a Faſciculo Fibrarum carnoſarum inſtar ſpeciei Cremaſteris comitantur.

624. *Nervi. Vaſa Lymphatica. Ductus Lactei.* Praeter cuncta haec Vaſa Nervi & Vaſa Lymphatica reperiuntur, quibus Ductus Lactei, qui ibidem in ſtatu procedentis graviditatis deteguntur, addi poſſunt. Nervi a Lumbaribus, Sacris & magno Sympathico Nervo, fere uti in Viris, proveniunt. Vaſa Lymphatica praecipue in Tunicis, quae Peritonaei continuationes ſunt, repunt. Quod Lacteos Ductus attinet, de iisdem, uti etiam de peculiaribus Fibris, quae in craſſitie parietum Uteri tempore graviditatis implicatae eſſe videntur, quarumque intimae, quoniam in hocce ſtatu inſtar Vorticum diſpoſitae ſunt, Domino Ruyſchio occaſionem ſubminiſtrarunt, ut easdem ſub nomine Muſculi Orbicularis Uteri ſpecialiter deſcripſerit, alibi ſermonem inſtituam.

625. *Pubis.* Ita Eminentia lata, quae exterius in parte inferiore Hypogaſtrii in intervallo duorum Inguinum conſpicitur, quo in loco, poſt certum Juventutis gradum, ſpecies Pilorum qui in Lingua Latina Pubes dicuntur, & iſtis qui infra Axillas repeғiuntur, fere ſimiles ſunt, creſcunt, appellatur. Eminentia haecce non niſi peculiaris Membranae Adipoſae, Pinguedine plus minusve repletae, anteriorem Oſſium Pubis partem, parvasque quasdam vicinorum Muſculorum portiones contegentis craſſities eſt.

626. *Sinus. Alae.* Veteres longitudinalem cavitatem, quae a media & inferiore Pubis parte uſque ad unius circiter pollicis ab Ano diſtantiam directe deorſum deſcendit, Sinum vocaverunt. Lateralibus cavitatis partibus Alarum nomen impoſuere, nomen quod magis quam illud Labiorum, quemadmodum vulgo vocantur, convenit. Loca ubi Alae ſuperius & inferius invicem conjunguntur, Commiſſurae audiunt. Simpliciter quoque Extremitates ſive Anguli Sinus appellari poſſunt.

627. Alae ſuperius magis quam inferius prominent & craſſiores exiſtunt, & inferius magis quam ſuperius ſibi invicem junguntur ſive appropinquantur. Praecipue e Cute, e Texto Spongioſo & ex Pinguedine componuntur. Cutis, quae easdem exterius tegit, non niſi iſtius Pubis & Inguinum continuatio eſt. Plus minusve aequalis, pluribusque parvis Granis Glanduloſis, e quibus cerumini ſimilis albicans materia exprimi poteſt, obſita eſt; atque itidem eodem modo uti Pubis in certa aetate contegitur.

628.

628. Interna Alarum facies aliquo modo rubicundae Labiorum Oris parti ſimilis eſt. Circumcirca ab externa per ſpeciem Lineae diſtincta eſt, fere uti rubicunda Labiorum portio a Cute vicina diſtinguitur. Tenuior pariter magisque unita quam Cutis externa exiſtit. Magnus ibidem Pororum numerus, & in ipſius craſſitie multa parva Grana Glandulofa, quae Liquorem plus minusve Sebaceum ſubminiſtrant, obſervantur. Grana haec quoque verſus marginem craſſiora quam verſus interiora ſunt.

629. *Lacunae.* Verſus internum utriusque Faciei internae marginem in quolibet latere Orificii Vaginae Uteri, de qua poſtmodum ſermo erit, parvum Foramen, reliquis omnibus viſibilius reperitur. Duo haec parva Foramina Lacunae audiunt. Mediantibus duobus parvis Tubis duobus Corporibus Follicoſis, quae in interna Alarum craſſitie ſita ſunt, quaeque pro parvis Proſtatis, parvis Proſtatis ſive Proſtaticis Glandulis in Viris ſimilibus habentur, reſpondent. Quando comprimuntur, viſcoſus ex iisdem liquor exit.

630. Supra ſuperiorem Commiſſuram a parvo cujuslibet Oſſis Pubis Ramo Ligamentum tenue & planum deſcendit, quod per pinguedinem craſſitiei utriusque Alae penetrat, ibique verſus marginem ſenſim ſenſimque obliteratur. Tanquam Ligamenta Suſpenſoria Alarum conſiderari poſſunt. Inferior Alarum Commiſſura, fere inſtar Ligamenti Membranacei, admodum tenuis eſt, & inferius cum vicina earundem Facierum internarum parte Foſſulam, Foſſulam Navicularem, ſive Foſſulam Scaphoïdem

dictam, format. Plana horum duorum Ligamentorum fere parallela ſunt. Inter inferiorem Alarum Commiſſuram atque Anum non niſi ſpatium magnum circiter transverſum digitum adaequans exiſtit, quod Perinaeum appellatur.

631. Reliquae partes externae in Sinu inter duas Alas locantur & abſconduntur. Directe infra ſuperiorem Alarum Commiſſuram Clitoris cum ſuo Operculo, quod Praeputium dicitur, eſt. Parumper poſtea deſcendendo Urethrae Orificium reperitur. Poſtmodum inferius magis magnae Uteri Vaginae Orificium eſt. Vaginae hujus circumferentia aut Circulo Membranaceo, qui Hymen dicitur, aut portionibus carnoſis, quae Carunculae Myrtiformes dicuntur, cingitur. In quolibet Clitoris latere replicatio inſtar Criſtae admodum prominens incipit, quae ad latus Orificii Urethrae oblique deſcendit, & ad latus magnae Vaginae Orificii terminatur. Duae hae replicationes Nymphae audiunt, & Criſtae quoque Clitoris vocari poſſunt. In quolibet latere Orificii magnae Vaginae parvum Foramen Proſtaticum eſt, de quo ſupra diximus.

632. *Clitoris* ſtatim absque diſſectione inſtar parvae Glandis, excepto quod non perforata ſit, apparet. Superius atque lateraliter a ſpecie Praeputii, per peculiarem portionis Faciei internae Alarum replicationem formati, contegitur. Replicatio haec ſive Praeputium glanduloſum eſſe, & humiditatem fundere videtur. Interna ipſius Facies granoſa eſt.

633. Mediante diſſectione Truncus adhuc & duo Rami fere inſtar Penis ibidem reperiuntur; totum itidem

itidem ex ſpongioſo ſive cavernoſo Texto, & ex elaſticis admodum Tunicis ſive Membranis compoſitum eſt, ſed Urethra deſideratur. Textum hoc itidem flatu,& mediante Anatomica in Arteriam &c. injectione intumeſcit. Craſſities Trunci quoque per Septum intermedium ab ipſius Furca ad Glandem uſque, ubi ſenſim ſenſimque obliteratur, in partes laterales dividitur.

634. Trunci Furca in margine cartilaginoſi Oſſium Pubis Arcus eſt. Quilibet Ramorum, qui itidem Radices quaſi Corporum Cavernoſorum conſtituunt, margini pariter Rami inferioris Oſſis Pubis vicini annectitur, atque interius ſupra parvum Iſchii Ramum extenditur, ubi pedetentim finitur, quamvis Tubi membranacei portio in quibusdam ſubjectis ad Tuberem uſque extendi videatur.

635. Truncus Clitoris a Ligamento ſuſpenſorio proportionato ſuſtentatur, quod Symphyſi Oſſium Pubis annectitur, huncque Truncum, fere uti in altero ſexu in duplicatione ſua includit.

636. Quatuor Muſculi ſive Faſciculi Fibrarum carnoſarum, in quolibet latere duo, Trunco Clitoris annectuntur. Unus e duobus cujuslibet lateris juxta longitudinem Corporis Cavernoſi vicini deſcendit, illud anterius contegit, & poſtmodum mediante Tendinoſa ſive Aponevrotica portione partim extremitati Corporis Cavernoſi, partimque inferius magis Tuberi Oſſis Iſchii inſeritur. Muſculo huic ipſiusque pari nomen Erectorum imponitur; illud Iſchio-Cavernoſorum magis convenit.

637. Alter cujuslibet lateris Muſculus immedia-

te infra priorem ſitus eſt: ad latus Urethrae & magnae Vaginae Uteri, ad Ani Sphincterem uſque ſeſe expandendo deſcendit, in quo ex parte fere uti iſte, qui in Viris communiter Accelerator appellatur, finitur.

638. Muſculus hic cum pari ſuo alterius lateris Urethram atque magnae Vaginae portionem lateraliter & arcte admodum invicem amplectuntur. Deſcendendo admodum latus evadit, atque verſus inferiora uſque ſupra laterales magnae Vaginae partes expanditur; ita ut plures Anatomici duos hoſce Muſculos pro ſpecie Sphincteris ſive Cinguli Muſculoſi habuerint. Omnes hi Muſculi, praecipue duo ultimi, pinguedine ſaepius inſtructi, imo plane tecti ſunt.

639. Vaſa Sanguifera Clitoris praecipue a Vaſis Hypogaſtricis veniunt. Nervos ſecundum atque tertium Par Nervorum Sacrorum ſubminiſtrat, iisque mediantibus cum Plexu Meſenterico inferiore, atque cum magnis Nervis Sympathicis communicationem alunt.

640. *Nymphae.* Criſtae quoque Clitoris, parvae Alae ſive Alae internae vocari poſſunt. Duae replicationes admodum prominentes cutis internae magnarum Alarum ſive Alarum externarum ſunt, quae a Clitoris Praeputio uſque verſus duo Orificii magnae Vaginae latera extenduntur. Ab initio inſtar apicis admodum anguſtae ſunt, deſcendendo latiores evadunt, & in inferiore earundem extremitate denuo coarctantur.

641. Textum earundem ſpongioſum eſt. In craſſi-

craſſitie ſua glanduloſae exiſtunt, atque Grana glanduloſa ibidem ſenſus non effugiunt. Oblique ſitae ſunt, ita ut ſuperiores earundem extremitates ad ſe invicem accedant, atque inferiores a ſe invicem diſcedant. In Foeminis plus minusve flaccidae exiſtunt.

642. *Urethra.* Ita Ductus Urinalis vocatur. Orificium ipſius in Nympharum intervallo, infra Glandem Clitoris eſt. Inſtar ſpeciei Ceſticilli pauxillum rugoſi, parvisque Lacunis, e quibus Succus plus minusve viſcoſus ſive mucoſus exprimi poteſt, notati ſe habet. Tempore graviditatis Orificium hocce quandoque interiora verſus retrahitur.

643. Urethrae corpus Ductus, fere uti in Viris ſpongioſus, aſt admodum brevis eſt, qui directe infra Clitoris Truncum, & ſupra magnam Uteri Vaginam locatur; ita ut, utrisque mediantibus Membranis Filatis adhaerendo, directe medium inter duo locum occupet. Infra cartilaginoſum Oſſium Pubis Arcum excurrit, oſtioque obliquo cum Collo Veſicae congreditur. Inter duas ſuas extremitates leviter deorſum incurvatur.

644. Interna Urethrae Membrana parumper plicata eſt, & a parvis Foraminibus, quae Folliculis in ipſius craſſitie latitantibus, uti in Viris reſpondent, perforatur. Quando uni horum Foraminum flatum immittimus, ventum parvum quendam Canalem, ab exteriori introrſum tendentem, & in quibusdam locis in modum Ampullae ſeſe terminantem attollere videbimus. Quando comprimuntur, viſcoſus liquor inde exit.

645. Membranae hujus continuatio, quae Veſicae Collum inveſtit, Rugas quoque plus minusve aequales efficit; aſt illa quae Veſicae cavitatem obducit, quando Veſica vacua exiſtit, inaequaliter rugoſà eſt.

646. *Vagina Uteri.* Magnus Uteri Canalis Collum Uteri quondam vocabatur. Infra Urethram atque ſupra Inteſtini Recti extremitatem locatur. Quoniam interius atque poſterius magis elevatus quam exterius ſive anterius eſt, ſitum parumper obliquum obtinet.

647. Interna ſive poſterior ipſius extremitas cum corporis Uteri extremitate unitur, illiusque Orificium amplectitur, fere uti Inteſtinum Duodenum circum Pylorum, aut uti Inteſtinum Caecum cum Colo circum extremitatem Ilei annectitur.

648. Anterior ipſius extremitas magnum Orificium, quod infra Urethrae Orificium & ſupra foſſulam Commiſſurae inferioris Alarum conſpicitur, format.

649. Corpus Vaginae e Texto praecipue ſpongioſo, quamplurimis Vaſis Sanguiferis intextis, compoſitum eſt. In Virginibus ordinarie habito reſpectu majorem longitudinem minoremque latitudinem ſive diametrum quam in Foeminis habet.

650. Interna ſuperficies ſive concavitas Vaginae plus minusve rugis transverſis inſtruitur, atque Membrana peculiari inveſtitur. Rugae a longis, anguſtis, & per totidem quaſi Arcuum portiones ſibi invicem quam maxime vicinorum, atque ita diſpoſitorum, ut concavitatem Vaginae in duas

Facies,

Facies, unam ſuperiorem & alteram inferiorem dividant, curvatis eminentiis formantur.

651. Arcuum ſive ſuperiorum Rugarum cum inferioribus mediantibus earundem extremitatibus occurſus ſpeciem Raphe ſive Suturae irregularis in dextro ſiniſtroque latere format. Omnes hi Arcus quandoque in ipſorum medio interſecti, & in duos dimidios Arcus diviſi ſunt. Haecce variant.

652. Arcus hi in genere in juventute & in Virginibus admodum notabiles ſunt. In Foeminis magis ſuperficiales evadunt, & per puerperia plus minusve obliterantur.

653. Interna ſive poſterior magnae Vaginae extremitas Uteri Orificium pauxillum oblique circumdat, ita ut ſuperior Vaginae paries proxime Uteri Orificium exiſtat, inferiorque paries ab eodem diſtet; unde Uteri extremitas inferius magis quam ſuperius in Vaginam procedere videtur.

654. *Circulus Membranaceus.* Anterior ſive externa magnae Vaginae extremitas in Virginibus, inprimis in infantia & ante Menſtrua Replicatione ordinarie membranacea plus minusve circulari, magis minusve lata, plus minusve aequali, quandoque ſemilunari, quae in quibusdam ſubjectis aperturam admodum parvam, in aliis majorem relinquit, aſt externum magnae Vaginae Orificium in genere anguſtius ordinarie quam cavitatis ipſius diametrum reddit, cingitur. Haecce Replicatio Hymen vocatur. Ab occurſu Membranae internae magnae Vaginae cum Membrana ſive Cute Faciei internae magnarum Alarum formatur. Circulum

membranaceum plus minusve latum & quandoque inaequalem repraeſentat.

655. *Carunculae.* Circulus membranaceus ordinarie poſt celebratum Concubitum diſruptus reperitur. Per Puerperium obliteratur, tuncque non niſi ſegmina irregularia ordinarie remanent, quae Carunculae Myrtiformes, ob aliqualem cum foliis Myrti ſimilitudinem vocantur. Circulus adhuc per Menſtrua nimia, per circumſtantias peculiares, per imprudentiam aut animi levitatem detrimentum quoddam capere poteſt.

656. *Plexus Retiformis.* Quodlibet portionis anterioris magnae Vaginae latus exterius Cavernoſo & Vaſculoſo, tenui latoque Plexu cooperitur, qui Retiformis hujus Vaginae Plexus vocatur. Duo haec Plana in utroque latere a Clitori retro Nymphas deſcendunt, & in tranſitu Urethram quoque, antequam ſupra magnam Vaginam expanduntur, inſtar Collaris contegunt.

657. Plexus hi internae Faciei Cinguli Muſculoſi, quod pro Muſculis Acceleratoribus ſive Conſtrictoribus habetur, agglutinatur, ita ut inter hoſce Muſculos ſive Cingulum Muſculoſum atque partes laterales Urethrae magnaeque Vaginae ſit.

658. Textum Plexus inſtar Lienis molliuſculi, fereque uti illud Clitoris, cum quo etiam communicare videtur, flatu intumeſcit. Id quod laterales hujus Retiformis Plexus portiones Crura Clitoris interna vocare occaſionem ſubminiſtravit. Retis Vaſorum mirabilis ſpecies eſt, quae praecipue ab Hypogaſtricis proveniunt.

659. *Nota.* In quolibet fundi Pelvis latere in utroque Sexu, e regione circiter partis inferioris Veſicae Ligamentum Aponevroticum ſive Tendinoſum reperitur, quod internam Muſculi Obturatoris interni ſuperficiem ab anteriori retrorſum tranſit. Anterior hujus Ligamenti extremitas lateri partis mediae Symphyſis Oſſium Pubis annectitur. Poſterior extremitas mediae Ligamenti Sacro-Iſchiadici parti, de quo in Tractatu de Oſſibus Recentibus dixi, annectitur.

660. Pauxillum ſupra Proceſſum, qui Veſicae Collum ſalutatur, alia Ligamentoſa Expanſio in quolibet Veſicae latere conſpicitur. Expanſio haec anterius anguſta eſt, atque extremitati anteriori Ligamenti, de quo modo dixi, annectitur. Poſterius lata eſt, Veſicaeque lateri annectitur. Duae hae Expanſionum lateralium ſpecies pro peculiaribus Veſicae Ligamentis, quae eandem internae utriusque Oſſis Pubis Faciei annectunt, haberi poſſunt.

661. Anteriori utriusque Ligamenti Veſicae portioni peculiaris Fibrarum carnoſarum ſupra anteriorem Veſicae Faciem oblique aſcendentium, Faſciculus annectitur. Iſtae unius lateris illis alterius lateris hic occurrunt, ibique ſeſe decuſſando ſpeciem implicationis Muſculoſae invicem formant, atque cum Fibris Veſicae quam maxime transverſis uniuntur.

662. Duo hi Fibrarum carnoſarum Faſciculi ex parte, & fortaſſis potiſſimum id, quod Sphincter Veſicae appellatur, formant. Ut veram

ram de iiſdem ideam nobis formare poſſimus, in earundem ſitu, atque in naturali earundem connexione examinandi ſunt. Quando Veſica ſecundum ordinariam diſſecandi methodum e loco ſuo naturali eximitur, Faſciculi hi ſtatim diſcinduntur, qui mox directionem ſuam amittunt, atque inſtar Fibrarum transverſarum apparent, quas ii qui easdem non cognoſcunt, pro Sphincteris orbicularis portionibus habent.

663. In Viris duo hi Faſciculi Proſtatis ex parte annectuntur; in Foeminis admodum lati exiſtunt, & quandoque in quolibet latere duplices, unus ſupra alterum, apparent. Faſciculi hi veri Muſculi, mediantibus parvis Tendinibus ad latus Symphyſis Oſſium Pubis annexi exiſtunt.

EXPO-

EXPOSITIO ANATOMICA STRUCTURAE CORPORIS HUMANI.

TRACTATUS DE PECTORE.

IN Synoptico Tractatu de cunctis tam externis quam internis partibus, e quibus id, quod Anatomici in Corpore Humano Ventrem medium, Thoracem, Pectus vocant, componitur, generalem ideam ſubminiſtravi; unde eadem hic repetere non neceſſarium eſſe duco. Nihilominus ad eundem, antequam praeſentis Tractatus Lectio ſuſcipitur, ut confugiatur neceſſe eſt.

CONFORMATIO EXTERNA THORACIS.

2. Quando Pectoris volumen in toto, & ſecundum externam ſuam circumferentiam in Homine vivo conſideratur, communiter nonſolum per Sternum, Vertebras Dorſi atque Coſtas, quemadmo-

admodum in Synoptico Tractatu diximus, determinatur; ſed tota adhuc extenſio, quae inter duorum Brachiorum cum Homoplatis atque Claviculis Articulationes comprehenditur, eidem adjicitur. Hoc modo externa Thoracis Figura in naturali ſanitatis atque mediocris corpulentiae ſtatu ſuperius latior quam inferius exiſtit.

3. Muſculi Pectorales majores & Latiſſimi Dorſi, hancce partis ſuperioris Pectoris latitudinem, quando directe ab anteriori aut poſteriori aſpicitur, repraeſentant. E contrario quando directe ab uno ipſius laterum conſideratur, pars ſuperior ipſius voluminis anguſtior ſuperius quam inferius, in Corpore integro uti etiam in Pectore, a quo omnia, quae latera contegunt, ablata fuerunt, & in Sceleto apparebit.

4. Communia Involucra ſive Tegumenta Pectoris in genere eadem quam iſta Abdominis ſunt. Praeter haecce Involucra convexitas Pectoris adhuc a pluribus Muſculis inveſtitur; anterius ſcilicet, a Pectoralibus majoribus, Pectoralibus minoribus; magna Serratorum majorum portione, quibus Subclavii adhuc, portio Scalenorum, imo etiam Obliquorum externorum Abdominis portio addi debent: Poſterius a cunctis Muſculis a quibus duae Homoplatarum Facies conteguntur, a Serratis poſterioribus, a Sacro-Lumbarium, Longiſſimorum Dorſi, Vertebralium parte, &c. quemadmodum in Tractatu de Muſculis videre eſt. Inter cunctas externas Pectoris partes non niſi duae in Corpore Humano eidem propriae ſunt: ſunt illae

illae Eminentiae, Mammae dictae, quarum Hiſtoria hic traditur.

CAVITAS PECTORIS.

5. *Compoſitio.* Partes durae quaeque illius congeriem componunt, duodecim Vertebrae Dorſi, omnes Coſtae atque Sternum ſunt. Partes molles, quae ipſius compoſitioni complementum addunt, ſunt Membrana, Pleura dicta, quae eandem inveſtit, Muſculi Intercoſtales, Sterno-Coſtales & Diaphragma, de quibus in Tractatu de Muſculis fuſius locutus ſum.

6. *Figura.* Omnes hae partes tam durae quam molles ſpeciem Caveae figurae aliquo modo conicae, anterius complanatae, poſterius depreſſae Vertebrarumque Dorſi prominentia in duos quaſi receſſus diviſae, tandemque inferius in fornicatam, latam & ab anteriori retrorſum inclinatam Baſin deſinentis invicem repraeſentant. Muſculi Intercoſtales Coſtarum Interſtitia replent, parietibus hujus Cavitatis complementum addunt, atque Diaphragma ipſius Baſin conſtituit. Pleura nonſolum ipſius ſuperficiem inveſtit, ſed etiam Septum, Mediaſtinum dictum, quod Cavitatem in dextram & ſiniſtram dividit, format.

MAMMAE.

7. Nomen hoc in genere duabus Eminentiis plus minusve rotundis in anteriore & pauxillum laterali Pectoris parte ita ſitis, ut media earundem

pars

pars ſive centrum fere e regione extremitatis oſſeae ſextae Coſtae Verae cujuslibet lateris ſit, imponitur. Secundum aetatem atque Sexum volumine atque forma variant.

8. In Infantibus utriusque Sexus, & in Viris cujuscunque aetatis ordinarie non niſi Tubercula cutanea inſtar Verrucarum molliuſcularum, plus minusve rubicundarum ſunt, quae Papillae vocantur, quarumque quaelibet parvo Circulo ſive Diſco mediocriter lato, admodum tenui, coloris plus minusve ad fuſcum vergentis, atque ſuperficiei inaequalis, circumdatur. Areolam appellant.

9. In ſequiore Sexu tempore adoleſcentiae, quandoque cito, quandoque tarde, duabus hiſce partibus tertia inſtar tumoris ſive Extuberationis plus minusve convexae atque rotundae, cujus latitudo ad quinque aut ſex digitos transverſos uſque extenditur, quaeque in medio fere ſuae convexitatis Papillam & Areolam oſtendit, ſupervenit. Id quod proprie Mamma vocatur, quodque etiam Corpus Mammae reſpectu duarum reliquarum ipſius partium appellari poteſt. Corpus hoc cum aetate augetur, in gravidis atque lactantibus magnum volumen acquirit. In ſenectute quoque, quae idem firmitate aeque atque conſiſtentia naturali privat, imminuitur.

10. *Corpus Mammae.* Ex parte glanduloſum & ex parte pingue exiſtit. Corpus glanduloſum interſperſis portionibus Membranae Adipoſae exiſtit, cujus Pelliculae Celluloſae magnum Vaſorum

rum Sanguiferorum, Vaſorum Lymphaticorum, Ductuum Seroſorum ſive Lacteorum numerum, cum magno parvorum Racemorum Glanduloſorum numero qui ab eodem dependet, ſuſtinent; omnia haec inter duas Membranas, quae Pelliculrum continuatio ſunt, firmiter retinentur.

11. Intima harum duarum Membranarum, quaeque fundum & baſin quaſi Corporis Mammae conſtituit, craſſa, fere plana eſt, atque Muſculo Pectorali Majori annectitur. Altera Membrana ſive externa ſubtilior eſt, atque in Corpore Mammae Tegumenti peculiaris plus minusve convexi ſpeciem format, Cutique fortiter adhaeret.

12. Pingue ſive Adipoſum Mammae Corpus in ſpecie Glomus ſpongioſus pinguedine plus minusve interſtinctus eſt. Pellicularum membranacearum congeries eſt, quae ſuarum externarum Facierum diſpoſitione Membranam quaſi peculiarem inſtar ſacci invicem formant, in quo totum reliquum Corporis pinguis ſive Adipoſi includitur. Anterior ſive externa hujus Sacci portio, id eſt, iſta quae Cutim attingit, admodum tenuis exiſtit; cum e contrario altera, quae Muſculo Pectorali majori incumbit, craſſa ſit.

13. *Ductus Lactei.* Corpus Glanduloſum Maſſam albam includit, quae non niſi Ductuum Membranaceorum, in origine ſua anguſtorum, in eorundem medio latorum congeries eſt, qui Maſſam albam praecipue comitantur, atque Papillam petendo denuo arctantur, verſus quam ſpe-

ciem circuli communicationis formant. Ductus Lactei audiunt.

14. *Areola.* Diſcus ſive coloratus Circulus, de quo ſupra dixi, a Cute formatur, cujus interna ſuperficies quamplurima parva Corpora Glanduloſa illius ſpeciei ſuſtinet, quae Dominus Morgagni Sebaceas Glandulas vocat. Diſtincte admodum in tota Areola, exterius etiam apparent, ubi parvas eminentias planas formant, quae monticulorum inſtar circum totam Circuli ſive Diſci extenſionem per intervalla elevantur.

15. Tubercula haecce ſive monticuli a parvo Foramine perforantur, per quod Sebacea ſive Caſeoſa plus minusve liquida materia exprimi poteſt. Quandoque ſeroſus Liquor; quandoque Lacteum Serum, imo etiam Lac purum, praecipue in nutricibus inde exprimitur. Guttas ſeroſas atque guttas lacteas ex iisdem egredi vidi.

16. Hoc, quod cum Lacteis Ductibus communicationem alant, quodque pro parvis auxiliaribus Papillis, quae veris Papillis paululum ſupplent, haberi poſſint, animum induxit. Materiae ſive diverſi Liquores, qui ex eodem Corpore Glanduloſo ſucceſſive exprimi poſſunt, inſuper, ut cujuslibet horum parvorum foraminum fundum cum pluribus aliis minoribus communicare credamus, inducunt.

17. *Papilla.* Ita Tuberculum ſive Globulus, qui e centro Areolae aſſurgit, in ſpecie appellatur. Volumen ipſius ſecundum aetatem atque temperamentum in genere, & ſecundum diverſos Sexus

xus ſequioris ſtatus in ſpecie differt. In Foeminis gravidis, & in iſtis quae ubera Infantibus praebent, volumen ejusdem ordinarie reſpectu altitudinis ſive longitudinis notabilius quam ratione latitudinis ſive craſſitiei exiſtit. In quibusdam admodum brevis eſt, id quod Infanti ſugenti multum incommodi parit.

18. Textum Papillae ſpongioſum, elaſticum ac conſiſtentiae variationibus ratione firmitatis atque flacciditatis obnoxium eſt. Pluribus inprimis Ligamentoſis Faſciculis, quorum extremitates baſin atque apicem Papillae formant, compoſitum eſſe videtur. Faſciculi hi juxta totam eorundem Fibrarum longitudinem leviter plicati eſſe videntur; ita ut, quando trahuntur atque prolongantur, plicae obliterentur, quae vero tractu ceſſante mox redeunt.

19. Inter ſpongioſos hoſce atque elaſticos Faſciculos per parva intervalla & eadem in directione, ſeptem aut octo peculiares Tubi locantur, qui in latere baſis Papillae irregulariter rotundum Lacteorum Ductuum Confluentem petunt, & in apicis ejusdem Papillae latere in totidem parva Foramina ſive Orificia fere inſenſibilia deſinunt. Quoniam hi Tubi cum Faſciculis elaſticis arcte connectuntur, eodem quoque modo plicantur.

20. Corpus Papillae a productione cutanea admodum tenui & ab Epidermide involvitur. Externa Papillae ſuperficies a quamplurimis parvis eminentiis irregularibusque rugis inaequalis admodum redditur, quarum iſtae ambitus atque circumferen-

tiae Papillae quibusdam in ſubjectis transverſim aut inſtar annulorum, quamvis valde interruptae & interſectae quaſi, diſpoſitae eſſe videntur.

21. Directio haec ab elaſtica Faſciculorum, de quibus modo dixi, plicatura, dependere videtur; & ex ſimplici hacce ſtructura explicari poteſt, qua ratione Infantes Papillam ſugendo, atque Ruſticae uberem Vaccae trahendo Lac extrahant. Quoniam enim excretorii Tubuli plicis Faſciculorum conformiter ob haſce rugas ceu per totidem Valvulas corrugantur, Lactis egreſſui, quo Ductus Lactei repleti ſunt, obicem ponunt; quodſi vero Papilla trahitur atque prolongatur, hae Tuborum plicae obliterantur, tranſitumque omnino rectum offerunt: his adde, quod, ſi violentia aliqua trahimus, eodem tempore Corpus Mammae prolongetur, unde coarctatio lateralis oritur, quae Lac verſus Tubulos apertos propellit. Quando etiam Corpus Mammae tantum comprimitur, Lac verſus Papillam propelli, tranſitusque per Tubos ſuperari poteſt.

22. *Arteriae. Venae. Nervi*, &c. Arteriae atque Venae, quae in Mammis diſtribuuntur, earum Ramuſculi ſunt, quae in ſpecie Arteriarum atque Venarum Mammariarum nomen gerunt, quarum quaedam Subclaviarum Rami exiſtunt, atque Mammariae internae vocantur, quaedam Axillarium productiones ſunt, atque Mammariae externae appellantur.

23. Vaſa haec inter ſe cum iſtis, quae in vicinia reperiuntur, atque cum Epigaſtricis communi-

municationem alunt, quemadmodum in Tractatu de Arteriis & in iſto de Venis videre eſt. Nervi praecipue a Nervis Coſtalibus procedunt, iisque mediantibus cum magnis Nervis Sympathicis communicant.

24. *Uſus*. Omnibus ob nutrimentum Infantum innoteſcit. Non praeciſe, cuinam uſui Papillae atque Areolae in Sexu Maſculino inſerviant, conſtat. Lac ex iisdem in parvis Infantibus utriusque Sexus egredi viſum fuit. Id quod uni fratrum meorum duos circiter annos nato contigit.

PLEURA. MEDIASTINUM.

25. *Pleura* Membrana internae Coſtarum ſuperficiei, iſti Sterni, Muſculorum Intercoſtalium, Muſculorum Infra-Coſtalium, Sterno-Coſtalium atque Diaphragmatis convexitati valde adhaerens eſt. Textum ipſius admodum ſtrictum, multis Vaſis Sanguiferis atque Nervis inſtructum, atque iſti Peritonaei fere ſimile eſt, quoniam itidem ex vera Lamina Membranacea, quae ipſius concavitatem conſtituit, & ex Celluloſo Texto, quod ipſius convexitatem format, quodque Laminae productio ſive continuatio eſt, componitur.

26. Celluloſa Portio totam ſuperficiem internam ambit; Portio Membranacea vero aliter diſpoſita eſt. Quodlibet Pectoris latus Pleura ſua peculiari gaudet. Duae hae Pleurae penitus a ſe invicem diſtinguuntur, atque inſtar duarum magnarum Veſicarum ſe habent, quae invicem

una ad latus alterius in Pectoris cavitatem immiſſae fuerunt; ita ut averſa ſua inter Sternum atque Vertebras unione Duplicationem inſtar Septi formarent, ceterumque Coſtis atque Diaphragmati agglutinarentur.

27. *Mediaſtinum.* Communis haecce duarum Pleurarum peculiarium Duplicatio Mediaſtinum vocatur. Duae Laminae, e quibus componitur, in latere Sterni atque verſus Vertebras arctiſſime invicem uniuntur. In medio, & parumper verſus anteriora uſque ad inferiorem partem per Pericardium & per Cor a ſe invicem ſeparantur, quemadmodum in ſequentibus videbimus. Pauxillum magis poſterius inſtar Tubi a ſe invicem diſcedunt, atque Oeſophago Tunicae loco inſerviunt. In parte denique quam maxime poſteriore inter Vertebras atque duas Pleuras a parte ſuperiore ad partem uſque inferiorem ſpatium triangulare reperitur, quod Aorta inprimis occupat.

28. Ante Cor a Pericardio ad Sternum uſque Laminae Duplicationis arcte invicem conglutinantur, atque, ut Mediaſtinum, parvo ſpatio ſuperius, ubi Glanduloſum Corpus, Thymus dictum, locatum eſt, excepto, omnino tranſparens ſit, efficiunt; ita ut nullum naturaliter Interſtitium, nec ulla peculiaris cavitas in eodem reperiatur. Non niſi methodus vulgaris Sternum elevandi hancce ſeceſſionem producit, quemadmodum Dominus Bartholinus, primus meus in Anatomia Praeceptor, in Tractatu ſuo de Diaphragmate, Pariſiis Anno 1676. impreſſo, clare admo-

admodum demonſtravit. In alio loco de Tabulis Euſtachii ſermonem inſtituam, in quibus idem vitium apparere viſum fuit.

29. Mediaſtinum non ordinarie juxta longitudinem partis mediae Faciei internae Sterni finitur, quemadmodum ſemper creditum eſt. Anno 1715. Academiae Regiae Scientiarum demonſtravi, quod a ſuperiori deorſum verſus latus ſiniſtrum inclinet; quodque quando medium Sterni inſtrumento acuminato, antequam Pectus aperiatur, perforatur, diſtantia transverſum fere digitum adaequans Sternum inter & Mediaſtinum reperietur, dummodo Sternum in ſitu ſuo relinquatur, atque Cartilagines Coſtarum in diſtantia circiter pollicis in utroque latere Sterni diſcindantur.

30. Exinde quod Pectus nonſolum in duas cavitates, una ab altera mediante Septo intermedio absque ulla communicatione ſeparatas diviſum ſit, ſed etiam quod ob Septi hujus obliquitatem dextra Pectoris cavitas ſiniſtra cavitate major ſit, eluceſcit. Inde de dubia Terebrae in Sterno applicatione, quam Veteres certis in caſibus commendant, judicare licet. Celluloſa Pleurae Portio Membranaceas ipſius Portiones Sterno, Coſtis, earundem Muſculis, Diaphragmati, Pericardio, Thymo, Vaſis, & in genere omni quod prope convexitatem portionum Membranacearum Pleurae eſt, annectit. Inter Laminas quoque Duplicationis a qua Mediaſtinum formatur, repit, easque ſibi invicem agglutinat. Imo per Muſculos penetrat, atque cum eorundem interſtitiorum Celluloſo Tex-

to uſque ad externam convexitatis Thoracis Membranam Adipoſam communicationem alit. In eo Pleura Peritonaeo ſimilis eſt.

31. Superficies cavitates Pectoris reſpiciens ab Humore Lymphatico, qui pedetentim per Poros portionis Membranaceae tranſudat, continue humectatur. Humorem hunce Glandularum inſenſibilium productum eſſe perſuadere volunt, aſt earundem uti etiam iſtarum Peritonaei exiſtentia nondum clare demonſtrata eſt.

32. *Arteriae. Venae.* Arteriae atque Venae Pleurae Arteriarum Venarumque Intercoſtalium potiſſimum Ramuſculi ſunt. Ramuſculi hi admodum multiplicati & quoad maximam partem admodum ſubtiles exiſtunt. Mammariae internae atque Diaphragmaticae eidem itidem proſpiciunt, atque cum iſtis quae Intercoſtalium ſoboles ſunt, ſaepiſſime communicant.

33. Mediaſtinum Vaſis ſuis peculiaribus, quae Arteriae atque Venae Mediaſtinae dicuntur, quaeque ordinarie Subclaviarum Rami ſunt, gaudet. Mammariae internae eidem quoque in parte anteriore, Diaphragmaticae in inferiore, Intercoſtales uti etiam Oeſophageae in poſteriore Ramuſculos largiuntur.

34. *Nervi.* Ramuſculi verorum Nervorum Intercoſtalium, qui alias Coſtales & Dorſales dicuntur, exiſtunt. Verſus Vertebras cum magnis Nervis Sympathicis, qui improprie Nervi Intercoſtales vocantur, aſt parum cum Nervis Sympathicis mediis ſive iſtis Octavi Paris communicationem alunt.

35. *Uſus.*

35. *Uſus.* Pleura in genere cavitati Pectoris Tegumentum internum praebet. Mediaſtinum omnem duarum Pectoris cavitatum communicationem tollit, atque, ne unus Pulmo alteri gravitate ſua noceat, quando alterutro laterum incumbimus, impedit. Cordi quoque cum Pericardio, Oeſophago &c. hoſpitium format, tandemque ſupra Pulmones, quemadmodum in ſequentibus videbimus, continuatur.

N O T A.

36. Portiones Pleurae, quae Coſtis immediate annectuntur, tanquam internarum earundem Facierum Perioſtium conſiderari poſſunt. Haecce in Coſtis adhaeſio Pleuram tenſam reddit, eamque, ne lubrice moveatur, impedit. Illam quoque in minima ſeceſſione a Lympha ſpiſſa aut Sanguine accumulato producta admodum ſenſibilem reddit; eo magis quoniam Nervea Fila hoc in caſu in inſpiratione, ubi Muſculi Intercoſtales intumeſcunt, extraordinarie comprimuntur.

T H Y M U S.

37. Corpus Glanduloſum oblongum, ſuperius rotundum, inferius in duos aut tres Lobos, quorum ſiniſter longiſſimus exiſtit, diviſum eſt. In Foetu ipſius volumen admodum notabile, in Infantibus mediocre, & in ſenectute admodum imminutum eſt. Albicans & quandoque pauxillum rubicundum in Infantibus, ſaepiſſime coloris obſcuri in aetate provecta eſt.

38. Thymus quoad maximam partem inter portionis ſuperioris anterioris Mediaſtini Duplicationem atque magna Cordis Vaſa ſitus eſt, unde parumper ſupra lineam horizontalem apicis duarum Pleurarum peculiarium extenditur, & per conſequens ex parte extra Pectoris cavitatem eſt. In Foetu parvisque Infantibus illa portio, quae extra Pectus eſt, iſtam, quae in Pectore exiſtit, fere adaequat.

39. Peculiares internae ipſius ſtructurae circumſtantiae, atque iſtae ipſius ſecretionum nondum ſatis cognitae ſunt, quo de ipſius uſibus, qui nihilominus locum potius in Foetu quam in Adultis habere videntur, ratio, uti neceſſe eſt, reddi poſſit. Vaſis peculiaribus, quae Arteriae atque Venae Thymicae dicuntur, dotatur.

C O R.

40. *Situs generalis. Conformatio.* Cor Corpus Muſculoſum in cavitate Pectoris ſupra anteriorem Diaphragmatis partem, inter parietes ſeceſſionis Mediaſtini ſitum eſt. Corpus hocce aliquo modo formam coni, in duobus lateribus complanati, in apice rotundi & in baſi ovalis refert. Secundum hancce figuram exterius in Corde baſis, apex, duo margines & duae facies, quarum una ordinarie admodum plana & altera convexa magis exiſtit, conſiderantur.

41. Praeter Corpus Muſculoſum, quod praecipue id, quod Cor vocatur, format, baſis ipſius a duabus Appendicibus, quae Auriculae dicuntur, &

& a magnis Vaſis Sanguiferis, de quibus in ſequentibus ſermo erit, comitatur. Cum hiſce comitibus Membranaceae Capſulae, quae Pericardium appellatur, includitur.

42. Interius cavum eſt, atque inter duos margines per Septum intermedium in duas cavitates, quae Ventriculi dicuntur, quorum unus craſſus atque firmus, & alter gracilis atque molliuſculus eſt, dividitur. Ultimus hicce communiter Ventriculus dexter, & alter Ventriculus ſiniſter appellatur, quamvis ſecundum naturalem ipſorum ſitum Ventriculus dexter anterior magis atque ſiniſter poſterior magis, quemadmodum in ſequentibus videbimus, exiſtat.

43. Quilibet horum Ventriculorum in baſi a duobus orificiis, quorum unum uni ex Auriculis, atque alterum magnae cujusdam Arteriae oſtio reſpondet, perforatur. Primum horum Orificium Auriculare, & alterum Orificium Arterioſum vocari poteſt. Ventriculus dexter cum Auricula ejusdem lateris, & cum Arteriae Pulmonalis Trunco congreditur. Ventriculus ſiniſter cum ſiniſtra Auricula & cum magno Aortae Trunco coit. Plures verſus marginem ſive circumferentiam horum Orificiorum Pelliculae mobiles, quas Anatomici Valvulas nominant, quarum quaedam in Ventriculos ſub nomine Valvularum Tricuſpidum, reliquaeque in magna Vaſa, ſub nomine Valvularum Semilunarium ſive Valvularum Sigmoïdearum procedunt, reperiuntur. Tricuſpides Ventriculi ſiniſtri etiam Valvulae Mitrales audiunt.

44. *Ven-*

44. *Ventriculorum* ſuperficies interna admodum inaequalis eſt. Multae eminentiae atque cavitates in iisdem reperiuntur. Eminentiae quam maxime notabiles Proceſſus carnoſi admodum craſſi ſunt, qui Columnae vocantur. Plures Extremitati harum Columnarum carnoſarum Funiculi Tendinoſi annectuntur, qui altero extremo Valvulis Tricuſpidibus adhaerent. Alii inſuper parvi Funiculi Tendinoſi admodum breves juxta longitudinem utriusque marginis Septi Ventriculorum reperiuntur. Parvi hi Funiculi oblique transverſi ſunt, & per intervalla ſpeciem Retis formant.

45. Cavitates internae Ventriculorum ſuperficiei parvae Foſſulae ſive Lacunae variarum Figurarum, admodum profundae ſibique admodum vicinae ſunt; ita ut earundem intervalla inſtar Monticulorum appareant. Lacunae hae quoad maximam partem totidem Ductuum Venoſorum Orificia ſunt, de quibus in ſequentibus ſermo erit.

46. *Structura Ventriculorum.* Muſculoſae ſive carnoſae Fibrae, e quibus maſſa Cordis compoſita eſt, modo admodum ſingulari, inprimis iſtae Ventriculi dextri ſive anterioris, diſpoſitae ſunt. Cunctae aut in modum Arcuum incurvatae, aut in modum Angulorum plicatae ſunt.

47. Fibrae inſtar Angulorum plicatae iſtis quae non niſi Arcuum aut Fornicum inſtar incurvantur, longiores ſunt. Medium horum Arcuum & Angulus harum plicarum verſus apicem Cordis vergunt, Fibrarumque extremitates baſin ipſius reſpi-

reſpiciunt. Fibrae hae non ſolum ratione longitudinis, ſed etiam ratione directionis, quae ubique fere admodum obliqua, aſt in Fibris longis ſive plicatis magis adhuc quam in brevibus ſive ſimpliciter incurvatis exiſtit, inter ſe differunt.

48. Vulgo obliquitatem hancce notam arithmeticam 8 repraeſentare affirmatur; aſt comparatio admodum falſa eſt, nec niſi cum figura male delineata convenire poteſt, nec niſi error in Perſpectiva eſt, qui falſae huic ideae occaſionem praebuit.

49. Omnes hae Fibrae reſpectu ipſarum obliquitatis, diverſaeque ipſarum extenſionis ita diſpoſitae ſunt, ut longiſſimae ex parte Strata quam maxime externa convexitatis Cordis, & ex parte Strata quam maxime interna ipſius concavitatis forment, utque obliquus & ſucceſſivus medii earundem curvaturarum earumque Angulorum occurſus ſenſim ſenſimque ipſius apicem formet.

50. Fibrae quae inter Strata a Fibris longiſſimis formata ſitae ſunt, magis magisque breves minusque incurvatae, uſque verſus Cordis baſin, & quidem per gradus, evadunt, ubi admodum breves, admodumque parum incurvatae apparent. Ob hancce diſpoſitionem Parietes Ventriculorum verſus Apicem Cordis admodum tenues exiſtunt, poſtmodumque verſus baſin admodum craſſi evadunt.

51. Quilibet Ventriculus e propriis ſuis Fibris componitur, aſt Ventriculus ſiniſter ſive poſterior multo pluribus quam dexter ſive anterior gaudet.

det. Concurſus horum duorum Ventriculorum Septum intermedium format, quod ad ambos ſimul pertinet.

52. Ventriculus ſiniſter ſive poſterior hoc peculiare habet, quod eaedem Fibrae, quae Stratum internum ipſius cavitatis in ſpecie formant, Stratum quam maxime externum totius convexitatis Cordis componant, quod Stratum ambobus Ventriculis commune exiſtit, ita ut ex cunctarum harum Fibrarum evolutione appareat, quod Cor e duobus Saccis Muſculoſis in tertio quodam incluſis compoſitum ſit.

53. Ventriculus dexter ſive anterior ſiniſtro ſive poſteriore amplior exiſtit, quemadmodum Veteres optime annotarunt, Dominusque Helvetius clariſſime demonſtravit. Ventriculus hicce alterum in Homine longitudine fere adaequat. Quandoque exterius a duplici apice diſtincti apparent.

54. Omnium harum Fibrarum Directio non ubique in eundem ſenſum fit, quamvis cunctae plus minusve obliquae exiſtant; quaedam enim in latere dextro, quaedam in ſiniſtro, aliae anterius, aliae poſterius terminantur, pluresque inter haec loca finiuntur; id quod efficit, ut ea proportione qua evolvuntur, eaedem per gradus modo juxta longitudinem, modo juxta latitudinem ſeſe decuſſare reperiamus.

55. Fibrarum transverſim ſeſe decuſſantium numerus iſtum Fibrarum longiter ſeſe decuſſantium multum excedit, Bene hoc notandum eſt, quo

quo falſae ideae, quae per quoddam tempus reſpectu motus Cordis formatae fuerunt, evitentur, cum quidam, quod per ſpeciem contortionis inſtar cochleae contingat, crediderint, alii quod Cor in contractione ſua brevius, & in dilatatione ſua longius evadat, ſibi perſuaſerint.

56. Non omnes Fibrae, quae internam ſuperficiem ſive concavitatem Ventriculorum componunt, ad baſin ſe conferunt, ſed quaedam in eorundem cavitatem procedunt, ibique Columnarum carnoſarum ſpeciem, quibus fluctuans Valvularum Tricuſpidum pars mediantibus pluribus Tendinoſis Funibus annectitur, formant.

57. Diſpoſitio Fibrarum internarum praeter Columnas carnoſas multas eminentias atque depreſſiones, quae internam Ventriculorum ſuperficiem nonſolum inaequalem reddunt, ſed iisdem quoque parvo in ſpatio magnam extenſionem conciliant, format. Pars harum depreſſionum Orificia ductuum Venoſorum ſunt, qui in Ventriculorum craſſitie reperiuntur, de quibus ſupra ſermonem inſtitui. Circumferentia magnarum aperturarum baſis Cordis tendinoſa, atque communis quaſi extremitatum Fibrarum carnoſarum, e quibus Ventriculi compoſiti ſunt, Tendo exiſtit.

58. *Valvulae* quae in Ventriculorum Orificiis reperiuntur duplicis ſpeciei ſunt; quaedam Sanguini introitum in Cor concedunt, atque ne per eandem viam iterum exeat, impediunt; quaedam ejusdem e Corde egreſſum permittunt, ſeſeque ipſius in Cor refluxui opponunt. Illae primae

mae ſpeciei Auriculas terminant, iſtaeque ſecundae magnarum Arteriarum oſtia occupant. His Valvularum Semilunarium ſive Valvularum Sigmoïdearum nomen, atque iſtis illud Triglochinum, ſive Tricuſpidum aut Mitralium impoſuere.

59. Valvulae Triglochines ſive Tricuſpides Ventriculi dextri Orificio Auriculari Ventriculi annectuntur, atque in cavitatem ejusdem hujus Ventriculi procedunt. Inſtar trium lingularum in latere quod oſtium Auriculae reſpicit, admodum politarum ſeſe habent, & in latere cavitatis ſive ſuperficiei internae Ventriculi pluribus Membranaceis atque Tendinoſis expanſionibus dotantur, atque in ſuis marginibus inciſae quaſi ſive denticulatae exiſtunt. Valvulae Orificii Auricularis Ventriculi ſiniſtri eadem forma atque ſtructura gaudent; aſt non niſi duae ſunt, & ob aliqualem cum Mitra ſimilitudinem, quam rudes admodum repraeſentant, Mitrales Valvulae vocatae fuerunt.

60. Quinque hae Valvulae admodum tenues ſunt, atque mediantibus pluribus Tendinoſis Funibus carnoſis Ventriculorum Columnis annectuntur. Funes cujuslibet Valvulae duabus Columnis inſeruntur. Inter haſce Valvulas aliae parvae ejusdem figurae inveniuntur. Omnes hae Valvulae in genere etiam Tricuſpides, Valvulae Auriculares ſive Valvulae Venoſae Cordis vocari poſſunt.

61. Valvulae Semilunares ſive Valvulae Sigmoïdeae ſex numero ſunt, in quolibet Ventriculo & in

in magnarum Arteriarum oſtio tres. Nomen Valvularum Arterioſarum iisdem apte convenit. Inſtar calathorum columbinorum fere fabrefactae ſunt. Cavitates earundem parietem ſive concavitatem Arterjae reſpiciunt, earumque convexitates ad ſe mutuo accedunt. Quando Valvulae hae Microſcopii ope examinantur, in Membranarum, e quibus componuntur, Duplicatione Fibrae carnoſae reperiuntur.

62. Revera ob ipſarum fundorum inſertiones, aſt non ob fluctuantes earundem margines Semilunares ſunt, id eſt Lunam creſcentem referunt; quilibet enim horum marginum duas parvas Lunas creſcentes repraeſentat, quarum duae extremitates in medio marginis ſibi occurrunt, ibique parvae Papillae ſpeciem formant.

63. *Aorta in genere.* Magna Arteria, quae e Ventriculo ſiniſtro egreditur, Aorta vocatur. In exitu parumper dextrorſum procedit, moxque oblique retrorſum incurvatur, quo id, quod Aorta Deſcendens appellatur, formet, de qua in ſequentibus adhuc verba faciam. E medio circiter convexitatis hujus curvaturae tres craſſi Rami exeunt, qui Capiti atque Extremitatibus ſuperioribus Corporis Humani infinitos Ramuſculos largiuntur, quemadmodum Aorta Deſcendens Pectori, Abdomini atque Extremitatibus inferioribus, proſpicit.

64. *Arteria Pulmonalis in genere.* Truncus Arteriae, qui e dextro Ventriculo egreditur, Arteria Pulmonalis audit, quoniam in Pulmonibus

diſtribuitur. Truncus hicce in naturali ſuo in Pectore ſitu mox parumper directe ſurſum tendit, poſtmodumque lateraliter in duos Ramos primarios, pro quolibet Pulmone unum, quorumque iſte, qui ad Pulmonem lateris dextri excurrit, iſto qui ad Pulmonem ſiniſtrum tendit, longior eſt, dividitur. Rationem in ſequentibus invenies.

65. *Auriculae* duo Sacci Muſculoſi ſunt in Cordis baſi, unus ad latus Ventriculi dextri, alter ad latus Ventriculi ſiniſtri ſiti, invicemque mediante Septo interno, & mediantibus Fibris communibus externis fere uti Ventriculi uniti. Unus eorundem quoque Auricula dextra, & alter Auricula ſiniſtra ſalutatur. Interius admodum inaequales, exterius magis plani ſunt, anguſtoque, complanato & dentato margine, qui criſtam Gallinae ſive ſpeciem auris caninae repraeſentat, & cui celebris Anatomicus Leydenſis peculiare quondam Auriculae nomen, tanquam portioni a reliqua, quam Saccum appellabat, diſtinctae, imponere voluit, terminantur. Cum cujuslibet Ventriculi Orificiis, quae ego Orificia Auricularia nominavi, communicant, eorumque oſtium, fere uti iſta Ventriculorum, Tendinoſum eſt.

66. Dextra Auricula ſiniſtra Auricula amplior exiſtit, atque mediante communi & Tendinoſa, apertura quemadmodum ſupra dixi,cum Ventriculo ejusdem lateris congreditur. Duabus adhuc peculiaribus aperturis in unam redadunatis, atque a concurſu ſive occurſu fere directo duarum magnarum

gnarum Venarum quae in eadem terminantur, quaeque Venae Cavae, una ſuperior, & altera inferior, vocantur, formatis gaudet. Dentatus hujus Auriculae margo per ſpeciem apicis obtuſi, qui parvus peculiaris quaſi magni Sacci Proceſſus eſt, atque verſus medium baſis Cordis vertitur, oblique terminatur.

67. Tota interna Cavitatis Auriculae dextrae ſuperficies a quamplurimis prominentibus totis carnoſis lineis, quae parietes ipſius tranſeunt, quaeque mediantibus aliis minoribus, in earundem intervallis oblique admodum diſpoſitis, inter ſe communicant, inaequalis redditur. Priores harum Linearum Truncos quaſi, reliquaeque parvos quaſi Ramos in ſenſum contrarium ſibi invicem oppoſitos conſtituunt. In intervallis, quae carnoſae hae Lineae inter ſe relinquunt, Auriculae craſſities tenuiſſima fereque tranſparens exiſtit, ita ut non niſi immediatus ibidem Tunicae externae atque Tunicae internae Auriculae occurſus, inprimis circum apicem, eſſe videatur.

68. Auricula ſiniſtra in Corpore Humano Sacci ſpecies, ſive receptaculum Muſculoſum mediocriter craſſum, inaequaliter quadratum eſt, in quod quatuor Venae, Venae Pulmonales dictae, hiant, quodque Appendice inſtar parvae Auriculae peculiaris maxime diſtincta gaudet. Saccus hicce interius atque exterius admodum aequalis eſt, ita ut non inconcinne Truncus Venarum Pulmonalium, ipſiusque Appendix Auricula ſi-

niſtra appellari poſſet. Saccus interim & Appendix non niſi unam eandemque communem cavitatem invicem conſtituunt. Unde perbene duas has portiones ſub eodem communi Auriculae ſiniſtrae nomine comprehendere convenit. Parva portio quoque Appendix Auriculae ſiniſtrae in Homine appellari poteſt; in Brutis enim differentia intercedit.

69. Parva haecce portio ſive Auriculae ſiniſtrae Appendix conformatione ab iſta Sacci ſive magnae portionis diverſa gaudet. Exterius parvus quaſi longiuſculus, in latitudine ſua curvatus atque recurvatus, & in tota circum marginum ſuorum circumferentia dentatus Saccus eſt. Interius parti internae Auriculae dextrae ſimilis exiſtit. Tota cavitas communis Auriculae ſiniſtrae in Homine adulto iſta Auriculae dextrae minor eſt. Fibrae carnoſae magnae portionis Auriculae ſiniſtrae per Strata diverſimode diſpoſita alternatim ſeſe decuſſant.

70. *Arteriae & Venae Coronariae.* Cor, praeter magna Vaſa communia, peculiaribus Vaſis, quae Arteriae atque Venae Coronariae audiunt, quoniam earundem Trunci baſin Cordis aliquo modo coronant, praeditum eſt. Arteriae Coronariae duae ſunt, atque ex Aortae origine pullulant; circum Cordis baſin poſtmodum in utrumque latus expanduntur ipſiusque Subſtantiae quamplurimos Ramuſculos largiuntur.

71. Venae Coronariae exterius eandem fere diſtinctionem ſervant; aſt ex parte in Auriculam

lam dextram praecipue, ex parte in Ventriculum ejusdem hujus lateris hiant. In Ventriculum quoque ſiniſtrum, aſt minori in quantitate, & quidem mediantibus Venoſis Ductibus, in Foſſulas Lacunasque inter Ventriculorum horum inaequalitates reperiundas, ſeſe aperientibus exonerantur. Similes quoque Lacunae in Auriculis inter Lineas prominentes, de quibus dixi, inveniuntur. In interna quoque magni Sacci Auriculae ſiniſtrae ſuperficie parva Foramina, quae eundem uſum habere videntur, conſpiciuntur.

72. E duabus Arteriis, raro enim tres adſunt, una in dextro, altera in ſiniſtro tertiae partis anterioris circumferentiae Aortae latere exiſtit. Coronaria dextra inter Cordis baſin atque Auriculam dextram ad planam uſque Cordis Faciem repit, ſicque dimidium coronae ambitum format. Siniſtra Coronaria idem inter Cordis baſin atque Auriculam ſiniſtram efficit; & antequam ſuper baſi circumvertatur, ſupra convexam Cordis Faciem Ramum praecipuum in duorum Ventriculorum interſtitium ablegat. A duorum dimidiorum ambituum duarum harum Arteriarum unione ſimilis Ramus praecipuus, itidem ad Cordis apicem uſque excurrens atque Ramo alterius occurrens, in plana Cordis Facie procedit.

73. Venae Coronariae exterius eodem fere modo diſtribuuntur. Truncus earundem in Auriculam praecipue dextram, mediante peculiari Orificio, quod parva ſemilunari Valvula inſtructum eſt, hiat. Omnes Venae Coronariae earumque Ramuſculi

communicationes inter ſe alunt; ita ut, ſi in unum horum Ramorum, facto prius in eodem parvo foramine, Auriculisque uti etiam magnis Arteriis conſtrictis, flatus immittitur, ventum ſive flatum cuncta Vaſa inflare, imo etiam per Ductus Venoſos in Ventriculos uſque, qui in Experimento hoc intumeſcunt, penetrare videbis.

74. *Situs ſpecialis Cordis.* Fere plane transverſim Diaphragmati incumbit: maxima ipſius portio in ſiniſtram Pectoris cavitatem protenditur, ipſiusque apex verſus oſſeam ſextae Coſtae verae extremitatem vertitur. Baſis dextram Pectoris cavitatem reſpicit, & Auriculae, praecipue Auricula dextra, Diaphragmati incumbunt.

75. Arteriae Pulmonalis origo ſive baſis in naturali hocce ſitu anterius ſummam Cordis partem conſtituit, atque Truncus hujus Arteriae in Plano perpendiculari, quod quis directe Sternum inter atque Dorſi Spinam imaginari ſibi poſſet, reperiri videtur. Portio itaque baſis Cordis in dextram Pectoris cavitatem procedit; reliquum ad apicem uſque in cavitate ſiniſtra reperitur; & hanc ob rationem Mediaſtinum verſus idem hoc latus vertitur.

76. Secundum huncce Cordis ſitum, qui verus atque naturalis in Homine eſt, partes, quae ordinarie dextrae vocantur, potius anteriores, atque iſtae, quae ſiniſtrae appellantur, poſteriores ſunt. Facies inſuper Cordis, quam anteriorem eſſe credidere, naturaliter ſuperior, atque iſta, quam poſteriorem ſibi imaginati ſunt, per conſequens inferior eſt.

77. In-

77. Inferior Facies, quoniam tota quanta Diaphragmati incumbit, valde plana eſt; cum e contrario ſuperior Facies juxta totam longitudinem, ſecundum Septi Ventriculorum directionem pauxillum elevata exiſtat. Ceterum certi termini in communi loquendi uſu recepti non multum obſunt, dummodo nullam falſis ideis occaſionem deficiente inſtructione atque admonitione praebeant.

78. *Pericardium.* Cor cum omnibus, quae ad illud pertinent, in Membranacea Capſula, quae Pericardium dicitur, includitur. Aliquo modo conica atque Corde multo amplior eſt. Non Cordis baſi, ſed circum magnas Venas ſupra Auriculas, ante earundem in Ramuſculos diviſiones magnarumque Arteriarum Truncis ante earundem diviſiones annectitur.

79. Pericardium e tribus Laminis componitur, quarum media, quae e tribus primaria eſt, ſtricto admodum Filorum Tendinoſorum, admodum gracilium, ſeſeque diverſimode decuſſantium Texto gaudet. Interna Lamina Tunicae Cordis externae, iſtius Auricularum, iſtiusque magnorum Vaſorum continuatio eſſe videtur. Duo Trunci Arterioſi, id eſt, iſte Aortae atque iſte Arteriae Pulmonalis, non niſi una eademque communi Tunica gaudent, quae ambos thecae inſtar, Texto Celluloſo, inprimis in intervallis inter averſam Truncorum unionem atque inter vicinos thecae parietes inveſtitae circumdat. Non niſi parva admodum Venae Cavae inferioris portio in Pericardio reperitur.

80. Lamina media in ſpecie Saccum Pericardii conſtituit. Figura hujus Sacci non ſimpliciter conica eſt, apex admodum rotundus exiſtit, baſisque peculiari inſtar capitelli proceſſu gaudet, qui magna Vaſa, uti ſupra dixi, ample, habitoque reſpectu aeque ample ac altera Sacci portio ratione Cordis circumdat.

81. Pericardium Diaphragmati, non quidem mediante apice, ſed praeciſe mediante portione, quae planae ſive inferiori Cordis Faciei reſpondet, annectitur. Arctiſſime ibidem adhaeret, ita ut diſſectione difficulter admodum inde ſeparari queat. Adhaeſio haecce ultra determinatam portionem, quae Cordis Faciei conformis aliquo modo triangularis eſt, non extenditur; reliquum extenſionis Sacci absque adhaeſione Diaphragmati incumbit.

82. Externa Lamina, aut ut melius dicam, communis Tunica a Mediaſtini Duplicatione formatur. Sacco Pericardii proprio mediante Celluloſi Duplicationis Texti adhaeret. Lamina haecce Saccum circum adhaeſionem Diaphragmatis derelinquit, & in vicinia ſupra ſuperiorem Diaphragmatis Faciem inſtar continuationis Pleurae expanditur.

83. Interna Lamina a quamplurimis parvis inſenſibilibus foraminibus, e quibus continue humor ſeroſus, fere uti in interna Peritonaei ſuperficie exudat, perforatur. Humor hicce poſt mortem pedetentim colligitur, ita ut in Cadaveribus, quae non niſi elapſis aliquot diebus demum

mum aperiuntur, certa illius quantitas ordinarie reperiatur, qui Aqua Pericardii vocatur. Quandoque liquor hic parumper rubicundus reperitur; id quod a ſpecie tranſudationis Sanguinis per Membranam Auricularum quam maxime tenuem accidere poterit.

84. *Uſus in genere.* Cor cum toto hocce eorum, quae ad illud pertinent, apparatu primaria circulationis Sanguinis machina eſt. Duo Cordis Ventriculi tanquam duo Siphones unus ad latus alterius locati, invicemque, acſi unicum tantum corpus conſtituerent, conjuncti, quorumque quilibet tamen duabus Valvulis ſenſu contrario ſibi oppoſitis praeditus eſt, ita ut quaedam, quando Emboli attrahuntur, liquori introitum concedant, atque reliquae, quando iidem intruduntur, eundem expellant, conſiderari debent.

85. Si Siphonum horum parietes ex materia, quae alternatim conſtringi & dilatari poſſet, compoſiti eſſent, Embolis iidem carere poſſent. Id quod in Corde reperimus. Quando Fibrae carnoſae, e quibus Ventriculi ipſius componuntur, ſeſe contrahunt, duas cavitates aequaliter atque directe, minime vero per obliquum inſtar cochleae, ſive in modum contortionis circuitum, quam falſa ſic dicti numeri octonarii idea excogitavit, conſtringunt. Quodſi enim parum ſolummodo attente conſideramus, quam diverſe, & in quam multis locis omnes Cordis Fibrae, quemadmodum indicavi, ſe decuſſant, omnia ad directam, admodum aequalem atque quam maxime

uniformem contractionem efficiendam concurrere clare eluceſcet; aſt magis ſecundum latitudinem atque craſſitiem Cordis, quam ſecundum ipſius longitudinem, ob magnam Fibrarum ttansverſarum aut fere transverſarum quantitatem, quarum numerus iſtum Fibrarum longitudinalium multum ſuperat.

86. Fibrae carnoſae ita abbreviatae Emboli officio funguntur, dum Ventriculos conſtringunt, quo Sanguinem ex iisdem expellant, qui cum impetu verſus Cordis baſin propulſus, Tricuſpides Valvulas ſibi mutuo applicat, Semilunares dimovet atque cum impetu per Arterias & per ipſarum Ramuſculos ceu per totidem elaſticos Tubos curſum proſequitur.

87. *Syſtole.* Sanguis contractione Ventriculorum ita propulſus, poſtmodumque per elaterem Arteriarum compreſſus in Vaſa Capillaria penetrat, tandemque per Venas ad Auriculas revehitur, quae tunc receptuum, veſtibulorum ſive procoetonum inſtar Sanguinem per Venas revectum recipiunt, & ad novam uſque contractionem retinent. Anatomici Cordis contractioni Syſtoles nomen impoſuerunt.

88. *Diaſtole.* Contractio ſive Syſtole Ventriculorum momento poſt ob ipſorum Fibrarum carnoſarum relaxationem ceſſat, dum Auriculae, quae Sanguini Venoſo hoſpitium praebuere, ſuo tempore contractionem inſtituunt, eidem per Tricuſpides tranſitum procurant atque in Ventriculos propellunt, ita ut eorundem parietes a ſe invi-

invicem dimoveat, eorumque cavitatem dilatet. Dilatatio haecce Diaſtole appellatur.

89. *Circulatio.* Hunc in modum Cor mediantibus reciprocis Ventriculorum Auricularumque Syſtolis atque Diaſtolis Sanguinem per Arterias in cunctas Corporis partes propellit, eumque mediantibus Venis ex omnibus hiſce partibus iterum exantlat. Id quod Circulatio Sanguinis nominatur, quae tribus praecipue diverſis modis contingit.

90. Prima Sanguinis circulationis ſpecies quam maxime generalis eſt, in qua omnes fere Corporis Arteriae mediante Syſtole Ventriculorum Cordis replentur, & maxima Venarum pars mediante Diaſtole deplentur.

91. Secunda Circulationis ſpecies penitus oppoſita eſt. In Coronariis Cordis Vaſis reperitur, cujus Arteriae Sanguinem durante Ventriculorum Diaſtole accipiunt, Venaeque eundem durante eorundem horum Ventriculorum Syſtole evomunt.

92. Tertia Circulationis ſpecies iſta eſt, quae in ſiniſtro Cordis Ventriculo contingit, quoniam parva huc Sanguinis portio per Ductus Venoſos tranſit, absque ut Pulmones, quemadmodum totum reliquum Maſſae Sanguinis neceſſe habet, tranſierit.

93. Praeter tres hos diverſos Circulationis modos, in Sanguinis itinere ſingularia quaedam adhuc occurrunt, quae ceu Circulationes peculiares conſiderari poſſunt. Talis Sanguinis per Hepar, per Lienem, per Corpora Cavernoſa Partium

tium Genitalium, atque per Cavernoſos Durae Matris Sinus tranſitus eſt. Non hic de peculiari in Foetu Circulatione mihi ſermo eſt.

PULMONES.

94. *Situs generalis. Figura.* Pulmones duae magnae Maſſae ſpongioſae, in infantia rubicundae, in aetate media cinereae, & in ſenectute caerulantes ſunt, in toto Pectore ita expanſae, ut una cavitatem lateris dextri, alteraque iſtam lateris ſiniſtri occupet; per Mediaſtinum atque per Cor a ſe invicem ſeparatae hisque duabus cavitatibus conformes, id eſt, in latere Coſtarum convexae, ſuper fornice Diaphragmatis concavae, & verſus Mediaſtinum atque Cor inaequaliter complanatae & depreſſae ſunt.

95. Quando Pulmones extra Pectus examinantur, quod aliquo modo extremitatem pedis Bovini, cujus anterior facies verſus Dorſum, poſterior verſus Sternum, atque inferior verſus Diaphragma verteretur, repraeſentent, videmus.

96. *Diviſio. Figura ſpecialis.* Secundum hancce diſpoſitionem in Pulmonem dextrum & in Pulmonem ſiniſtrum dividuntur. Quilibet in duas adhuc aut tres portiones, quae Lobi vocantur, diſtinguitur. Pulmo dexter ſaepius tribus aut duobus cum dimidio, & Pulmo ſiniſter ordinarie non niſi duobus inſtructus eſt. Pulmo dexter ordinarie iſto lateris ſiniſtri, huic Pectoris cavitati atque Mediaſtini obliquitati proportionate major eſt.

97. Pul-

97. Pulmo ſiniſter hoc peculiare habet, quod in inferiore marginis anterioris parte, e regione apicis Cordis, magna dentata inciſura gaudeat, ita ut huncce apicem, etiam in quam maxime violenta inſpiratione nunquam contegat. Cordis apex itaque cum Pericardio ſemper ad Coſtas immediate allidere poteſt; atque Pulmo Cor minime eo, uti vulgo dicitur, modo involvit. Inciſura haec in Anatomicis Euſtachii Tabulis notata eſt.

98. *Structura.* Subſtantia Pulmonis fere tota ſpongioſa, ex infinitis diverſis Membranaceis Cellulis, & ex pluribus Vaſorum ſpeciebus, quae inter Cellulas mediantibus innumeris Ramuſculis diſperguntur, compoſita eſt.

99. *Tunica.* Tota haecce congeries Membrana, quae cujuslibet Pleurae peculiaris continuatio eſt, inveſtitur. Hancce Pulmonis Membranam duplicem eſſe ſtatuunt, aſt id, quod pro interna Membrana venditatur, non niſi Texti Celluloſi, de quo, poſt expoſita Viſceris hujus Vaſa, mox dicam, expanſio atque continuatio exiſtit.

100. *Bronchia.* Vaſa quae Pulmonum Subſtantiam ex parte componunt, trium aut quatuor ſpecierum ſunt, Aërea ſcilicet, Sanguinea & Lymphatica, quibus Nervi addi poſſunt. Aërea Vaſa primariam ipſorum partem conſtituunt, atque Bronchia vocantur.

101. Tubi conici ex infinitis cartilaginoſis fragmentis, ceu totidem circulorum quam maxime

xime irregularium fragmentis, Membrana ligamentoſa atque elaſtica invicem ligatis, & ita diſpoſitis, ut inferiora facillime in ſuperiora ſeſe inſinuent, atque immittantur, compoſiti exiſtunt.

102. Bronchia interius Membrana ſubtili, e qua continue Mucilaginoſum ſerum exudat, inveſtiuntur. In craſſitie hujus Membranae magna parvorum Vaſorum Sanguiferorum quantitas, & ſuper ipſius convexitate multae Lineae longitudinales admodum prominentes, quae ex parte carnoſae, & ex parte e Texto elaſtico compoſitae eſſe videntur, deteguntur.

103. Rami hi per infinitos Ramuſculos in omnes ſenſus dividuntur, qui ſemper imminuendo procedunt, pedetentim ſtructuram ipſarum Cartilaginum amittunt, atque ea proportione, qua Capillares fiunt, membranacei evadunt. Praeter ſubtiles magnae ſeriei horum Ramuſculorum extremitates, omnes ſecundarios Truncos, ne minimis quidem exceptis, undique infinitos ſimiles breviſſimos Capillares Tubos de ſe ſpargere inſuper obſervatur.

104. *Veſiculae Bronchiales.* Quilibet magni hujus numeri parvorum Tuborum Bronchialium in extremitate ſua latior fit, parvamque Membranaceam Cellulam, quae communiter Veſicula appellatur, format. Cellulae hae ſive Folliculi in faſciculos intime invicem conglutinantur. Quilibet parvus Ramus faſciculum extenſioni

tenſioni ſuae atque numero ſuorum Ramuſculorum proportionatum producit.

105. *Lobuli*. Parvi hi Veſicarii ſive Celluloſi Faſciculi Lobuli vocantur. Et quemadmodum magni Rami in parvos Ramulos dividuntur, ita magni Lobuli in plures minores diſperguntur. Cujuslibet Lobuli Cellulae ſive Veſiculae in ſpecie admodum libere inter ſe communicant, aſt Lobulorum communicationem non adeo liberam eſſe videtur.

106. *Textum Interlobulare*. Lobuli per aliam Subſtantiam Celluloſam, quae eosdem peculiari eorundem extenſioni proportionate circumdat, quoque eorundem Interſtitia replet, admodum manifeſte ſeparati eſſe videntur. Subſtantia haec ſpeciem quoque Cellularum Membranacearum irregularium, Cellulis ſive Veſiculis Bronchialibus tenuiorum, laxiorum atque latiorum format.

107. Textum hoc in toto cujuslibet Pulmonis volumine expanditur, Vaginas ſpongioſas ſive Celluloſas, quae Bronchiorum atque Vaſorum Sanguiferorum Ramuſculos circumdant, format, ſupra externam Pulmonis ſuperficiem poſtmodum expanditur, ibique ſpeciem Tunicae Celluloſae ſubtiliſſimae producit, quae generali Pulmonum Involucro applicatur, atque cum eodem unitur.

108. Quando Textum hocce Interlobulare inflamus, Lobulos per compreſſionem venti immiſſi complanari videmus, & quando ventum in Cellulas ſive Veſiculas Bronchiales propellimus,

mus, easdem nonſolum ſtatim intumeſcere facit, ſed quando minima vi protruditur, in Celluloſum Interſtitiorum Textum ſive in Textum Interlobulare ſenſim tranſit. Haec Domini Helvetii Obſervatio eſt.

109. *Recte Vaſculoſum.* Omnes Cellulae ſive Veſiculae Bronchiales a ſubtiliſſimo extremitatum Arterioſarum & Venoſarum Reti, quae hinc & illinc Anaſtomoſes ſive communicationes inter ſe alunt, circumdantur. Maxima evolutionis delicatae hujus atque mirabilis ſtructurae pars illuſtri Domino Malpighio in acceptis referenda eſt.

110. *Vaſa Sanguifera* Pulmonis duplicis ſpeciei ſunt; quaedam communia ſunt, Arteria ſcilicet Pulmonalis, atque Venae Pulmonales; quaedam propria ſive peculiaria ſunt, Arteriae aut Venae Bronchiales audiunt.

111. *Arteria Pulmonalis* e dextro Cordis Ventriculo egreditur. Truncus ipſius fere directe aſcendit, atque verſus Aortae curvaturam in duos Ramos laterales, unum in latere dextro, qui Arteria Pulmonalis dextra dicitur, alterum in latere ſiniſtro, qui Arteria Pulmonalis ſiniſtra vocatur, dividitur. Arteria Pulmonalis dextra infra Aortae curvaturam excurrit, unde longior quam ſiniſtra exiſtit. Ambae verſus Pulmones procedunt, ſeſe ibidem inſinuant, atque mediantibus Ramuſculis iſtis Bronchiorum, quorum iter ſequuntur, fere ſimilibus diſtribuuntur.

112. *Venae Pulmonales.* Poſtquam hae eodem modo in Pulmonibus diviſae fuerunt, in quolibet

libet latere mediantibus duobus magnis Ramis, qui lateraliter in Receptaculum ſive Muſculoſum Auriculae Cordis ſiniſtrae Saccum aperiuntur, ex iisdem egrediuntur.

113. Ramuſculi duarum harum ſpecierum Vaſorum in Pulmone ubique a Celluloſa Interſtitiorum Subſtantia, de qua dixi, circumdantur, quae iisdem quoque ſpeciem Vaginae largitur. Capillares horum Vaſorum Extremitates Rete mirabile Domini Malpighii, de quo modo dixi, producunt. Pulmonalium Arteriarum Ramuſculos iſtis Venarum numeroſiores & ampliores eſſe, modo reliquis Corporis partibus contrario, in quibus Venae Arterias numero atque craſſitie ſuperant, notandum eſt.

114. *Arteriae & Venae Bronchiales.* Praeter primaria haec Sanguifera Vaſa duo alia adſunt, quae Arteria & Vena Bronchiales vocantur. Arteria per Deſcriptionem quam Dominus Ruyſchius de eadem dedit, inclaruit. Vena Bronchialis per tempus quoddam in dubium vocata fuit, aſt non minus quam Arteria reapſe exiſtit, atque facile demonſtrari poteſt.

115. Duo haec Vaſa admodum gracilia ſunt, atque non niſi ceu Arteriolae atque Venulae, ex Aorta, ex Vena Cava, & ex earundem Ramis eo modo, quem in Tractatu de Arteriis & in iſto de Venis indicavi, pullulantes apparent. Parva haec Vaſa non niſi nutritioni Pulmonis inſervire videntur.

NOTA.

116. Varietas ortus ſive originis Arteriarum Venarumque Bronchialium, inprimis Arteriarum, earundem communicationes ſive Anaſtomoſes inter ſe atque Vaſa vicina, & inprimis ſingularis immediata Arteriae Bronchialis cum Vena Pulmonali communi Anaſtomoſis, ratione Praxis Medicae adeo magni momenti ſunt, ut ea, quae alibi de his dixi, hic repetere, ne Lectorem remittendo diſtraham, admodum congruum duxerim.

117. Arteriae Bronchiales quandoque ab anteriore Aortae deſcendentis ſuperioris parte, quandoque a prima Arteria Intercoſtali, & quandoque ab Arteria Oeſophagea procedunt. Quandoque in utroque latere pro quolibet Pulmone ſeparatim gignuntur; quandoque ſolitarie aut per parvum Truncum communem oriuntur, qui ſeſe dextrorſum & ſiniſtrorſum verſus Aſperae Arteriae Furcam, de qua poſtmodum dicam, dividit, atque Bronchiorum in Ramuſculos diviſionem ſequitur.

118. Arteria Bronchialis lateris ſiniſtri ſaepiſſime ex Aorta pullulat, dum iſta lateris dextri Arteriae Intercoſtalis ſuperioris ejusdem lateris, ob Aortae ſitum, ſoboles eſt. Reperitur etiam una, quae poſterius ex Aorta, prope Arteriam Intercoſtalem ſuperiorem, atque altius quam Arteria Bronchialis anterior egreditur.

119.

119. Arteria Bronchialis ſupra proximam Cordis Auriculam parvum Ramum ablegat, qui cum Coronaria ejusdem lateris Arteria immediatam Anaſtomoſin format.

120. Anno 1719. manifeſtam admodum Anaſtomoſin ſive communicationem inter Ramulos Venae Pulmonalis ſiniſtrae atque Ramulos Arteriae Oeſophageae, quae a prima Arteria Intercoſtali ſiniſtra, conjunctim cum Árteria Bronchiali ejusdem lateris procedebat, vidi.

121. Eodem anno aut anno 1720. communicationem ſive Anaſtomoſin Arteriae Bronchialis ſiniſtrae cum Vena Azygos inveni. Anno 1721. Menſe Aprilis Ramulum Arteriae Bronchialis ſiniſtrae cum corpore hujus Venae Anaſtomoſin alere inſuper obſervavi.

122. Quandoque una Arteria Bronchialis plures Arterias Intercoſtales ſuperiores producit; quandoque plurium Arteriarum Bronchialium quaelibet ſeparatim Arteriam Intercoſtalem largitur.

123. Venas Bronchiales, uti etiam Arterias ejusdem nominis, Galenus jam obſervavit. Venae hae quandoque Ramuli Venae Azygos ſunt, & ex Arcus ipſius ſive curvaturae apice oriuntur. Iſta lateris ſiniſtri quandoque Trunci communis Intercoſtalium ejusdem lateris Ramulus eſt. Venae Bronchiales quandoque Venae Gutturalis Ramuli exiſtunt.

124. *Nervi.* Pulmones multis Nervis inſtructi ſunt, qui ibidem per Fila diſtribuuntur,

omnes Bronchiorum uti etiam Vaſorum Sanguiferorum Ramuſculos comitantur, atque ſupra Cellularum ſive Veſicularum parietes, uti etiam in Tunicis & in cunctis Membranaceis Pulmonum partibus diſtribuuntur. Nervi Sympathici medii atque magni Nervi Sympathici, communiter Nervi octavi Paris ſive Nervi Intercoſtales dicti, retro quemlibet Pulmonem peculiarem implicationem, quae Plexus Pulmonalis dicitur, invicem formant, a quo Fila Nervea procedunt, quae in tranſitu cum Plexu Cardiaco atque Plexu Stomachico communicationem alunt.

125. *Vaſa Lymphatica.* In ſuperficie Pulmonum Hominis, inter Tunicam internam atque Tunicam Celluloſam, veſtigia iſtis Vaſorum Lymphaticorum ſimilia reperiuntur; aſt cave ne fallaris, quando in Pulmonis ſuperficie poſt fortem Lobi inflationem Rete admodum tranſparens apparere videbis; aër enim, qui per Cellulas ſive Veſiculas Bronchiales in Cellulas Interlobulares tranſiit, plures parvos Lobulos a ſe invicem ſeparavit, atque in ſeceſſionis hujus interſtitia ſeſe contulit. Vera Vaſa Lymphatica Pulmonis in Brutis magis conſpiciuntur. In Equo verum Vas Lymphaticum juxta totam magnae portionis unius e marginibus Pulmonum longitudinem repere vidi.

126. *Ligamenta.* Infra cujuslibet Pulmonis Radicem, ita ſemper portionem a ſecundario Arteriae Pulmonalis Trunco, a Truncis Vena-

rum

rum Pulmonalium & a Trunco Bronchiorum formatam vocavi. Membranaceum pauxillum latum Ligamentum reperitur, quod poſteriorem cujuslibet Pulmonis marginem lateralibus Vertebrarum Dorſi partibus, ab hacce Radice ad Diaphragma uſque annectit.

127. *Arteria Aſpera.* Bronchia, de quibus ſupra dixi, magni ex parte Cartilaginoſi & ex parte Membranacei Canalis, qui Arteria Aſpera dicitur, Rami atque Ramuſculi ſunt. Anterius in inferiore Colli parte ſita eſt; inde in Pectus inter duas Pleuras per ſuperiorem Mediaſtini ſeceſſionem retro Thymum deſcendit.

128. Poſtquam ad curvaturam ſive Arcum Aortae pervenit, in duas laterales partes dividitur, quibus Bronchiorum nomen dant, unum in latere dextro & alterum in ſiniſtro, quorumque quodlibet in vicinum Pulmonem ſeſe immergit, ibique modo ſupra indicato dividitur. Bronchium dextri lateris breve eſt, illudque ſiniſtri lateris longum exiſtit, modo Pulmonalibus Arteriis contrario, quarum dextra longa & ſiniſtra brevis eſt.

129. Arteria Aſpera e pluribus Circulorum ſive Orbium Cartilaginoſorum ſegmentis, unus ſupra alterum ita diſpoſitorum, ut Canalis exinde exurgat, qui poſterius ſemiapertus eſt, ubi hicce Canalis Cartilaginoſi defectus molli atque Glanduloſa circumferentiam Canalis abſolventi Membrana compenſatur, formata eſt.

130. Quilibet cunctorum horum Circulorum lineam & ultra latitudine, atque quartam circiter lineae partem craſſitie adaequat. Extremitates eorundem rotundae ſunt. Unus ſupra alterum perpendiculariter per parva interſtitia ita locatus eſt, ut inferior cujuslibet margo ſuperiorem ſui vicini marginem reſpiciat.

131. Omnes hi Circuli mediante Ligamentoſa admodum robuſta atque elaſtica, margini Circulorum annexa Membrana ſibi invicem adhaerent. Tres priores Circulos in unicum unitos & in duobus locis juxta latitudinem ſuam alternatim incurvatos inveni. Quandoque duo in hunc modum continuati reperiuntur.

132. Aſperae Arteriae Canalis interius Membrana peculiari inveſtitur, quae partim carnoſa ſive Muſculoſa, & partim Ligamentoſa eſſe videtur, atque magno parvorum Foraminum plus minusve inſenſibilium numero perforatur, e quibus mucilaginoſus continue liquor exudat, qui internam Aſperae Arteriae ſuperficiem contra aëris, quem inſpiramus, acrimoniam defendere poteſt.

133. Liquor hic ex parvis Granis Glanduloſis, imprimis vero e Granis parumper majoribus, in craſſitie Membranae cujus externa ſive poſterior ſuperficies Membranae robuſtae Canalem finit, atque defectui portionis Circulorum Cartilaginoſorum ſupplet, diſperſis provenit. Eadem fere ſtructura in Ramuſculis uſque ad eorundem extremitates proportionate reperitur.

134.

134. Cuncta e quibus Pulmones potiſſimum componuntur Vaſa, tam Aërea, id eſt, Bronchia, quam Sanguinea, Arteriae ſcilicet atque Venae Pulmonales, Arteriae & Venae Bronchiales, ubique in hoc Viſcere ſe invicem comitantur.

135. Ordinarie ad ultimos Ramuſculos uſque, hunc in modum diſpoſitae ſunt, ut Truncus ſecundarius ſive Ramulus Bronchii inter Truncum ſecundarium ſive Ramulum Arteriae Pulmonalis, atque Truncum ſecundarium ſive Ramulum Venae Pulmonalis reperiatur. Vaſa Bronchialia Bronchiis immediate agglutinantur. Tria haec Vaſa quibusdam in locis ita diſponuntur, ut cuncta tria ſeſe attingant, triangulareque ſpatium inter ſe relinquant.

136. Bronchia in magnum admodum Ramuſculorum numerum dividuntur. Ultimi Ramuli Pediculi parvorum Lobulorum fiunt. Lobuli ſemper angulares, oblongi, lati, anguſti, &c. ſunt. Pediculi inter Lobulos alios Pediculos membranaceos, minores, admodum breves, quique Veſiculas atque Cellulas Bronchiales attingunt, earumque continuationes ſunt, ablegant. Trunci ſecundarii atque Ramuli Bronchiorum immediate adhuc e convexitate ipſorum parietum quamplures horum parvorum Pediculorum producunt.

137. Quando Pulmones inflantur, Cellulae Bronchiales ſuperficiei externae Pulmonum quam maxime vicinae inſtar parvarum portionum Veſicu-

ſicularum rotundarum ſeſe ſiſtunt. Id quod, ut omnibus Cellulis Bronchialibus in genere Veſicularum nomen datum fuerit, occaſionem ſuppeditavit, quamvis omnes, iſtis de quibus modo dixi exceptis, angulares exiſtant.

138. Quando Pulmo, absque ut infletur, examini ſubjicitur, Cartilaginoſi ibi Bronchiorum Circuli ita ſibi invicem vicini reperiuntur, ut anguſtiſſimus e duobus Circulis vicinis in alterum parumper immittatur; quando portio Bronchiorum duabus extremitatibus extenditur, Circuli hi a ſe invicem removentur, & hocce medio Canalis Bronchialis elongatur, qui, extenſione ceſſante, elaſticae ſuae Membranae elatere ſtatim iterum abbreviatur.

139. Quando portio Arteriae aut Venae Pulmonalis in eodem hocce Pulmone juxta totam longitudinem aperitur, quamplurimae rugae transverſae ibidem reperiuntur, quae, quando haec Vaſa juxta longitudinem extenduntur, obliterantur. Obſervationem hancce Dominus Helvetius dedit.

140. Mediante hacce ſtructura nonſolum omnes Bronchiorum Ramuſculi, ſed etiam omnes iſti Arteriarum atque Venarum Pulmonalium ſemper eandem in Pulmone inflato & in Pulmone flaccido directionem ſervant. Simpliciter abbreviantur, absque ut magis contortae, aut plicatae fiant. Hunc in modum Vaſa haec in exſpiratione elongantur, & in inſpiratione abbreviantur.

NOTA.

NOTA.

141. Tria haecce Vaſa in ſpecie Vaginae quaſi Celluloſae, quae omnes eorundem Ramuſculos comitatur, invicem includuntur. Non niſi Cellularum Interlobularium, id eſt, Texti Celluloſi interſtitiorum Lobulorum continuatio eſt. Interim Pelliculae, quae idem componunt, modo magis regulari, & magis juxta longitudinem quam alibi circum haecce Vaſa diſpoſitae ſunt, ita ut veram Vaginam formare videantur.

142. Quando mediante Tubo, quem adeo alte, ut Truncum Vaſorum ſive Truncum Bronchiorum immediate tangat, introduximus, ventum immittimus, aër ibidem juxta totam longitudinem in Cellulas, Truncos hos ſive Ramulos hoſce proxime circumdantes repit; quodſi vero inflationem continuamus, ubique in Interlobulare Textum procedit.

143. *Glandulae Bronchiales.* In prima Aſperae Arteriae Furca, in ipſo Furcae angulo, anterius atque poſterius, Glanduloſa quaedam, molliuſcula, irregulariter rotunda, caerulantis aut nigricantis coloris Corpora, quaeque Texto quod ex parte iſti Thymi, ſuperius deſcripti, partimque iſti Glandulae Thyroïdeae, de qua infra ſermo erit, ſimile eſt, reperiuntur. Similia in cujuslibet Bronchiorum in Ramuſculos diviſionis origine inveniuntur; aſt proportionate imminuuntur, atque minora evadunt. Glan-

dulae hae Bronchiis immediate annectuntur, Interlobularique Texto involvuntur. Mediantibus parvis aperturis cum Bronchiorum cavitate communicationem alere videntur.

N O T A.

144. Arteria Aſpera pluribus Membranis ſive Tunicis, quemadmodum ſupra innui, praedita eſt. Extima & quae communis vocatur, Aſperam Arteriam in Pectore involvit; extra Pectus vero prima haecce Tunica ab Aponevroticis Muſculorum Colli Expanſionibus originem ſuam ducit. Inter hancce atque ſequentem Tunicam Glanduloſa Grana, de quibus ſupra dixi, includuntur.

145. Secunda Membrana ſive Tunica eidem propria eſt. Celluloſa exiſtit, atque Tunicae Celluloſae Pulmonum continuatio eſt. Pelliculae hujus Tunicae Circulis Cartilaginoſis quam maxime vicinae iisdem Perichondrii externi loco ſunt. Tertia Membrana interius conſpicitur. Cartilaginibus itidem fortiter adhaeret, iisque etiam Perichondrii interni loco eſt.

146. Quarta Membrana iſta eſt, quae ſupplementum Canalis Cartilaginoſi Arteriae Aſperae format. E duabus praecipue Laminis ſive Stratis partim Muſculoſis & partim Tendinoſis, quorum externum ſive poſterius e Fibris longitudinalibus, internum ſive anterius e Fibris tranſverſis compoſitum eſt, conflatur. Membrana haecce a parvis Granorum Glanduloſorum ſupra indi-

indicatorum Tubis perforatur, quae, quando comprimuntur, liquorem ſuppeditant, & quando Microſcopii ope examinantur, Veſicaria ſive Follicoſa, fere uti iſta Ventriculi, eſſe videntur.

147. Ligamentum, quod inter quemlibet Circulum Cartilaginoſum intercedit, admodum forte atque elaſticum exiſtit. Quodlibet horum Ligamentorum duabus Cartilaginibus limitatur, nec ullam inter ſe communicationem alunt. Marginibus Cartilaginum annectuntur, fere uti Muſculi Intercoſtales Coſtis inſeruntur.

148. Bronchia ea proportione, qua in Maſſam Pulmonum penetrant, Cartilagines ſuas amittunt; aſt Muſculoſae Domini Morgagni Lineae ſive Columnae ſemper aeque poſt, quidquod quandoque melius quam ante apparent. Duo quoque Plana ſupra indicata ibi conſpiciuntur. Ibidem adhuc diſtincte admodum, interdum absque Microſcopio, multa parva foramina cernuntur, quae ab interiori extrorſum in Pediculos Lobulorum atque in Bronchiales ſive Veſicarias Cellulas, quae Bronchia immediate circumdant, aperiuntur.

149. *Uſus.* Reſpiratio duabus Organorum ſpeciebus abſolvitur, quorum quaedam ceu activa & reliqua ceu paſſiva conſiderari poſſunt. Pulmones ad ſecundam ſpeciem pertinent. Prima Diaphragma potiſſimum atque Muſculos Intercoſtales comprehendit.

150. Simulac Intercoſtales Muſculi ſeſe contrahunt, Arcus ſtatim Coſtarum conjunctim cum Sterno

Sterno elevantur, & a ſe invicem ſecedunt; unde Pectoris capacitas in utroque latere, & a poſteriori antrorſum augetur.

151. In eodem momento Diaphragma mediantibus duobus motibus, qui ſibi contrarii eſſe videntur, motu ſcilicet contractionis Fibrarum carnoſarum Diaphragmatis, atque motu dilatationis Coſtarum, quibus annexum eſt, complanatur. Cum externa Pectoris ſuperficies exinde quaſi augeatur, Bronchiorumque cavitas eodem tempore & eodem hoc medio minus reſiſtat, aër nos ambiens preſſioni externae cedit, atque in omnia ſpatia, ubi tunc preſſio ceſſat, id eſt, in Aſperam Arteriam atque in omnes Bronchiorum Ramuſculos ad Veſiculas uſque ruit. Id quod Inſpiratio vocatur.

152. Motus Inſpirationis momentaneus tantum eſt; in inſtanti ceſſat, quoniam Muſculi Intercoſtales relaxantur, Coſtaeque mediante elatere ipſarum Ligamentorum atque mediante iſto earundem portionum Cartilaginoſarum in priſtinum ſuum ſitum revertuntur. Ultimus hicce motus, quo mediante Coſtae deprimuntur, atque ad ſe mutuo accedunt, Exſpiratio audit.

153. Arteriae & Venae Pulmonales quae Bronchia in omnibus ipſorum in Ramuſculos diviſionibus uſque circum Veſiculas comitantur, ad Sanguinem Venoſum per flexuoſos earundem extremitatum Capillarium ſeceſſus ſive anguſtias vehendum, hocque modo eidem ad minimum

tres

tres mutationum ſive modificationum ſpecies, quae ſequentes ſunt, conciliandas inſerviunt.

154. Prima eſt, ut ibidem contundatur, conteratur & in pulverem quaſi redigatur; ſecunda, ut mediante tranſpiratione Pulmonali, quae communiter Halitus appellatur, aliqua Seri quantitate privetur. Tertia denique eſt, ut ibidem, ab impreſſione aëris, qui huc pertingit, ut ita dicam, iterum vivificetur; ſive nunc hic aër eidem penitus immiſceatur, ſive ſubtiles eidem particulas, quarum Vehiculum tantum conſtituit, afferat; ſive tandem Sanguinem, qui circum Veſiculas ſive Cellulas Bronchiales per Rete Vaſculoſum fertur, tantum comprimat atque conquaſſet.

155. Cartilagines Aſperae Arteriae atque iſtae Bronchiorum in genere ad Canalem, qui compreſſione deprimi nequeat, & nihilominus certis preſſionis aut impulſionis motibus, absque ut frangatur, cedere poſſit, formandum inſerviunt. Quoniam Cartilagines hae integros Circulos ſive Annulos non abſolvunt, earumque defectui ab elaſticis Membranis ſuppletur, motum dilatationis atque conſtrictionis, qui ad diverſos vocis ſonos formandos proprius exiſtit, concedunt. Una alteri mediantibus certae latitudinis elaſticis Ligamentis, quae reciprocam Bronchiorum longitudinem atque abbreviationem in motibus Reſpirationis faciliorem reddunt, annectuntur.

NO-

NOTA.

156. Nullam hic de Larynge, qui ordinarie pro ſuperiore Aſperae Arteriae parte habetur, mentionem injicio, Deſcriptionem illius ad Tractatum de Capite, cum quo pars haec peculiarem reſpectu Linguae connexionem alit, relego. Eo magis id facio, quoniam eidem Tractatui id quod Collum reſpicit adjicio, cum ipſius materia non adeo prolixa ſit, ut peculiaris inde Tractatus formari poſſit, quamvis in generali Corporis Humani diviſione inter Caput atque Pectus ſeorſim naturaliter ſeſe praeſentet.

OESOPHAGUS.

157. *Situs. Figura.* Oeſophagus Canalis partim Muſculoſus & partim Membranaceus eſt, qui retro Aſperam Arteriam & ante Dorſi Vertebras a medio circiter Colli ad inferiorem uſque Pectoris partem locatur, ubi per peculiarem parvi Muſculi ſive Muſculi inferioris Diaphragmatis aperturam in Abdomen tranſit, & in ſuperiore Ventriculi Orificio finitur.

158. *Structura. Tunicae.* E pluribus Tunicis, fere uti Ventriculus, cujus continuatio eſt, componitur. Prima in Pectore non niſi a Duplicatione portionis poſterioris Mediaſtini formatur. Supra Pectus & in Collo deficit, ubi Texti Celluloſi partium vicinarum continuatio non niſi communem Oeſophagi Tunicam conſtituit.

159. Secunda Tunica Muſculoſa, e diverſis Fibrarum carnoſarum Stratis compoſita eſt. Extimae

timae

timae quoad maximam partem longitudinales exiſtunt, nec omnes ab uno ad alterum uſque extremum continuantur. Sequentia Strata oblique transverſa, iſta quae ſequuntur, magis transverſa ſunt, internaque in contrarium ſenſum oblique feruntur. Cuncta pluribus in locis admodum irregulariter, absque ut ſpirales aut annulares ſint, ſeſe decuſſant.

160. Tertia Tunica Nervea vocatur, iſtique Ventriculi atque Inteſtinorum ſimilis eſt. Diverſimode juxta longitudinem plicatur, quoniam Muſculoſa amplior exiſtit, & a filata, albicanti, molliuſcula & ſubtili Tela, inſtar ſpeciei goſſypii circumdatur. Quando Xylina haecce Tela aquae immergitur, intumeſcit atque craſſa evadit.

161. Quarta ſive interna Tunica cum iſta Inteſtinorum aliqualem ſimilitudinem alit, excepto quod Papillis admodum parvis & admodum brevibus loco Texti Villoſi inſtructa ſit. Itidem ut tertia juxta longitudinem plicatur; ita ut Oeſophagus transverſim diſciſſus Tubum in alio Tubo incluſum repraeſentet. Viſcoſa continue Lympha ex Tunicae hujus Poris exudat.

162. Oeſophagus ab origine ſua pedetentim verſus latus ſiniſtrum fertur, & naturaliter juxta extremitatum ſiniſtrarum Cartilaginum Arteriae Aſperae longitudinem excurrit. In alio loco de Glandula Thyroïdea & de Glandulis retro medium Oeſophagi ſitis dicam, Pharyngem quoque, uti etiam Laryngem, ex rationibus quas indicabo, ad Capitis Hiſtoriam relego.

DUCTUS

DUCTUS THORACICUS.

163. Tenuis admodum & tranſparens Ductus eſt, qui a Receptaculo Lacteo juxta longitudinem Spinae Dorſi inter Venam Azygos atque Aortam, ad quintam usque Dorſi Vertebram aut altius aſcendit; ibi retro Aortam ſiniſtrorſum excurrit, & retro Venam Subclaviam ſiniſtram aſcendit, ubi in quibusdam in ampullam & in aliis in plures redadunatos Ramos deſinit, & in poſteriorem Venae Subclaviae partem prope externum Jugularis internae latus aperitur.

164. Canalis hic multis Valvulis ſemilunaribus, ab inferiori ſurſum ſpectantibus inſtructus eſt. Ipſius in Vena Subclavia in Corpore humano apertura loco ſemilunaris Valvulae a pluribus Pelliculis contegitur, quarum diſpoſitio Chylum huc verſus Venam Cavam progredi permittit, atque, ne Sanguis eodem tempore in huncce Canalem repat, impedit. Quandoque duplex, in quolibet latere unus, exiſtit, & quandoque a Pampiniformibus Appendicibus comitatur.

FINIS PRIORIS TOMI QUARTI PARTIS.

ERRATA.

Pag. 180. Lin. 26. & 27. attanem, leg. attamen.
pag. 178. lin. 1. & penult. Pubis, leg. Pubes.
pag. 200. lin. 7. hunce, leg. huncce.
pag. 216. lin. 21. *poſt* Texti, adde. continuatione.
pag. 218. lin. 4. ttansverſarum, leg. transverſarum.
pag. 219. lin. 15. deplentur, leg. depletur.
pag. 223. lin. 14. quoque, leg. quaeque.

EXPOSITIO
ANATOMICA
STRUCTURAE
CORPORIS
HUMANI

JAC. BENIGNI WINSLOW

IN UNIVERS. PARIS. ANAT. ET CHIR. PROF. SEN.
ATQUE MED. DOCTORIS, REGII IN LING. TEUTONICA
INTERPRETIS, ACAD. REG. GALL. SCIENT.
ALIARUMQUE SOCII.

E GALLICO LATINE VERSA,

CUM FIGURIS AENEIS EARUMQUE EXPLICATIONE.

TOMI QUARTI PARS SECUNDA.

CUM PRIVILEGIIS.

FRANCOFURTI & LIPSIAE.

Sumptibus JOAN. GOTHOFR. BAUERI.

M DCC LIII.

INDEX

Tractatuum, Titulorum atque praecipuarum Materiarum, quae in Secunda Parte Quarti hujus Operis Tomi continentur.

(Nota. *Primus numerus Paragraphum, & ſecundus Paginam indicat.*)

	Num.	Pag.
Delineatio & Diſpoſitio hujus Tractatus,	1	1
Cerebrum in genere, . .	3	2
Dura Mater, . . .	6	3
Ipſius Vaſa, ipſius Arteriae, .	25	9
Venae, Sinus, . .	28	10
Ipſius Nervi, Glandulae, .	47	17
Nota in Fibras & adhaeſionem Durae Matris,	48	18
Pia Mater, . . .	49	18
Arachnoides, . . .	51	19
Cerebrum in ſpecie, . .	53	20
Ipſius Lobi, ...	55	21
Ipſius Facies, Anfractus, . .	57	22
Fiſſura Cerebri, . . .	61	23
Corpus Calloſum, . . .	62	23
Fornix Medullaris, Centrum ovale, .	64	24
Ventriculi laterales, . .	65	25
Septum tranſparens, . .	68	26
Fornix trium Columnarum, . .	69	26
Eminentiae, ...	72	28
Corpora ſtriata, . .	73	28
Thalami Nervorum Opticorum, .	75	29
Tubercula, . . .	79	30
Canalis medius, . .	80	31
Apertura communis poſterior, .	81	31
Glandula Pinealis, . .	82	32
Infundibulum, . .	84	33
Tertius Ventriculus, . . .	85	33
Plexus ſive Reticulus Choroideus, .	87	34
Nota in Telam Ventriculorum, .	90	35

	Num.	Pag.
Glandula Pituitaria, . .	91	35
Cerebellum, . .	92	36
Quartus Ventriculus, . .	96	37
Nota in Textum Cellulofum, .	100	39
Medulla Oblongata, . .	102	40
Medulla Spinalis, . .	119	46
Nervi utriusque Medullae ab ipſorum origine uſque ad ipſorum exitum, .	130	51
Nota in eorundem progreſſum, .	131	51
Nervi Medullae Oblongatae, .	132	52
Primi Paris, . .	ibid.	
Secundi Paris, . .	135	53
Tertii Paris, . .	138	54
Quarti Paris, . .	139	54
Quinti Paris, . .	140	55
Sexti Paris, . .	142	56
Septimi Paris, . .	144	56
Octavi Paris, . .	145	57
Noni Paris, . .	146	57
Decimi Paris, . .	147	58
Medullae Spinalis, .	148	58
Vaſa Sanguifera Cerebri, & Medullae Spinalis,	162	64
Uſus Cerebri ipſiusque partium in genere,	181	70
Domini Stenonis Diſſertatio de Cerebri Anatome, Spectatiſſ. Viris DD. Societatis apud Dominum Thevenot collectae dicata, poſt §, . .	195	77
Calantica Aponevrotica, Pericranium, .	196	115
Pericranium, . .	198	116
Oculi in genere, . .	202	117
Orbitae, . . .	204	118
Bulbus Oculi, . . .	207	120
Tunicae in genere, . .	208	120
Humores in genere, . .	210	121
Tunicae Oculi in ſpecie, .	212	122
Sclerotica ſive Cornea, . .	ibid.	
Cornea opaca, . .	213	122
Cornea tranſparens, . .	214	122

Cho-

INDEX.

	Num.	Pag.
Choroidea, . . .	217	123
Uvea, Iris, Pupilla, Proceſſus Ciliares, .	220	125
Retina, Nervus Opticus, .	223	127
Humores Oculi. Eorundem Capſulae, .	228	129
Humor Vitreus, ...	*ibid.*	
Cryſtallinus, &c. . .	232	130
Humor Aqueus, Camerae, . .	238	133
Tunica Albuginea, . . .	240	134
Muſculi Bulbi Oculi, . .	241	134
Supercilia, Muſculi Frontales, Occipitales, Superciliares, . .	255	140
Palpebrae, . . .	267	145
Tarſi, . , .	269	146
Ligamenta lata Tarſorum, .	271	147
Membrana Conjunctiva, . .	272	147
Glandula Lacrymalis, . .	275	149
Cilia, ...	277	150
Glandulae Ciliares, . .	279	150
Puncta Lacrymalia, . .	280	151
Caruncula Lacrymalis, . . .	283	152
Muſculi Palpebrarum, . .	284	153
Elevator Proprius, . .	285	153
Muſculus Orbicularis, . .	286	153
Vaſa Oculi, &c. . . .	296	157
Nervi Oculi, &c. . . .	302	160
Uſus Oculi in genere, &c. . .	312	163
Naſus, . . .	315	164
Nares internae, . .	320	165
Cartilagines, . .	322	166
Muſculi, ...	329	169
Membrana Pituitaria, . . .	334	170
Sinus, ; . . .	339	172
Saccus Lacrymalis, . .	342	173
Ductus Inciſorii, . . .	350	176
Arteriae, Venae, . . .	357	180
Nervi, . . .	358	180
Aures in genere, . .	361	181
Auris externa, . . .	363	182

INDEX.

	Num.	Pag.
Cartilago Auris,	368	184
Ligamenta,	370	185
Muſculi,	372	186
Tegumenta,	376	187
Lobulus, Ductus Auditorius,	378	188
Glandulae,	380	188
Vaſa Sanguifera,	382	189
Nervi,	383	189
Auris interna,	384	190
Tuba Euſtachii,	386	191
Membrana Tympani,	393	193
Perioſtium internum,	396	194
Cellulae Maſtoideae,	397	195
Ligamenta Oſſiculorum,	398	195
Muſculi Oſſiculorum,	399	195
Muſculus Stapiae,	403	197
Perioſtium Labyrinthi,	404	197
Vaſa,	408	198
Nervi Auris internae,	409	199
Os in genere,	416	201
Collum in genere,	419	202
Larynx,	421	203
Cartilago Thyroides,	423	204
Cartilago Cricoides,	426	205
Cartilagines Arytenoides,	429	206
Epiglottis,	431	207
Ligamenta Laryngis,	432	207
Glottis,	435	208
Sinus Laryngis,	436	208
Glandulae Arytenoideae,	437	209
Muſculi Laryngis,	441	210
Sterno-Thyroidei,	445	211
Thyro-Hyoidei,	447	212
Crico-Thyroidei,	448	213
Crico-Arytenoidei poſteriores,	450	213
Crico-Arytenoidei laterales,	451	214
Thyro-Arytenoidei,	452	214
Arytenoidei,	453	214

Muſculi

	Num.	Pag.
Muſculi Thyro-Epiglottidei,	456	215
Aryteno-Epiglottidei,	457	215
Hyo-Epiglottidei,	458	215
Pharynx,	468	219
Ipſius Muſculi,	473	221
Cephalo-Pharyngei,	475	222
Petro-Pharyngei,	476	222
Spheno-Pharyngei, ſive Spheno-Salpingo-Pharyngei,	*ibid.*	
Pterygo-Pharyngei,	*ibid.*	
Stilo-Pharyngei,	477	222
Periſtaphylo-Pharyngei,	478	223
Palato-Pharyngei, ſive Hyo-Phayrngei,	*ibid.*	
Gloſſo-Pharyngei,	*ibid.*	
Hyo-Pharyngei, Baſio Pharyngei, Cerato-Pharyngei majores & minores,	479	223
Genio-Pharyngei, Mylo-Pharyngei,	480	224
Syndeſmo-Pharyngei,	481	224
Thyro-Pharyngei,	482	224
Crico-Pharyngei,	483	225
Oeſophagaeus,	484	225
Thyro-Adenoidaei,	*ibid.*	
Uſus horum Muſculorum,	485	226
Palatum, Septum Palati, Uvula, Muſculi, &c.	486	226
Muſculi Gloſſo-Staphylini,	495	230
Pharyngo-Staphylini,	496	230
Thyro-Staphylini,	497	231
Spheno-Salpingo-Staphylini, Peryſtaphylini externi communiter dicti,	498	231
Pterygo-Staphylini ſuperiores,	500	232
Pterygo-Staphylini inferiores,	*ibid.*	
Petro-Salpingo-Staphylini, Periſtaphylini interni comuniter dicti,	501	232
Staphylini, ſive Epiſtaphylini,	502	232
Lingua,	504	233
Papillae,	507	234
Foramen Glanduloſum,	509	235

	Num.	Pag.
Muſculi intrinſeci Linguae,	513	237
extrinſeci Linguae,	515	238
Mylo-Gloſſi,	517	238
Stilo-Gloſſi,	518	239
Hyo-Gloſſi, &c.	520	239
Genio-Gloſſi,	522	240
Inſertiones, Ligamenta Linguae,	530	243
Vaſa Sanguifera,	532	244
Nervi Linguae,	533	245
Uſus Linguae,	539	247
Malae, Labia, Gingivae,	542	248
Muſculi Labiorum,	548	250
Semi-Orbiculares,	553	253
Supra-Semi-Orbiculares,	555	253
Buccinatores,	556	254
Ligamenta Inter-Maxillaria,	557	254
Muſculi Zygomatici majores,	559	255
Zygomatici minores,	560	255
Canini,	561	256
Inciſores laterales,	562	256
Inciſores medii,	565	257
Triangulares,	566	258
Quadratus,	567	258
Inciſores inferiores, &c.	568	258
Platiſmamyoides ſive Cutanei,	570	259
Glandulae Salivales,	575	261
Parotides,	576	262
Maxillares,	579	263
Sublinguales,	581	264
Molares,	583	264
Buccales, Labiales, Linguales,	584	265
Palatinae, Arytenoideae, Uvulares,	585	265
Amygdalae,	586	266
Glandula Thyroidea,	588	266
Glandulae Lymphaticae,	591	268
Vaſa Lymphatica,	598	271
Glandulae in genere,	601	273

EXPOSITIO ANATOMICA STRUCTURAE CORPORIS HUMANI.

TRACTATUS DE CAPITE.

PRaecedentes Tractatus, id eſt, iſtum de Abdomine, atque illum de Pectore, cum partium externarum harum duarum Corporis Humani cavitatum deſcriptione incepi, poſtmodumque illam earundem partium internarum ſubjunxi. In Tractatu de Capite non eundem ordinem ſervabo. In illo primum id, quod in oſſea ipſius cavitate, id eſt, in cavitate Cranii continetur, & poſtmodum omne id, quod cavitatem hancce circumdat, explicabo, cujus ſtructura, in utroque Tractatu de Oſſibus expoſita, antequam praeſens Tractatus legatur, bene cognita eſſe debet.

2. Quando Caput in genere tanquam una e tribus primariis Corporis Humani Cavitatibus conſideratur, id prae duabus reliquis peculiare habet, quod exterius plurium peculiarium admodum compoſitorum Organorum ſedes atque fulcimentum ſit, quodque interius non niſi unicum Organon, quod pro Organo Organorum, & pro primo mobili totius oeconomiae Animalis habetur, Cerebrum ſcilicet, cujus Mechanismus adhuc aeque incognitus, ac demonſtratio ſtructurae diverſarum ipſius partium, etiam earum, quas cognoſcere credimus, difficilis eſt, contineat.

CEREBRUM IN GENERE.

3. *Nomen.* Cerebri Nomen in genere toti maſſae, quae Cranii cavitatem penitus occupat, quaeque duabus Membranis quae Meninges ſecundum Graecos, atque Matres ſecundum Veteres dicuntur, involvitur, quorum communis ſententia fuit, quod hae Membranae omnium reliquarum Corporis humani Membranarum origo & matres quaſi ſint, imponitur.

4. *Diviſio.* Maſſa generalis in tres portiones peculiares, in Cerebrum ſcilicet proprie dictum, ſive magnum Cerebrum, in Cerebellum, ſive parvum Cerebrum, & in Medullam Oblongatam diſtinguitur. Tribus hiſce in Cranio incluſis portionibus quarta, quae magnum Spinae Dorſi Canalem, ſub nomine Medullae Spinae ſive Medullae Spinalis occupat, quaeque Medullae Oblongatae continuatio eſt, additur.

5. Me-

5. Meninges ſive Membranae Matres in genere duae numero ſunt; una admodum fortis, quae Cranium immediate tangit; altera tenuis, quae maſſam Cerebri immediate attingit. Prima Dura Mater audit, & ſecunda Pia Mater vocatur, quae adhuc in duas, extimam harum duarum Laminarum Arachnoïdem appellando, atque intimae nomen Piae Matris conſervando, dividitur. A Meningibus initium faciam.

DURA MATER.

6. *Situs generalis.* Dura Mater Cerebrum cum omnibus quae ad illud pertinent, involvit. Partem Cranii interiorem inveſtit, eidem Perioſtii interni loco eſt, illius foramina replet, ipſius depreſſiones inveſtit, atque Eminentias, quae ibidem reperiuntur, contegit, ita ut Cerebrum ab iisdem nullum incommodum percipere poſſit.

7. *Diviſio.* Plures res in Anatomica Durae Matris Expoſitione obſervandae ſunt, ſcilicet: 1°. ipſius compoſitio; 2°. ipſius in Cranio adhaeſiones; 3°. ipſius Replicationes ſive Septa; 4°. ipſius Proceſſus, ipſius Vaſa ipſiusque Nervi.

8. *Compoſitio.* Dura Mater e duabus Laminis arctiſſime invicem conglutinatis, quarum Fibrae oblique ſe decuſſant, componitur. Solus hujus Membranae inter digitorum apices attritus duas ibi Laminas adeſſe, abunde teſtatur, quoniam hac methodo una ſupra alteram parumper lubrice moveri ſentitur. Textum admodum firmum,

admodum ſtrictum eſt, atque partim Ligamentoſum, partim tendinoſum eſſe videtur.

9. *Adhaeſiones.* Dura Mater Cranio mediante magno Filorum numero Laminae externae adhaeret, quae in Cranii Poros, praecipue in Suturis tam ſuperius quam inferius, per quarum juncturas penetrant, ſeſe inſinuant, ita ut Dura Mater cum externo Cranii Perioſtio hoc medio communicet. Fila haec quoad maximam partem parva Vaſa ſunt, quorum ruptura ex magno punctorum rubicundorum numero, quae ſtatim in externa Durae Matris ſeparatae ſuperficie apparent, ſatis cognoſcitur.

10. In Infantibus & in juventute toti internae Cranii ſuperficiei multo arctius quam in perſonis aetate provectis adhaeret; ratio eſt, quoniam Fila, de quibus modo dixi, ea proportione qua Pori oſſei cum aetate anguſtantur, admodum tenuia evadunt, & quaſi ſtrangulantur, ita ut violentia, quae ad eadem ſeparanda adhibetur, facilius diſrumpantur.

11. *Lamina interna.* Non niſi externa Lamina haſce adhaeſiones format; Lamina interna nihil ad eaſdem contribuit. Lamina haec in interna ſua ſuperficie admodum aequalis, laevis atque polita, ſemperque rore ſubtiliſſimo ex ipſius Poris, fere uti iſte Peritonaei atque Pleurae, exudante, leviter humida exiſtit.

12. *Replicationes. Septa.* Replicationes Durae Matris ab interna Lamina formantur. Tres adſunt, quae totidem Septa peculiaria formant, unum

unum ſuperius, quod Mediaſtini ſpeciem inter duos magnos Lobos Cerebri repraeſentat; unum medium inſtar Diaphragmatis, inter Cerebrum atque Cerebellum, & unum inferius inter Lobos Cerebelli. Septum ſuperius longitudinale, falciforme eſt, atque Falx Durae Matris appellatur. Septum quoque Sagittale, Septum Verticale ſive Mediaſtinum Cerebri vocari poteſt. Septum medium transverſum eſt: Contignatio Cerebri, Diaphragma Cerebri ſive Tentorium Cerebelli nominari poteſt. Septum inferius admodum parvum eſt, & inter Lobos Cerebelli deſcendit. Simplex Septi Cerebelli nomen ſive illud parvi Septi Occipitalis, reſpectu Contignationis, quae tanquam magnum Septum Occipitale conſiderari poteſt, eidem imponere poſſumus.

13. Septum ſuperius ſive Verticale, quod Falx Durae Matris dicitur, replicatio admodum longa, atque lata admodum Laminae internae Durae Matris Duplicatio exiſtit; quae replicatio uti etiam Duplicatio a toto margine Criſtae Oſſis Ethmoïdis, juxta totam Suturae Sagittalis longitudinem, uſque ad mediam Septi transverſi partem extenditur. Cum hocce Septo eum in modum unitur, ut laterales Falcis Laminae in utroque latere cum vicinis Laminae ſuperioris Tentorii portionibus continuentur.

14. In ſua cum Tentorio unione latius quam in ſua in Oſſe Ethmoïde annexione exiſtit, & in margine, qui Cranio adhaeret, altero margine, qui liber atque ſcindens quaſi eſt, craſſius exiſtit,

ita ut Falcem meſſoris repraeſentet, unde Falcis nomen eidem impoſitum fuit.

15. Transverſum Septum Oſſi Occipitali juxta longitudinem Stillicidiorum Sinuum lateralium atque magnorum Angulorum Apophyſium Petroſarum uſque ad poſteriores Oſſis Sphenoïdis Clinoïdeas Apophyſes annectitur. Hoc modo Contignationem quaſi atque Tentorii ſive Fornicis complanati, anterius magna Inciſura, quae fere ovalis eſt, gaudentis ſpeciem format.

16. Septum hoc generalem Cranii cavitatem in duo quaſi loculamenta ſive cavitates peculiares, unam magnam ſive ſuperiorem, & unam parvam ſive inferiorem, quae mediante magna ovali inciſura invicem communicant, diſtinguit. A peculiari Replicatione & a lata admodum Laminae internae Durae Matris Membrana formatur. Sua unione ſive potius cum Falce ſive Septo ſuperiore continuitate firmiter admodum in ſtatu naturali tenſum eſt.

17. Unio ſive Septi hujus cum Falce ſive Septo ſuperiore continuitas, ambo reciproce admodum tenſa tenet; ita ut Tentorium notabile pondus, absque ut deprimatur, ſuſtinere poſſit, Falxque niſibus in utroque latere, absque ut neque dextrorſum neque ſiniſtrorſum cedat, reſiſtere poſſit.

18. Quando mox in naturali ipſorum ſtatu eadem contrectamus, poſtmodumque unum poſt alterum juxta ipſorum longitudinem diſcindimus, aut quod melius eſt, quando Falx hunc in modum

dum in uno ſubjecto, atque Tentorium in alio diſcindimus, facillime hac de re certiores reddi poſſumus; Falcem enim Forfice diſcindentes Tentorium ſtatim firmitate ſua privari videbimus, atque ſimili inciſura in Tentorio facta Falcem laxam fieri conſpiciemus.

19. Parvum Septum Occipitale admodum parva extenſione, tam ratione longitudinis, quam ratione latitudinis praeditum eſt. A parte media Tentorii recta deorſum uſque ad magni Foraminis Occipitalis marginem, juxta longitudinem Spinae internae Oſſis Occipitalis annexum deſcendit. Itidem a parva Replicatione & a proportionata Laminae internae Durae Matris Duplicatione formatur. Fundum cavitatis Occipitalis Cranii in duas partes laterales diſtinguit. Septum hoc quibusdam in ſubjectis, uti etiam Spina oſſea duplex exiſtit.

20. *Replicationes Sphenoïdales.* Praeter magnas has Replicationes duae parvae gemellae ſive laterales, in quolibet Sellae Sphenoïdalis latere una, quae ab Apophyſi Clinoïdea poſteriore ad Apophyſin Clinoïdeam anteriorem ejusdem lateris excurrit, reperiuntur. Duae hae Replicationes conjunctim cum parte anteriore atque parte poſteriore Sellae Sphenoïdalis parvam Foſſulam, in qua Glandula Pituitaria locatur, formant. Duae adhuc Replicationes anteriores dantur, quarum quaelibet in margine Rimae Sphenoïdalis ſive Rimae Orbitariae ſuperioris eſt: hae Replicationes profunditatem Foſſarum mediarum baſis Cranii augent.

augent. Tres itaque magnae Replicationes Durae Matris, & quatuor parvae adſunt. Cunctae ab interna Lamina generantur, internique Durae Matris Proceſſus appellari poſſunt.

21. *Proceſſus.* Productiones Durae Matris ſunt, quae a Membranae hujus Laminis formantur, quaeque, dum e Cranii cavitate per aperturas in Tractatu de Oſſibus Siccis deſcriptas egrediuntur, limites ipſius circumferentiae excedunt. In eo a Replicationibus differunt, quae non niſi ab unica Lamina formantur, nec e Cranio egrediuntur. Externae Durae Matris productiones appellari poſſunt.

22. Maxime notabilis horum Proceſſuum per magnum Foramen Occipitale excurrit, atque in communem Vertebrarum Canalem, cujus parietes inſtar Tubi inveſtit, & circum Spinalem Medullam, ſub nomine Durae Matris hujus Medullae deſcendit. Reliqui Proceſſus Nervos extra Cranium Vaginarum inſtar comitantur. Vaginae hae in majori numero, quam Faſciculi ſive Trunci Nervorum, qui per Paria numerantur, reperiuntur. Sic pro Olfactoriis Nervis totidem Vaginae admodum diſtinctae adſunt, quot Foramina Laminae Ethmoïdalis reperiuntur. Dantur Nervi, qui per unum idemque Foramen a plurimis Vaginis comitantur; exempli gratia ii, qui nonum Par vocantur.

23. Duo peculiares Proceſſus reperiuntur, qui conjunctim cum Opticorum Nervorum Vaginis Perioſtium Orbitarum formant. Orbitarii hi Pro-

Proceſſus per Rimas Sphenoïdales ſive Rimas Orbitarias ſuperiores exeunt, in exitu denuo latiores fiunt, atque totam Orbitarum cavitatem inveſtiunt. In marginibus Orbitarum cum Pericranio atque Perioſtio Faciei communicationem alunt. Per Rimas Spheno-Maxillares ſive Rimas Orbitarias inferiores cum Pericranio Foſſae Temporalis atque Foſſae Zygomaticae adhuc communicant. Exinde Symptomata, quae in vicinia harum partium Capitis vulneribus ſuperveniunt, explicari poſſunt.

24. Proceſſus ſive externae Durae Matris Productiones, quae per Foramina Cranii cum Vaſis Sanguiferis egrediuntur, immediate poſtea cum Pericranio uniuntur; verbi gratia, iſtae quae Foſſulas Foraminum Lacerorum ſive Foraminum Jugularium, & iſtae quae Canales oſſeos ſive Canales Carotidales Apophyſis Petroſae, &c. inveſtiunt.

25. *Vaſa. Arteriae.* Vaſa Durae Matris ſunt Arteriae, Venae & Sinus. Arteriae in genere in anteriores, in medias, in poſteriores diſtinguuntur. A Carotidibus & a Vertebrali cujuslibet lateris proveniunt. Carotis externa Ramum largitur, qui per Foramen Spinoſum Oſſis Sphenoïdis intrat. Ramus hic mediam Durae Matris Arteriam conſtituit, atque praecipue Arteria Durae Matris audit. In quamplurimos Ramulos dividitur, qui longe lateque in Laminae externae Durae Matris craſſitie, uſque ſupra Falcem diſperguntur, ubi Ramuſculi hujus Arteriae unius

lateris cum iſtis paris Arteriae alterius lateris communicationem alunt. Arteriae hujus Veſtigia in Facie Oſſis Parietalis conſpiciuntur, cujus Angulus anterior inferior loco ſimplicis veſtigii Canalem pro tranſitu Trunci ſive Ramuli hujus Arteriae continet, unde multa in Cranii fractura incommoda accidunt, quemadmodum ante plus quam octo annos in Horto Regio monſtravi.

26. Carotis externa parvum adhuc Ramulum praebet, qui per angulum ſive parvam Rimae Sphenoïdalis ſive Rimae Orbitariae ſuperioris extremitatem, & quidem quandoque per parvam inciſuram, de qua in Tractatu de Oſſibus Siccis dixi, intrat. Ramus hic anterior Durae Matris Arteria eſt. Ramuſculos pariter, aſt in minori numero quam praecedens, cum qua communicationem alit, de ſe ſpargit. Dum Carotis interna in Cranium intrat, parvum in craſſitiem Durae Matris Ramum mittit.

27. Duae Arteriae Vertebrales per magnum Foramen Occipitale intrant, atque ſupra anteriorem ſive Sphenoïdalem Oſſis Occipitalis Apophyſin in unum Truncum redadunantur. Quaelibet harum Arteriarum poſt ſuum introitum in utroque latere mediante uno Ramo aut duobus Ramis in Durae Matris craſſitiem ſeſe confert. Poſteriores Durae Matris Arterias conſtituunt, & quidam eorundem Ramuſculorum cum iſtis Arteriae mediae ſive Arteriae Spinoſae, de qua modo dixi, communicant.

28. *Venae. Sinus.* Dura Mater plures in Duplica-

plicatione ſuarum Laminarum peculiares Canales, in quos nonſolum Venoſus Durae Matris ſed etiam totius Cerebri Sanguis exoneratur, includit. Sinus vocant. Plures ſunt, & in pares atque impares diſtinguuntur; id eſt, inveniuntur, qui in medio ceu unici locantur, aliique lateraliter in utroque latere ſiti ſunt. Antiquiſſimi Anatomici non niſi quatuor ſtatuerunt. Hodie horum quadruplum addi poteſt.

29. Sinus hi in Duplicatione Durae Matris ſunt, id quod minime, quin interna eorundem cavitas peculiari atque admodum ſubtili Membrana inveſtiatur, impedit. En eorundem enumerationem:

Magnus Sinus Falcis, ſive Sinus longitudinalis ſuperior. Primum Veterum conſtituit.

Duo magni Sinus laterales. Primus atque ſecundus Veterum ſunt.

Sinus Torcular Herophili dictus. Quartus Veterum eſt.

Parvus Sinus Falcis; ſive Sinus longitudinalis inferior.

Sinus Occipitalis poſterior. Quandoque duplex eſt.

Duo Sinus Occipitales inferiores, qui ex parte Sinum circularem formant. Sinus laterales inferiores etiam appellari poſſunt.

Sex Sinus Petroſi, in quolibet latere tres; unus anterior, unus medius ſive Angularis,

laris, & unus inferior. Duo inferiores cum Occipitalibus Sinum Circularem circum magnum Foramen Occipitale abſolvunt.

Sinus Transverſus inferior.

Sinus Transverſus ſuperior.

Duo Sinus Circulares Sellae Sphenoïdalis; unus ſuperior & unus inferior.

Duo Sinus Cavernoſi; in quolibet latere unus.

Duo Sinus Orbitarii; in quolibet latere unus.

30. Omnes hi Sinus inter ſe invicem atque cum magnis Sinubus lateralibus communicant, & mediantibus iisdem in Venas Jugulares internas, quae non niſi magnorum Sinuum lateralium continuationes ſunt, ſeſe exonerant. Ex parte in Venas Vertebrales, quae cum parvis Sinubus lateralibus ſive Sinubus Occipitalibus inferioribus congrediuntur, ſeſe exonerant. Tandem etiam ex parte per Sinus Orbitarios, in Venas Jugulares externas, quae cum Angularibus atque Frontalibus, Naſalibus, Maxillaribus, &c. Venis communicant, quemadmodum etiam Sinus laterales cum Venis Occipitalibus &c. communicationem alunt, ſeſe exonerare poſſunt.

31. Sanguis itaque Durae Matris per Venas Jugulares internas, per Venas Jugulares externas, atque per Venas Vertebrales ad Cor redit, poſtquam per Arterias Carotides externas, per Arterias Carotides internas, & per Arterias Vertebrales illuc advectus fuit; ita ut, quando in pecu-

liaribus

liaribus quibusdam locis tranſitus impeditur, Sanguis mediantibus hiſce communicationibus, licet minore facilitate, per anfractus elabatur. Hoc nonſolum reſpectu impedimentorum, ſed etiam reſpectu diverſorum Capitis ſituum obſervandum eſt.

32. Magnus Sinus Falcis ſive Sinus longitudinalis ſuperior, a Criſtae Ethmoïdalis cum Oſſe Frontali connexione juxta longitudinem marginis ſuperioris Falcis uſque ad medium marginis poſterioris Tentorii ſive Septi transverſi extenditur, ubi mediante Furca cum magnis Sinubus lateralibus coit. In anteriore ſua extremitate admodum anguſtus eſt, atque magis magisque latior aut amplior uſque ad poſteriorem ſuam extremitatem fit.

33. Capacitas hujus Sinus non rotunda ſed triangularis fere eſt, quoniam tribus quaſi Faciebus, una ſuperiore, Cranio parallela, & duabus lateralibus, verſus Planum Falcis inclinatis inſtruitur. Facies ſuperior ab externa Durae Matris Lamina formatur. In medio latitudinis hujus Faciei ſpecies Raphe ſive Suturae admodum ſubtilis conſpicitur, quae ab una extremitate ad alteram uſque extenditur.

34. Duae Facies inferiores ſive laterales Laminae internae Durae Matris productiones ſunt, quae, poſtquam externam Laminam dereliquere, verſus ſe invicem inclinantur, plane ad ſe invicem accedunt, atque primo Sinum, poſtmodumque duplicationem Falcis formant. Sinus hic interius Membrana propria admodum ſubtili inveſtitur,

quae

quae itidem ſpeciem Raphe ſive Suturae juxta longitudinem fundi Sinus, id eſt, juxta longitudinem redadunationis duarum ipſius Facierum lateralium, de quibus modo dixi, format.

35. Plures in hocce Sinu aperturae pluraque frena ligamentoſa obſervantur. Aperturae Venarum orificia ſunt, quarum minimae Durae Matris Venae, maximae Cerebri Venae exiſtunt. Venae Cerebri quoad maximam partem oblique a poſteriori antrorſum, poſtquam per ſpatium transverſum circiter digitum plus minusve adaequans in duplicatione Durae Matris repſere, hic inſeruntur.

36. Immediate Arterias Durae Matris in Sinum ſeſe exonerare crediderunt, quoniam injectionem per haſce Arterias factam in eundem penetrare viderunt, & quoniam ſeta porcina in unam harum Arteriarum introducta itidem in eundem tranſibat. Quando vero res diligentius examinatur, injectiones ex Arteriis in Venas, quae mediantibus valde parvis orificiis in Sinum hiant, tranſiiſſe, ſetamque prope Sinum Tunicam Arteriae, quae admodum tenuis exiſtit, perforaviſſe apparuit.

37. Error hic alium generavit, qui in eo conſiſtebat, quod Duram Matrem Venis carere crediderint. Quoniam Arteriae Durae Matris Venas contegunt, ita ut harum Venarum margo vix ad latus Arteriarum appareat, inde in errorem hunc inducti fuerunt. Dantur loca, ubi duo margines Venae, quoniam Arteria naturaliter latior

tior eſt, inſtar duorum Vaſorum Capillarium in duobus Arteriae lateribus apparent. Venae hae quoad maximam partem Ramuli Sinus ſunt. Inveniuntur, quarum parvi Trunci in Caput Jugularis internae hiant. Quod veram Arteriarum unius lateris Durae Matris cum iſtis lateris oppoſiti, ſupra magnum Falcis Sinum communicationem attinet, de eadem injectionis atque flatus ope facillime certiores reddi poſſumus.

38. Interna magni hujus Sinus Frena tendinoſa eſſe apparent, atque non niſi ad impediendum ne Sinus hic a Sanguinis abundantia nimium dilatetur, inſervire videntur. Nihilominus in diverſis ſubjectis variant, nec ſemper ab uno latere ad alterum uſque tendunt. Glandulas in eodem ſe detegiſſe quidam ſibi perſuadent; aſt bene cavendum eſt, ne parva Grana ſive Corpuſcula a morbis producta nos fallant.

39. Sinus inferior Falcis in inferiore ipſius duplicationis margine ſitus eſt. Admodum anguſtus, & in utroque latere quaſi complanatus exiſtit. Cum quarto Sinu Veterum immediatam communicationem alit, imo in quibusdam ſubjectis illius continuatio eſſe videtur. Cum magno Sinu quoque, ſive Sinu ſuperiore per parvas Venas, quae ab uno ad alterum excurrunt, & per idem medium cum Venis Cerebri, communicat.

40. Sinus laterales duos quaſi craſſos Sinus longitudinalis ſuperioris Ramos conſtituunt, quorum unus dextrorſum & alter ſiniſtrorſum, juxta longitu-

gitudinem magnae circumferentiae Tentorii Cerebelli, uſque ad Baſin Apophyſis Petroſae Oſſium Temporum excurrit. Inde ſtatim magnam inflexionem, & poſtea parvam inſtituentes, magnis Stillicidiis lateralibus baſis Cranii annexi deſcendunt, atque decurſum horum Stillicidiorum uſque ad Foramina Lacera & ad Foſſulas Venarum Jugularium ſequuntur.

41. Non ſemper aequalis atque ſymmetrica Sinus longitudinalis ſuperioris Furca eorundem originem conſtituit; nam quibusdam in ſubjectis unus Sinuum lateralium Sinus ſuperioris continuatio, atque alter ipſius Ramus eſſe videtur. In quibusdam varietas haecce in dextro, in aliis in ſiniſtro latere occurrit. Uno verbo, unus horum Sinuum quandoque magis ſuperius aut magis inferius, & quandoque altero major minorve reperitur.

42. Capacitas horum Sinuum lateralium itidem triangularis eſt, atque Membrana propria & Frenis inſtructa eſt. In iisdem quoque Oſtia Venoſa, uti in magno Sinu Falcis, & uti etiam in maxima parte reliquorum Sinuum obſervantur. Facies poſterior ſive externa ab externa Durae Matris Lamina, & duae reliquae Facies ab interna Lamina formantur.

43. Dum duo hi Sinus per poſteriorem aperturarum baſis Cranii portionem, quae Foramina Lacera dicuntur, egrediuntur, dilatantur, & quilibet ſpeciem ampullae Foſſulis Venarum Jugularium proportionatae formant, ubi in easdem haſce Venas hiant.

44. Quar-

44. Quartus Sinus Veterum. In vicinia concurſus Sinus longitudinalis ſuperioris cum duobus Sinubus lateralibus, Oſtium, quod quandoque duplex exiſtit, conſpicitur; orificium Sinus eſt, qui juxta totam longitudinem in unione Falcis cum Tentorio includitur. Non ſemper directe in inferiorem magni Sinus ſuperioris partem hiat; quandoque in initium unius e Sinubus lateralibus, quando Furca non aequalis aut ſymmetrica exiſtit, aperitur, tuncque ſaepius in iſtum Sinuum lateralium, qui Trunci communis Sinus ſuperioris atque alterius Sinus lateralis Ramus quaſi eſſe apparet, hiare deprehenditur.

45. Sinus hic Torcular Herophili, id eſt, Prelum Herophili, veteris Auctoris, dictum fuit, qui Sanguinem in quatuor horum Sinuum occurſu in prelo quaſi conſtitutum eſſe credidit. Diameter ipſius non notabilis eſt. Cum Sinu longitudinali inferiore atque cum Vena quadam Cerebri, magna Vena Galeni dicta, quae quandoque duplex exiſtit, ſpeciem Furcae efficit.

46. Sinus Cavernoſi ſive laterales Oſſis Sphenoïdis Sinus Receptacula admodum peculiaria ſunt, quae praeter Sanguinem, quem continent, Vaſa quoque atque Nervos notabiles includunt, quemadmodum in ſequentibus videbimus. Receptacula haec interius Subſtantia ſpongioſa ſive cavernoſa Sanguine plena, fere uti iſta Lienis atque iſta Corporum Cavernoſorum & Urethrae repleta ſunt.

47. *Nervi. Glandulae.* Nervos Durae Matris

 quod

quod attinet, Fila quaedam a Trunco quinti Paris in introitu Sinus Cavernoſi & a Trunco ſive communi octavi Paris Faſciculo, & a Nervo Acceſſorio ſive Spinali in eorundem per Foramen Lacerum tranſitu ablegata reperiuntur. Grana ſive parva Tubercula, quae juxta longitudinem Facierum lateralium Sinus longitudinalis Falcis quandoque reperiuntur, quaeque glanduloſa eſſe videntur, examini adhuc ſubjici debent. Tota interna Durae Matris Facies fere uti iſta Pleurae atque iſta Peritonaei madida eſt.

N O T A.

48. Fibrae prominentes varie decuſſatae, quae praecipue prope Falcem atque Tentorium, in interna Durae Matris ſuperficie conſpiciuntur, quaeque pro Fibrarum carnoſarum ſpecie habitae fuerunt, nihilominus non niſi ligamentoſae atque elaſticae eſſe videntur. Univerſalis Durae Matris in Cranio adhaeſio, Membranam hancce nullo peculiari motu gaudere, Fibrasque carnoſas ſive Muſculares hic per conſequens valde inutiles eſſe pariter probant. Adhaeſio haec a Veſalio, Riolano, &c. ante Roonhuyſenum clariſſime demonſtrata atque deſcripta fuit.

P I A M A T E R.

49. *Situs generalis.* Membrana haecce totam Cerebri Maſſam ſpecialius quam Dura Mater involvit. Cerebro arcte adhaeret, Duraeque Matri non niſi mediantibus Venis, quae in Sinus ſeſe exone-

exonerant, quemadmodum ſupra indicavimus, annectitur.

50. *Structura.* Itidem e duabus Laminis admodum ſubtilibus, quarum externa totam Cerebri convexitatem aequaliter admodum & toti internae ſive concavae Durae Matris Faciei fere conformis contegit, componitur. Interna Lamina per plures peculiares Replicationes Duplicationesque magnum Septorum multiplicatorum & undantium numerum, quae in omnes plicas, inter omnes gyros & diverſa Cerebri atque Cerebelli ſtrata ſeſe inſinuant, producit.

51. *Arachnoïdes.* Duae Piae Matris Laminae non ita arcte uti iſtae Durae Matris invicem uniuntur. Non niſi mediante Texto Celluloſo ſibi invicem adhaerent, quod totam communem ipſarum extenſionem, quibusdam locis baſis Cerebri, &c. exceptis, comitatur, ubi interna Lamina inſertiones ſuas continuat, dum externa Lamina ſupra partes prominentes aequaliter tenſa, & ab interna Lamina in intervallis harum partium prominentium, absque Texto Celluloſo inter duas Laminas plane ſeparata manet. Peculiares hae Laminae externae ita dimotae portiones, ut tota Lamina externa in genere tanquam tertium Involucrum a Pia Matre diſtinctum conſideraretur, atque ob ipſius cum Tela Araneae, reſpectu ipſius ſubtilitatis, ſimilitudinem, Arachnoïdes vocaretur, occaſionem ſubminiſtraverunt.

52. In ambabus hiſce duabus Piae Matris Laminis ſpecies adhuc duplicationis ſubtiliſſimae detegitur,

tegitur, quae itidem Vaſa continet, quemadmodum in Curſibus meis privatis demonſtravi. Parva haecce Vaſa absque Injectione Anatomica admodum ſubtili, cui magna inflammatio optime ſupplet, non niſi rariſſime in conſpectum prodeunt. Textum Celluloſum nonſolum communem duarum Laminarum extenſionem, quemadmodum ſupra innui, ſequitur, verum totam etiam peculiarem Laminae internae in omnibus ipſius duplicationibus, ipſiusque Septis extenſionem comitatur. Id quod optime flatu mediante parvo Tubo inter duas Laminas introducto, magna adhibita diligentia ne partes circumjacentes laedantur, & ſecundum Methodum quam omnibus Spectatoribus in Diſſectionibus publicis, quas ipſe anno 1726. in Scholis Medicorum, ad imitationem Riolani inſtitui, monſtrabam, apparet.

CEREBRUM IN SPECIE.

53. *Situs. Figura.* Cerebrum proprie dictum Maſſa medullata, mediocriter firma, in ſuperficie cineritia eſt, quae totam ſuperiorem cavitatis Cranii portionem, id eſt, portionem ſupra Tentorium Cerebelli occupat. Figura ipſius ſuperius convexitatem ovalem, fere inſtar illius dimidiae partis ovi juxta longitudinem diſciſſi, ſive potius inſtar illius duarum quartarum partium ovi juxta longitudinem diſciſſarum, atque parum a ſe invicem dimotarum repraeſentat. Inferius in fundo, cujus quaelibet dimidia lateralis pars in tres gibbos, qui Lobi, unus anterior, unus medius

dius & unus poſterior, vocantur, dividitur, magis complanata exiſtit.

54. *Subſtantia.* Duplicis ſpeciei eſt, mediantibus duobus diverſis coloribus diſtinctae, quarum una ex albo nigreſcens ſive cineritia, magisque molliuſcula, altera admodum alba atque firmior eſt. Cineritia Subſtantia externam praecipue Cerebri partem occupat, atque ſpeciem quaſi corticis conſtituit, id quod, ut Subſtantia Corticalis ſive Subſtantia Cineritia appellaretur, occaſionem ſubminiſtravit. Subſtantia alba in interna Cerebri parte dominium obtinet, atque Subſtantia Medullaris ſive ſimpliciter Subſtantia Alba vocatur.

55. *Diviſio. Lobi.* Cerebrum in duas portiones laterales, mediante Falce ſive magno longitudinali Durae Matris Septo a ſe invicem ſeparatas dividitur. Communiter Hemiſphaeria nominantur, quamvis nomen Quadrantum Sphaerae oblongae iisdem melius conveniret. Quaelibet harum portionum lateralium ſive Quadrantum Sphaerae in duas extremitates, unam anteriorem & unam poſteriorem, quae Lobi Cerebri vocantur, dividitur, inter quas inferius craſſa Extuberatio reperitur, cui idem nomen imponitur; ita ut quaelibet portio lateralis tribus Lobis, uno anteriore, uno medio & uno poſteriore gaudeat.

56. Lobi anteriores a partibus Oſſis Frontalis, quae ad Orbitarum atque Sinuum Frontalium formationem contribuunt, id eſt, a locis, qui communiter Foſſae anteriores baſis Cranii vo-

 cantur,

cantur, ſuſtinentur. Lobi poſteriores Tentorio Cerebelli incumbunt, & Lobi medii in Foſſis lateralibus ſive mediis baſis Cranii locantur.

57. *Facies. Anfractus.* Quaelibet lateralis Cerebri portio tribus Faciebus, una ſuperiore, convexa ſive fornicata; una inferiore, inaequali; & una laterali, complanata, Falcem reſpiciente gaudet. In tota ſuperficiali harum trium Facierum extenſione Anfractus inſtar gyrorum Inteſtinorum conſpiciuntur, qui ab undantibus & admodum profundis, quamvis valde anguſtis Sulcis formantur, in quos Pia Mater per totidem Septa ſive Duplicationes, quae gyros ſive Anfractus hoſce ſeparant, ſeſe inſinuat.

58. Gyri hi verſus ſuperficiem Cerebri inſtar ſtrigum ſerpentino ductu excurrentium a ſe invicem parumper dimoventur. In hiſce ſeceſſionibus Venae Cerebri ſuperficiales inter duas Laminas Piae Matris locantur, unde in Duplicationem Durae Matris procedunt, atque in Sinus aperiuntur.

59. Hi Anfractus juxta totam ſuam profunditatem Septis ſive Duplicationibus Piae Matris, mediantibus infinitis Filis vaſculoſis ſubtiliſſimis atque graciliſſimis anneсtuntur, quemadmodum, quando gyri ſenſim ſenſimque digitis a ſe invicem dimoventur, videre eſt.

60. Quando hi gyri transverſim diſcinduntur, Albam Subſtantiam medium craſſitiei cujuslibet gyri occupare videmus, ita ut totidem Anfractus Medullares interius reperiantur, quot Cortica-

ticales Anfractus exterius adſunt. Medullares Laminae quaſi Albae, Subſtantia Cineritia indutae & circumdatae ſunt. Strata Subſtantiae Corticalis pluribus in locis iſtis Subſtantiae Medullaris craſſiora exiſtunt.

61. *Fiſſura.* Lobus anterior Cerebri & Lobus medius cujuslibet lateris admodum profundo admodumque anguſto Sulco, qui a Temporali Oſſis Sphenoïdis Ala verſus medium Oſſis Parietalis, ab anteriori oblique retrorſum aſcendit, a ſe invicem ſeparantur, atque quaelibet duarum Facierum hujus diviſionis itidem ſuis Sulcis, ſuisque peculiaribus Anfractibus inſtruitur, id quod magnam admodum Subſtantiae Corticali extenſionem conciliat. Sulcus hic magna Fiſſura Silvii, ſive ſimpliciter magna Fiſſura Cerebri vocatur.

62. *Corpus Calloſum.* Quando Falce a Criſta Galli ſeparata eaque retrorſum reclinata, duae laterales Cerebri partes, Hemiſphaeria communiter dictae, leviter a ſe invicem dimoventur, longitudinalis ſtatim fornicis albi portio occurrit, cui portioni nomen Corporis Calloſi imponitur. Portio media Subſtantiae Medullaris eſt, quae infra Sinum inferiorem Falcis, ab anteriore hujus Sinus extremitate uſque ad ipſius extremitatem poſteriorem, & in parva in utroque latere diſtantia a Maſſa Cerebri quaſi ſeparata exiſtit, ipſique non niſi contigua eſt, ita ut hoc in loco margo Faciei internae cujuslibet Hemiſphaerii Corpori Calloſo ſimpliciter incumbat, fere uti Lobi anteriores & Lobi

poſteriores Durae Matri incumbunt. Quaelibet duarum extremitatum hujus portionis Medullaris in parvum marginem inferius transverſim incurvatum deſinit.

63. Superficies Corporis Calloſi a Pia Matre, quae quoque inter laterales hujus Corporis portiones & inter inferiorem cujuslibet Hemiſphaerii marginem repit, contegitur. Juxta longitudinem partis mediae ſuperficiei, ab uno extremo ad alterum uſque, ſpecies Suturae ab occurſu atque decuſſatione Fibrarum Medullarium, e quibus Corpus Calloſum componitur, formatae conſpicitur. Hae Fibrae mox plane transverſae eſſe apparent, aſt transverſim obliquae ſunt, ita ut iſtae, quae a latere dextro procedunt, iſtas, quae a latere ſiniſtro veniunt, leviter decuſſent. Haec ſpecies Suturae a duobus parvis Medullaribus Funiculis, qui in utroque latere eandem proxime comitantur, quique Fibris transverſis intime adhaerent, magis ſenſibilis redditur.

64. *Fornix Medullaris. Centrum Ovale.* Corpus Calloſum poſtmodum in utroque latere cum Subſtantia Medullari continuatur, quae in toto reliquo ſuae extenſionis cum Subſtantia Corticali penitus unitur, & conjunctim cum Corpore Calloſo fornicem Medullarem parumper oblongum & ovalem quaſi format. Quo haec oculis ſubjici poſſint, omnis Subſtantia Corticalis cum Laminis Medullaribus, quae eidem intermixtae ſunt, per plures ſectiones ſecundum convexitatem Cerebri artificioſe auferri debet. Tunc convexitas Medul-

Medullaris generali ſive communi totius Cerebri convexitate multo minor, aſt magnae huic convexitati conformis in conſpectum prodibit; ita ut inſtar ſpeciei Nuclei Medullaris Cerebri, praecipue quando conjunctim cum Medullari partis inferioris ſive baſis Cerebri Subſtantia conſideratur, appareat. Id quod Domino Vieuſſeno, ut Nucleum hunc Centrum Ovale appellaret, occaſionem ſubminiſtravit.

65. *Ventriculi laterales.* Infra huncce fornicem duae cavitates laterales, multo longiores quam latae, parum profundae, una ab altera mediante Medullari & tranſparente Septo, de quo poſtmodum ſermo erit, ſeparatae adſunt. Cavitates hae communiter anteriores ſive ſuperiores Cerebri Ventriculi, ad diſtinctionem duorum aliorum multo minorum, quique aliquo modo magis poſterius ſiti ſunt, quemadmodum in ſequentibus videbimus, vocantur. Melius Ventriculis, de quibus nunc agitur, cum Stenone Ventriculorum lateralium, aut etiam Ventriculorum magnorum, quam Ventriculorum anteriorum ſive Ventriculorum ſuperiorum nomen imponitur.

66. Ventriculi laterales ſtatim lati ſunt, & in ſuis Septo transparenti vicinis extremitatibus rotundi exiſtunt. Ab anteriori retrorſum, magis magisque a ſe invicem Secedendo ſeſeque coarctando, excurrunt. Poſtmodum inferiora verſus incurvantur, per inflexionem, iſti cornuum arietis ſimilem, oblique a poſteriori antrorſum recurrunt, fereque infra eorundem extremitates,

ſuperiores, aſt minus antrorſum magisque extrorſum terminantur.

67. In loco ubi, quo deſcendant & antrorſum recurrant, inflecti incipiunt, in utroque latere peculiaris Proceſſus reperitur, qui ab anteriori retrorſum fertur, & triangulari, acuta & parumper interiora verſus vergente cavitate, ita ut duo apices ſe mutuo inſtar cornuum reſpiciant, terminantur. Hi Ventriculi in tota ſua concavitate Membrana admodum tenui inveſtiuntur.

68. *Septum transparens.* Septum hoc, communiter Septum Lucidum dictum, directe infra ſuturam Corporis Calloſi exiſtit, cujus continuatio & ſpecies quaſi Duplicationis eſt. E duabus Medullaribus Laminis a ſe invicem mediante verticali admodum anguſta, & quandoque ſero repleta cavitate plus minusve dimotis componitur. Cavitas haec quibusdam in ſubjectis ab anteriori retrorſum multum extenditur, atque cum tertio Ventriculo, de quo poſtmodum loquar, communicationem alere mihi viſa fuit.

69. *Fornix trium columnarum.* Septum Lucidum cum anteriore peculiaris Medullaris Corporis portione, quod improprie Fornix trium Columnarum, ob aliqualem cum arcubus antiquorum fornicum ſimilitudinem, vocatur, parte ſua inferiore unitur. Non niſi Corpus Calloſum eſt, cujus inferior Facies concava quaſi, tribus Angulis, uno anteriore & duobus poſterioribus, & tribus marginibus duobus lateralibus & uno poſteriore, contignatio exiſtit. Quilibet marginum

late-

lateralium in craſſum ſemi-cylindricum limbum deſinit. Duo hi limbi duobus arcubus ſive parvis arcubus ſimiles in angulo anteriore invicem uniuntur, idque ſua unione, quod anterior fornicis Columna appellatur, formant; poſterius verſus poſteriores Contignationis angulos, ubi Columnarum poſteriorum fornicis nomen ipſis imponitur, a ſe invicem recedunt.

70. Quoniam Columna anterior duplex eſt, Columnis poſterioribus craſſior exiſtit, & veſtigia compoſitionis ſuae minime obliterantur. Immediate infra baſin hujus Columnae craſſus Funiculus Medullaris admodum albus & brevis, ab uno Hemiſphaerio ad alterum transverſim locatus conſpicitur. Commiſſura Cerebri anterior audit. Huic Columnae Septum adhaeret; reliquum Septi inferius non ubique adhaeret; ita ut duo Ventriculi laterales inter ſe communicationem alant. Columnae poſteriores deorſum incurvantur, atque in inferiores Ventriculorum portiones ad eorundem extremitates uſque, inſtar & ſub nomine Cornuum Arietis continuantur. Craſſitie ea proportione, qua procedunt, imminuuntur. Quodlibet in externo ſuo latere parvo collaterali, tenui & inſtar ſpeciei Faſciolae plano limbo inſtruitur. Faſciolae hae, ut Fimbriatorum Corporum nomen inventum fuerit, anſam dederunt.

71. Inferior Contignationis triangularis ſuperficies, quae inter hoſce Arcus eſt, tota Medullaribus, transverſis & prominentibus Lineis repletur; unde Veteres eidem nomen Pſalloïdis atque Lyrae impoſuere,

poſuere, dum cum inſtrumento chordis inſtructo, iſti, quod hic locorum communiter Tympanum vocatur, fere ſimili, illud comparabant.

72. *Eminentiae.* Fornice diſſecto & verſus poſteriora reclinato aut plane ablato, vaſculoſa ſtatim Tela, Plexus Choroïdeus dicta, pluresque Eminentiae ab ejusdem Telae expanſione plus minusve coopertae conſpiciuntur. Quatuor Paria Eminentiarum, quae admodum regulariter ſe invicem ſequuntur, duo ſcilicet magna & duo parva adſunt. Duo priora magnarum Eminentiarum Corpora Striata appellantur; duo inſequentia Thalami Nervorum Opticorum vocantur. Quatuor parvae Eminentiae arcte invicem unitae ſunt. Earundem anteriores Nates, & poſteriores Teſtes ſalutantur. Convenientius ſimpliciter Tubercula anteriora & Tubercula poſteriora vocantur. Immediate ante haecce Tubercula parva Eminentia impar, Glandula Pinealis dicta, adeſt.

73. *Corpora Striata.* Nomen hocce, quoniam quando Scalpello raduntur, quamplurimae Lineae albae atque Lineae cineritiae alternatim diſpoſitae ibidem reperiuntur, ipſis impoſitum fuit. Lineae hae non niſi transverſa Laminarum Medullarium & Laminarum cineritiarum, in ſitu verticali ſive perpendiculari ſuper baſi Cerebri immixtarum ſectio exiſtit. Clare hoc ex Sectionibus a ſuperiori deorſum factis apparet. Duae hae Eminentiae in ſuperficie ſua cineritiae, anterius oblongae, rotundae, pyriformes, craſſae, poſterius anguſtae & incurvatae ſunt.

74. Fun-

74. Fundum cavitatis ſuperioris magnorum Ventriculorum, quorum formam aliquo modo imitantur, occupant; ita ut anteriores earundem partes prope Septum Lucidum exiſtant, & poſteriores ea proportione, qua imminuuntur, a ſe invicem ſecedant. Re ipſa non niſi ipſe horum Ventriculorum fundus ſunt, qui ibi attollitur, atque in eorundem cavitate gibbum format. In parte inferiore intervalli craſſarum portionum horum duorum Corporum craſſus Funiculus transverſus, Commiſſura Cerebri anterior dictus, de qua occaſione Columnae anterioris Fornicis Calloſi locutus ſum, reperitur. Magis ſpecialiter cum fundo duorum Corporum Striatorum, per inflexionem in utrumque latus communicat.

75. *Thalami Nervorum Opticorum.* Ita vocati fuerunt, quoniam hi Nervi praecipue ſuam ex iisdem originem ducunt. Duae craſſae Eminentiae ſunt, una ad latus alterius, inter portiones ſive poſteriores Corporum Striatorum extremitates ſitae. Eorundem figura Hemiſphaeroïdes & pauxillum ovalis eſt. In eorundem ſuperficie albicantes ſunt, eorumque ſubſtantia interius ex colore cinereo & albo mixta eſt, unde, quando diſſecantur, lineae diverſimode coloratae, iſtis Corporum Striatorum fere ſimiles, ibidem apparent.

76. Duae hae Eminentiae arctiſſime ſibi invicem averſa unione junguntur, atque reapſe in convexitate ſua invicem uniuntur, & mediante vera Subſtantiae albicantis earundem convexitatis continuatione unum tantum idemque corpus conſtituunt.

tuunt. Subſtantia haec admodum tenuis eſt, atque proprio partium lateralium Cerebri a Cranio ſeparati pondere diſrumpitur. Hinc, quo certiores de eadem fiamus, in loco ſuo naturali examinanda, utque hae partes leviter contrectentur, diligentia inſuper adhibenda eſt.

77. Immediate poſt albicantem Subſtantiam ſive commune duarum Eminentiarum Involucrum, maſſae earundem uſque ad medium circiter earundem craſſitiei arcte contiguae ſunt. Inde ſenſim ſenſimque deorſum verius fundum a ſe invicem diſcedunt, ubi ſeceſſio earundem Canalem peculiarem, qui tertius Ventriculus dicitur, format, cujus una extremitas anterius & altera poſterius aperitur, quemadmodum in ſequentibus videbimus. Quidam ſuperficialem harum Eminentiarum connexionem pro Ponte Varoli habuere.

78. Fundus harum duarum Eminentiarum in utroque latere deorſum prolongatur, atque duos craſſos, rotundos, albicantes Funiculos producit, qui mediante curvatura admodum ampla inſtar duorum cornuum a ſe invicem recedunt, poſtmodumque denuo anteriora verſus, quilibet mediante parva curvatura in ſenſum magnae curvaturae contrarium, inſtar parvi apicis cornu ad ſe invicem accedunt. Craſſities horum Funiculorum ab ipſorum origine uſque ad anteriorem eorundem redadunationem, per gradus imminuitur. Prolixior de iisdem in ſequentibus occaſione Nervorum Opticorum ero.

79. *Tubercula*. Quatuor numero ſunt, duo ante-

anteriora & duo poſteriora. Omnia quatuor ſibi mutuo ita adhaerent, acſi non niſi unicum corpus, retro unionem Thalamorum Nervorum Opticorum ſitum, conſtituerent. Transverſim oblonga ſunt. Anteriora parumper magis rotunda, & parumper latiora ſunt, id eſt, pauxillum majori extenſione ab anteriori retrorſum quam poſteriora gaudent. Superficies eorundem alba, & craſſities eorundem cineritia eſt. Nomina Natum atque Teſtium, quae hiſce Tuberculis impoſita fuerunt, admodum proterva ſunt, nec ullam cum rebus ipſis, unde deſumta fuere, ſimilitudinem indicant. Ego eadem Tubercula Quadrigemina, ad imitationem modi loquendi Anatomicorum appellare mallem, qui eodem termino Quadrigeminorum, ad quatuor parvos Muſculos vicinos, qui in vicinia Trochanteris majoris Femoris annectuntur, nominandos uſi fuerunt.

80. *Canalis medius.* Infra fundum horum quatuor Tuberculorum, & directe infra Tuberculorum unius lateris cum Tuberculis alterius lateris unionem, parvus Canalis medius adeſt, cujus apertura anterior cum tertio Ventriculo, qui infra Thalamos Nervorum Opticorum eſt, communicationem alit; & apertura poſterior ad quartum Ventriculum ducit, qui ad Cerebellum pertinet, quemadmodum in ſequentibus videbimus.

81. *Apertura communis poſterior.* Tubercula anteriora occurſu eorundem duarum convexitatum cum duabus poſterioribus Thalamorum Nervorum Opticorum convexitatibus, & mediante quatuor

quatuor harum convexitatum intervallo aperturam formant, quae cum tertio Ventriculo & cum parvo Canali medio communicat. Loco ridiculi nominis Ani, quod huic aperturae impoſitum fuit, Apertura communis poſterior, ad alius, de qua poſtmodum ſermo erit, quamque Aperturam communem anteriorem appellabo, diſtinctionem vocari poteſt.

82. *Glandula Pinealis.* Ita parvum molliuſculum, cineritium, piſum mediocre circiter craſſitie adaequans, irregulariter rotundum, quandoque inſtar Coni Pini, unde nomen Pineale originem duxit, formatum, retro Thalamos Nervorum Opticorum immediate ſupra Tubercula Quadrigemina locatum Corpus appellatur. Parti inferiori Thalamorum Nervorum Opticorum ope duorum Pediculorum ſive Pediolorum Medullarium admodum alborum, qui verſus Glandulam ſibi admodum vicini ſunt, & verſus Thalamos tranſverſim fere a ſe invicem recedunt, inſtar parvi globi annectitur.

83. Subſtantia hujus Corporis quoad maximam partem, Pediolorum vicinia excepta, Corticalis eſſe videtur, ubi parumper Medullaris eſſe apparet. Hi Pedioli quandoque, quaſi etiam ad Tubercula anteriora pertinerent, duplices ſunt. Corpus hoc Plexui Choroïdeo, qui illud contegit, arcte adhaeret, quemadmodum poſtmodum videbimus, quique per conſequens, ne Glandula Pinealis e loco ſuo dimoveatur, ipſiusque Pedioli diſrumpantur, provide auferri debet. Saepiſſime

piſſime calculoſa reperta fuit. Infra Glandulam Pinealem in Opticorum Thalamorum craſſitie Funis Medullaris transverſus, qui Commiſſura poſterior Hemiſphaeriorum Cerebri dicitur, invenitur.

84. *Infundibulum.* Inter baſin Columnae anterioris Fornicis atque anteriorem unionis Thalamorum Nervorum Opticorum partem cavitas ſive Foſſula, quae Infundibulum dicitur, reperitur. Verſus baſin Cerebri deſcendit, ea proportione qua deſcendit ſeſe coarctat, atque recta per parvum Membranaceum Canalem in corpore molliuſculo in Sella Sphenoïdali ſito, quodque Glandula Pituitaria dicitur, finitur. Cavitas haecce ſuperius immediate ante Thalamos Nervorum Opticorum mediante foramine ovali, quod Apertura communis anterior vocatur, aperitur, & per conſequens cum Ventriculis lateralibus communicationem alit.

85. *Tertius Ventriculus.* In parte inferiore craſſitiei Thalamorum Nervorum Opticorum, atque directe infra eorundem unionem peculiaris Canalis naturaliter excavatus adeſt, qui tertius Ventriculus Cerebri appellatur. Dico naturaliter, ne fortuita Fiſſura, quae inter Thalamos in Cerebro disjuncto, quemadmodum ſupra innui, reperitur, pro tertio Ventriculo habeatur.

86. Hicce Canalis ſive Ventriculus anterius in Infundibulum & infra communem anteriorem Aperturam hiat, ubi etiam cum lateralibus Ventriculis communicationem alit. Poſterius infra

communem poſteriorem Aperturam inter Strata atque Tubercula Quadrigemina, e regione parvi Canalis medii, qui ad Cerebellum tendit, aperitur.

87. *Plexus ſive Reticulus Choroïdeus.* Tela vaſculoſa ſubtiliſſima, magno Arterioſorum & Venoſorum Ramuſculorum numero repleta, & partim in duos faſciculos fluctuantes, qui in cavitates Ventriculorum lateralium, in quemlibet Ventriculum unus, protenduntur, collecta, partimque in vicinia in modum Involucri, quod Thalamos Nervorum Opticorum, Glandulam Pinealem, Tubercula Quadrigemina partesque vicinas tam Cerebri quam Cerebelli cum peculiari adhaeſione immediate contegit, expanſa exiſtit.

88. In qualibet laterali hujus Plexus portione mox Truncus Venae detegitur, cujus Ramuſculi per totam harum duarum portionum extenſionem diſperguntur. Duo Trunci verſus Glandulam Pinealem ad ſe invicem accedunt, retro hancce Glandulam invicem uniuntur, poſtmodumque cum Torculari, id eſt, cum quarto Sinu ſive communi Durae Matris Sinu congrediuntur. Quando unus horum Truncorum verſus Plexum inflatur, flatus in cunctos inde dependentes Ramuſculos penetrat. In quibusdam ſubjectis duae hae Venae unicum Truncum communem, qui in Sinum hiat, formant.

89. Portiones Plexus fluctuantes ſive Ventriculorum ſaepius magno corpuſculorum glanduloſis Granis ſimilium numero obſitae apparent. Haecce corpuſcula in ſtatu naturali admodum

parva

parva ſunt, morboque craſſiora fiunt. Quo bene examinari queant, portiones Plexus in Ventriculis incluſae aquae clarae, quo fluctuent, immergi ibique ſcite expandi debent. Tunc Grana haec Microſcopii ope, dummodo ſtatus naturalis adſit, inſtar ſimplicium folliculorum ſive inſtar parvorum plus minusve complanatorum loculorum apparebunt.

N O T A.

90. Praeter vaſculoſam hancce atque plexiformem Septi Telam, omnes Fornicis, Eminentiarum, Ventriculorum, Canalium & Infundibuli parietes Membrana ſubtiliſſima inveſtiuntur, in qua injectionum atque inflammationum ope multa Vaſa admodum gracilia deteguntur. Membrana haecce continuatio quaſi Telae plexiformis eſt, quae itidem Piae Matris ablegatio eſſe videtur. Hocce medio in internis adhuc duplicationis Septi parietibus, quamvis hi parietes quibusdam in ſubjectis ſeſe tangant, Membrana quam maxime tenuis detegitur.

91. *Glandula Pituitaria.* Ita Parvum Corpus ſpongioſum in Sella Sphenoïdali, inter Sphenoïdales Durae Matris Replicationes locatum vocatur. Subſtantia peculiari, quae neque Medullaris, neque Glanduloſa eſſe videtur, praeditum eſt. Exterius ex parte cinereum & ex parte rubicundum, & interius albicans exiſtit. Transverſim longiuſculum ſive ovale eſt, & inferius quibusdam in ſubjectis per parvam inciſuram in duos

Lobos, fere inſtar parvi Renis ſive Phaſeoli dividitur. A Pia Matre tanquam a Marſupio, cujus aperturam extremitas Infundibuli conſtituit, cooperitur. A parvis circularibus Sinubus, qui in utroque latere cum Sinubus Cavernoſis communicant, circumdatur.

CEREBELLUM.

92. *Situs. Figura.* Cerebellum ſive parvum Cerebrum infra transverſum Durae Matris Septum includitur. Lateraliter latius quam ab anteriori retrorſum exiſtit, ſuperius complanatum eſt, & in utroque latere Septo huic, quod eidem Tentorii ſive Contignationis loco eſt, conforme, leviter inclinatur. Inferius magis rotundum exiſtit, & poſterius in duos Lobos per parvum Septum Occipitale Durae Matris leviter ſeparatos diſtinguitur.

93. *Structura.* E duabus uti magnum Cerebrum Subſtantiis componitur, nulli vero in ipſius ſuperficie gyri uti in Cerebro conſpiciuntur. Ipſius Sulci, qui habito reſpectu ſatis profundi ſunt, ita diſponuntur, ut plana atque tenuia, plus minusve horizontalia Strata forment, inter quae interna Piae Matris Lamina per totidem parva Folia, quot Strata adſunt, ſe inſinuat.

94. Infra Septum transverſum ſive Tentorium Durae Matris a vaſculoſo Reticulo, qui cum Plexu Choroïdeo communicationem alit, cooperitur. Duobus proceſſibus mediis, qui Appendices Vermiformes dicuntur, uno anteriore & ſupe-

ſuperiore, qui anteriora reſpicit, altero poſteriore & inferiore, qui retrorſum excurrit, praeditum eſt. Duobus adhuc lateralibus gaudet, quorum quilibet extrorſum vertitur. In genere Vermiformes appellantur, quoniam craſſae Lumbrici terreſtris extremitati ſimiles ſunt.

95. Praeter Cerebelli in portiones laterales ceu in duos Lobos diviſionem, ſpecies adhuc ſubdiviſionis cujuslibet horum Loborum in tres Gibbos ſive Extuberationes, unam anteriorem, unam mediam ſive lateralem, & unam poſteriorem locum hic invenire poſſe videtur. Hi Gibbi ſive Extuberationes non aequaliter in omnibus ſubjectis ſua convexitate, ſuisque limitibus diſtinctae ſunt. Interim tamen mediante diverſa earundem ſtratorum directione a ſe invicem diſtinguuntur, quoniam cujuslibet lateralis ſive mediae Extuberationis ſtrata, atque iſta cujuslibet Extuberationis anterioris minus transverſa quam Extuberationum poſteriorum ſtrata ſunt.

96. *Quartus Ventriculus.* Quando duae portiones laterales ſive Lobi mediante inciſione mediocriter profunda a ſe invicem dimoventur, mox poſterior Medullae Oblongatae portio, de qua poſtmodum ſermo erit, detegitur, & in poſteriore hujus portionis ſuperficie, a Tuberculis Quadrigeminis uſque infra inciſuram poſteriorem Corporis Cerebelli cavitas oblonga apparebit, quae poſterius uti roſtrum calami ſcriptorii terminatur, id quod quartus Ventriculus appellatur.

97. Ab initio hujus cavitatis, immediate re-

tro parvum Canalem communem, qui infra Tubercula eſt, parva Lamina Medullaris admodum tenuis reperitur, quae pro Valvula inter parvum Ductum communem atque cavitatem quarti Ventriculi habetur. Pauxillum poſt hancce Laminam cavitas dextrorſum & ſiniſtrorſum parumper magis latior evadit, poſtmodumque priſtinam ſuam latitudinem recuperat. Cavitas interius Membrana admodum tenui inveſtitur, ſaepiusque per ſtrigem admodum ſubtilem, a Lamina valvulam formante uſque ad apicem roſtri calami in duas partes laterales diſtincta eſſe apparet.

98. Interna haec Membrana iſtius, quae parvum Canalem communem, tertium Ventriculum, Infundibulum & duos magnos Ventriculos inveſtit, continuatio exiſtit. Quo quartus Ventriculus in ſtatu ſuo naturali, in quo minori latitudine gaudet, videri queat, dum Cerebellum adhuc in Cranio exiſtit detegendus; ideoque Occipitale Os in parte quam maxime inferiore Serra diſſecandum eſt.

99. In duobus hujus Ventriculi lateribus Medullarem Subſtantiam ſpeciem Trunci, qui inſtar Laminarum in Corticalium Cerebelli Stratorum craſſitie expanditur, formare videmus. Medullares hae Laminae, quando Cerebellum in Segmina baſi Cerebri fere parallela diſſecatur, ſecundum ipſarum latitudinem deteguntur; quando vero unus Loborum Cerebelli verticaliter a ſuperiori deorſum diſſecatur, Medullaris Subſtantia in craſſitie Subſtantiae Corticalis inſtar Ramuſculorum

lorum diſperſa apparebit. Ultima haecce Sectio, ut Ramuſculi hi Arbor Vitae appellarentur, occaſionem ſubminiſtravit. Duo Trunci Medullares, qui diverſas haſce Laminas producunt, Pediculi Cerebelli appellantur.

N O T A.

100. Deſcriptio reliquarum partium mediarum baſis Cerebelli non una ſerie ante iſtam partium mediarum baſis Cerebri continuari poteſt; hae duae enim partium ſpecies redadunantur, conjunctimque id, quod Medulla Oblongata vocatur, formant. Hic tantum addam, quod non omnia utriusque Subſtantiae Cerebelli Strata eadem extenſione in iisdem portionibus ſive gibbis cujuslibet Lobi gaudeant. Id quod ex ſolius convexitatis ſive ſuperficiei externae Cerebelli inſpectione eluceſcit, ubi Corticalia Strata per intervalla alia aliis breviora eſſe, uniusque brevis Strati apices imminutione ipſorum craſſitiei inter duo Strata longiora terminari apparent.

101. Si parvum tantum foramen externae Piae Matris Laminae in uno Loborum Cerebelli, absque ut interna Lamina laedatur, infligitur, ſique mediante parvo Tubo Textum Celluloſum, quod duas Piae Matris Laminas invicem combinat, per hoc foramen inflatur, ventum Textum pedetentim tumefacere, & diverſa Strata in tota ipſorum extenſione plus minusve aequaliter a ſe invicem dimovere videbimus. Eodem tempore omnium Septorum membranaceorum

ſive Duplicationum Laminae internae Piae Matris diſpoſitio, atque numeroſa Vaſorum Sanguiferorum admodum gracilium, ibidem repentium diſtributio, praecipue praemiſſa bona injectione Anatomica, ſive in ſtatu harum Membranarum inflammatorio apparebunt.

MEDULLA OBLONGATA.

102. Nomen hocce Subſtantiae Medullari, quae partem mediam baſis Cerebri ab anteriori poſteriora verſus, atque continuo tractu mediam baſis Cerebelli partem, inter laterales ambarum harum duarum baſium partes occupat, imponitur. Inſtar unicae Medullaris intermediae communisque Cerebri & Cerebelli baſis, ob reciprocam ipſorum Subſtantiarum Medullarium mediante magna inciſura Septi transverſi Durae Matris continuationem, ſeſe habet; quae baſis communis immediate ſuper portione Durae Matris, quae baſin Cranii inveſtit, ſita eſt. Jure itaque Medulla Oblongata pro tertia totius Maſſae Cerebri portione in genere, pro Productione communi, atque pro redadunato totius Subſtantiae Medullaris magni atque parvi Cerebri Proceſſu habetur.

103. Eandem in ſitu ſuo naturali bene examinare atque demonſtrare, admodum difficile, quin non plane impoſſibile eſt. Utrumque in Cerebro penitus inverſo inſtitui debet. Hic admonitionem quam in Tractatu de Oſſibus Siccis, (n. 186. & 187.) ratione examinis atque demonſtrationis baſis Cranii dedi, exequi non poſſumus.

mus. Quo tamen falſae ideae évitentur, quando Medulla Oblongata ita inverſa aſpicitur, aut aſpicienda exhibetur, quod omne id, quod ibi tunc in ſuperiore parte & ſuperius cernitur, in naturali ſitu ſuo in inferiore parte atque inferius ſit, bene inculcare neceſſe eſt.

104. Inferior Medullae Oblongatae Facies in inverſo ſuo, de quo modo dixi, ſitu conſiderata, plures diverſas partes offert, quae in genere productiones Medullares, Trunci Nervorum, atque Trunci Vaſorum Sanguiferorum ſunt.

105. Productiones Medullares praecipue hae ſunt: craſſi Rami, ſive Rami anteriores Medullae Oblongatae, alias Crura anteriora hujus Medullae, Pedioli magni Cerebri, Brachia Medullae Oblongatae, Femora Medullae Oblongatae dicta: Extuberatio transverſalis, quae etiam Extuberatio Annularis ſive Pons Varolii vocatur: parvi Rami ſive Rami poſteriores Medullae Oblongatae, quibus quoque nomen Pediolorum Cerebelli atque Crurum poſteriorum Medullae Oblongatae imponitur: extremitas ſive Cauda Medullae Oblongatae, cum duobus Tuberculorum Paribus, quorum unum Corpora Olivaria, & alterum Corpora Pyramidalia appellatur. Roſtrum Infundibuli & duae Papillae Medullares hiſce Medullaribus Productionibus addi debent.

106. Craſſi Medullae Oblongatae Rami duo Faſciculi Medullares admodum notabiles ſunt, quorum extremitates anteriores a ſe invicem recedunt, & extremitates poſteriores invicem uniun-

tur, ita ut duo Faſciculi V Romanum repraeſentent. Plani hi Faſciculi anterius multo latiores quam poſterius, e pluribus Medullaribus, longitudinalibus, diſtincte prominentibus Fibris in ſuperficie ſua componuntur. Anteriores eorundem extremitates in inferiore Corporum Striatorum parte obliterari videntur; unde tanquam Pedioli magni Cerebri conſiderantur.

107. Extuberatio transverſalis ſive Annularis, aut potius Semi-Annularis Productio Medullaris eſt, quae mox poſteriores craſſorum Ramorum Medullae Oblongatae extremitates amplecti videtur; aſt Medullaris hujus Extuberationis Subſtantia cum iſta craſſorum Ramorum intime confunditur. Varolius vetus Auctor Italus, dum partes haſce in ſitu inverſo conſiderabat, craſſos Ramos cum duobus Fluviis atque Extuberationem cum ponte, infra quem confluens duorum fluminum excurrebat, comparabat. Unde Extuberatio haec Pons Varolii appellata fuit. Transverſim in ſua ſuperficie virgata eſt, atque longitudinalem admodum anguſtam depreſſionem, quaeque in craſſitiem non penetrat, in duas partes laterales dividitur.

108. Parvi Rami Medullae Oblongatae laterales Extuberationis transverſalis Productiones ſunt, quae Radicibus ſuis fundum portionis Medullaris, in qua quartus Ventriculus ſive Ventriculus in modum Calami ſcriptorii excavatus eſt, amplecti videntur. In utroque latere in Lobis Cerebelli Expanſiones Medullares formant, quarum

rum verticalis ſectio Ramuſculos albos, qui communiter Arbor Vitae audiunt, oculis exponit. Poſteriores hi Medullae Oblongatae Rami Pediolorum Cerebelli nomen optime merentur.

109. Extremitas ſive Cauda Medullae Oblongatae coarctatio eſt, quae retrorſum, & uſque ad anteriorem magni Foraminis Oſſis Occipitalis marginem imminuendo excurrit, ibique in Medullam Spinalem deſinit. Plures in hacce parte res obſervandae ſunt. In eadem ſtatim quatuor Eminentiae conſpiciuntur, quarum duae Corpora Olivaria, & duae reliquae Corpora Pyramidalia audiunt. Immediate poſtea per duos Sulcos anguſtos, unum ſuperiorem & alterum inferiorem, in duas portiones laterales diſtinguitur. Duo hi Sulci in craſſitiem Medullae, quaſi inter duos cylindros, quorum quilibet in uno latere complanatur, quique mediantibus ſuis lateribus complanatis invicem uniuntur, procedunt.

110. Quando Sulci hi digitis a ſe invicem dimoventur, plurium parvorum funium Medullarium, a craſſitie unius portionum lateralium in craſſitiem alterius portionis oblique tranſeuntium decuſſata implicatio detegitur. Inventum hocce Domino Petito Academiae Regiae Scientiarum Socio atque Medicinae Doctori debemus, quo mediante plura Phaenomena, tam in Phyſiologia, quam in Pathologia, de quibus alio loco ſermonem inſtituam, explicantur.

111. Corpora Olivaria atque Corpora Pyramidalia Eminentiae albicantes ſunt, una ad latus

alterius

alterius juxta longitudinem, in inferiore hujus partis Facie, immediate poſt transverſalem ſive Annularem Extuberationem ſitae. Corpora Olivaria in medio ſunt, ita ut eorundem interſtitium, quod Sulcum quaſi ſuperficialem tantum conſtituit, inferiori portionis ſequentis Sulco reſpondeat.

112. Corpora Pyramidalia Eminentias quaſi collaterales & ab Olivaribus dependentes conſtituunt. Williſius iis, quae ego pro Olivaribus habeo, pariter uti defunctus Dominus Duverney in ſuo de Organo Auditus Tractatu illa habuit, Pyramidalium nomen dedit. Quatuor hae Eminentiae dimidiam partem inferiorem Medullae occupant. Conſulto haec repeto, quo, quod in Demonſtrationibus atque in Figuris omnes partes, quae in ſitu ſuo naturali inferiores ſunt, tanquam ſuperiores conſpiciantur, in memoriam revocem. Hae Eminentiae itaque infra quartum Ventriculum, & infra Pediolos Cerebelli ſitae ſunt.

113. Tubercula Mammillana, quae immediate prope Roſtrum Infundibuli reperiuntur, pro Glandulis ſine dubio ob cineream, quae in eorundem craſſitie reperta fuit, Subſtantiam habita fuerunt; quae tamen Subſtantia ab iſta, quae internam plurium aliarum Eminentiarum Medullae Oblongatae partem format, differre non videtur. Unde aptius eadem Tubercula Mammillana, ratione eorundem figurae, quam Mammillae Medullares vocari cenſeo.

114.

114. Tubercula haec ex parte ſimilitudinem quandam cum duobus Pedibus, Radicibus ſive Baſibus Columnae anterioris Fornicis alere videntur, ita ut cum Domino Santorini Cepae ſive Bulbi harum Radicum vocari poſſent, quamvis ex parte aliarum portionum Texti peculiaris Subſtantiae Cineritiae atque Subſtantiae Medullaris continuatio eſſe videantur.

115. Roſtrum ſive Tubus Infundibuli productio admodum tenuis Subſtantiae Parietum Cavitatis, quae Infundibulum appellatur, exiſtit; & a peculiari Tunica, quam Pia Mater eidem largitur, corroboratur. Roſtrum hoc extremitate ſua a poſteriori antiorſum, verſus Glandulam Pituitariam parumper incurvatur, & poſtquam ad eandem pervenit, denuo circum hancce Glandulam expanditur.

116. Membrana Arachnoïdes ſive externa Piae Matris Lamina diſtincte admodum ab interna Lamina in interſtitiis cunctarum harum Eminentiarum Faciei inferioris Medullae Oblongatae, absque ut ibidem Textum Celluloſum inter duas Laminas conſpiciatur, ſeparata eſſe videtur. Lamina interna ſemper ibidem agglutinatur magisque Intervallorum ſuperficiei quam iſti Eminentiarum adhaeret. Externa Lamina ab Eminentiis quaſi attollitur, & inter quam maxime prominentes earundem portiones, quibus fortiter annectitur, aequaliter tenditur. Hocce reſpectu Radices ſive craſſa Nervorum Opticorum Cornua inter has Eminentias numeranda ſunt.

117.

117. De Eminentiis Medullae Oblongatae in genere obſervandum eſt, quod iſtae, quae exterius & in ſuperficie ſua Medullares ſunt, interius aut Corticales tantum, aut partim Corticales, & partim Medullares exiſtant, aut ex ſingulari duarum Subſtantiarum mixtura conflentur, cujus evolutio, uti etiam iſta plurium aliarum peculiarium rerum, quae in examine ſtructurae internae Cerebri occurrunt, adhuc deſideratur.

118. Ex communi hacce Cerebri atque Cerebelli portione omnes fere Nervi oriuntur, qui e Cranio per diverſa Foramina, a quibus baſis perforatur, egrediuntur. Haec Spinae Medullam, ſive Medullam Spinalem, quae non niſi communis Cerebri, Cerebelli, eorumque diverſarum Subſtantiarum proceſſus eſt, producit. Itaque prima inſuper origo & primus quaſi omnium Nervorum, qui e Spina egrediuntur, & per conſequens omnium Corporis Humani Nervorum fons exiſtit.

MEDULLA SPINALIS.

119. Medulla Spinalis non niſi continuatus extremitatis Medullae Oblongatae Proceſſus eſt, cui nomen hocce, ſive illud Medullae Spinae, quoniam in oſſeo Spinae Dorſi Canali includitur, impoſitum fuit. Continuatio per conſequens & communis quaſi Cerebri atque Cerebelli, tam reſpectu duarum Subſtantiarum, e quibus componitur, quam reſpectu Membranarum, a quibus involvitur, appendix exiſtit.

120.

120. In Tractatu de Oſſibus Recentibus (n. 322. 323. 324. 325.) de ligamentoſo Tubo, qui totam internam Canalis Oſſei Spinae Dorſi ſuperficiem a magno Foramine Occipitali ad Os Sacrum uſque inveſtit, quique Infundibulum admodum longum atque flexile repraeſentat, verba feci. De ſubflavis quoque & admodum elaſticis Ligamentis, quae magnas inciſuras poſteriores cunctarum Vertebrarum replent, atque magno Tubo ligamentoſo, cujus modo memini, fortiter adhaerent, (n. 330.) locutus ſum.

121. Poſtquam Dura Mater totam internam Cranii ſuperficiem inveſtivit, per magnum Foramen Occipitale egreditur, atque in Oſſeo Vertebrarum Canali deſcendendo ſpeciem Infundibuli format. In exitu ſuo in margine magni Foraminis Occipitalis initio Tubi ligamentoſi ſive Infundibuli ligamentoſi ſupra indicati occurrit, eique fortiter agglutinatur. Portio Pericranii, quae exterius in margine ejusdem magni Foraminis Occipitalis terminatur, eidem itidem ſeſe aſſociat; ita ut Infundibulum hoc hacce compoſitione robuſtum admodum, violentiſſimisque vellicationibus reſiſtendi quam maxime aptum evadat.

122. Haecce Durae Matris in Infundibulo ligamentoſo adhaeſio poſt primam Vertebram pedetentim interrumpitur, & Dura Mater poſtea ſeparatim Tubum format, qui in Canali Spinae ad Os Sacrum uſque deſcendit, cujusque capacitas iſti Canalis proportionate reſpondet, absque ut

parie-

parietibus hujus Canalis, quemadmodum Dura Mater toti concavitati Cranii, agglutinetur. A Materia glutinoſa, quae in inferiore Canalis portione adipalis quaſi evadit, circumdatur.

123. Medulla Spinae ex Subſtantia alba, & ex Subſtantia cinerea, uti Cerebrum atque Cerebellum, hac cum differentia componitur, quod cinerea internum & alba externum locum occupet. Quando Medulla haec transverſim diſcinditur, Subſtantia cinerea figuram ferro equino aut Oſſi Hyoïdi, cujus convexitas anteriora, & extremitates ſive cornua poſteriora occuparent, aliquo modo ſimilem deſcribere videtur.

124. Corpus Medullae Spinalis uſque ad primam Vertebram Lumborum deſcendit, ubi in apicem deſinit. Craſſities ipſius Canali oſſeo Spinae proportionata eſt, ita ut in Colli Vertebris craſſior quam in iſtis Dorſi exiſtat. Anterius atque poſterius parumper complanata eſt; ita ut duae in illa Facies, una anterior, altera poſterior, duoque Margines conſiderari poſſint. In duas quaſi dimidias partes laterales, unam dextram & alteram ſiniſtram, per Sulcum, qui juxta longitudinem partis mediae cujuslibet Faciei excurrit, inſuper dividitur. Duo hi Sulci iſtorum extremitatis Medullae Oblongatae continuatio ſunt.

125. Utraque portio lateralis e Facie anteriore & e Facie poſteriore, planos admodum Filorum Nerveorum Faſciculos, qui verſus marginem vicinum vergunt, inter Sulcum atque margines per intervalla ſubminiſtrat. Faſciculi anteriores

atque

atque Faſciculi poſteriores cujuslibet lateris, pauxillum ultra marginem ſive latus Medullae, bini ſemper invicem uniuntur, & in utroque latere ſpeciem nodorum, quos Anatomici Ganglia vocant, formant, quorum quodlibet Truncum Nervi producit. Ganglia haec ex Subſtantiae Cinereae atque Subſtantiae Medullaris pluribus parvis Vaſis Sanguiferis irrorata mixtura componuntur.

126. Dura Mater, quae Medullam involvit, totidem in utroque latere Vaginas, quot Ganglia atque Trunci Nervorum ſunt, lateraliter producit. Lamina externa Vaginas format. Interna Lamina quae interius admodum laevis atque polita eſt, in loco cujuslibet Vaginae duobus parvis ſibi quam maxime vicinis Foraminibus perforatur, per quae Foramina cujuslibet Faſciculi anterioris & poſterioris extremitates excurrunt, ita ut eorundem unio non niſi immediate poſt tranſitum per Laminam internam contingat.

127. Spatia triangularia, quae anteriores & poſteriores Faſciculi inter ſe atque inter marginem Medullae relinquunt, a parte ſuperiore ad inferiorem uſque dentato, admodum tenui & ſplendente Ligamento dotata ſunt, quod totidem denticulis, quot Paria Faſciculorum repeSriuntur, inſtructum eſt. Per intervalla margini Medullae uno ex latere annectitur, atque ad internam Durae Matris Laminam inter quemlibet Faſciculum Filum ablegat, ita ut anteriores

Faſciculos a poſterioribus Faſciculis diſtinguat.

128. Membrana Arachnoïdes hic juxta totam longitudinem ab interna Piae Matris Lamina admodum diſtinguitur, ita ut, quando haec per parvum Foramen in Arachnoïde factum inflatur, flatus eandem ab uno extremo ad alterum uſque inſtar ſpeciei Inteſtini tranſparentis attollat. Interna Lamina, quae hic communiter ſimpliciter Pia Mater ſalutatur, fortiter Medullae Spinali adhaeret, pluresque productiones atque Septa in ipſius Craſſitiem mittit. Quando craſſities unius e lateralibus Medullae Spinalis portionibus per Foramen Piae Matris inflatur, flatus ſeſe ubique inſinuat, atque in alterius portionis ſuperficie ablegationem hujus Membranae, eandem a Medulla dimovendo, producit.

129. Arachnoïdes inferius magis quam ſuperius Piae Matri annectitur, & mediante Ligamento dentato, quod juxta totam longitudinem duorum laterum Medullae excurrit, quodque mediante Filo internae Durae Matris ſuperficiei in quolibet intermedio Faſciculorum Nerveorum, quorum ſupra modo mentionem feci, ſpatio annectitur, aliquo modo ſuſpenditur. Itidem uti Dura Mater Funiculis ſive Truncis Nervorum Proceſſus largitur, quemadmodum in ſequentibus videbimus.

NERVI

NERVI UTRIUSQUE MEDULLAE,
ab ipſorum origine uſque ad ipſorum exitum.

130. Ab initio peculiaris de Nervis Tractatus, quod omnes Corporis Humani Nervi primam ſuam originem aut ab Oblongata Cerebri atque Cerebelli Medulla, aut a Medulla Spinali Dorſi ducant; quod inſtar Faſciculorum per Paria diſpoſitorum ab iisdem procedant; quod decem Paria Medullae Oblongatae numerentur, e quibus novem per Foramina Cranii exeant, atque decimum ex extremitate hujus Medullae in exitu per magnum Foramen Occipitale oriatur, dixi. Tandem innui, quod triginta circiter Paria Medullae Spinalis numerentur, quorum ſeptem infra laterales Vertebrarum Colli Inciſuras, duodecim infra iſtas Vertebrarum Dorſi, quinque infra illas Vertebrarum Lumborum, quinque aut ſex per anteriora Oſſis Sacri Foramina, atque unum in lateribus Coccygis excurrant.

N O T A.

131. Hic non niſi de certis peculiaribus circumſtantiis, quae Nervos hoſce in eorundem in Cranio trajectu, ab eorundem origine uſque ad ipſorum exitum concernunt, mihi ſermo eſt. Reliquum ipſorum in diverſis Corporis Humani partibus itineris in peculiari de Nervis Tractatu videatur. Lectorem quoque ad ejusdem Tractatus initium, quo ſibi mox de diviſione generali, & de originaria omnium Nervorum, tam eo-

rum, qui Medullae Oblongatae ſoboles ſunt, quam eorum, qui ex Medulla Spinali oriuntur, diſpoſitione ideam formare queat, relego.

NERVI MEDULLAE OBLONGATAE.

132. *Primum Par.* Nervi Olfactorii, olim Productiones Mammillanae dicti. Duo Funiculi Medullares admodum plani & quam maxime molliuſculi ſunt, quorum quilibet mox mediantibus Fibris Medullaribus e latere externo partis inferioris Corporum Striatorum, inter Lobum anteriorem atque Lobum medium cujuslibet lateris Cerebri, poſtmodum mediante Filo magis interno, & mediante alio, quod poſterius & admodum longum eſt, oritur. Infra anteriores Cerebri Lobos repunt, quilibet in ſpecie Sulci ſuperficialis baſis horum Loborum locatur, atque Durae Matri, ab Apophyſibus Clinoïdeis uſque ad Os Ethmoïdes immediate incumbit.

133. Quilibet ſtatim curvaturam ab exteriori introrſum format, qua pedetentim uſque retro Os Ethmoïdes ad ſe invicem accedunt, unde poſtmodum in diſtantia quarundam linearum unus ab altero paralleli procedunt. Poſterius admodum tenues ſunt, & verſus anteriora uſque ad quodlibet latus Criſtae Oſſis Ethmoïdis magis magisque craſſiores fiunt, ubi in Papillarum prolongatarum ſpeciem deſinunt, quarum Subſtantia iſta Funiculorum molliuſcula magis, minusque albicans eſſe apparet.

134. Hae Papillae duobus Laminae Cribroſae

ſae

ſae lateribus incumbunt, atque in quodlibet hujus Laminae foramen Filum Nerveum deorſum mittunt. Dura Mater totidem eodem in loco Vaginas, quot Foramina atque Fila Nervea adſunt, producit, quae Vaginae, Fila Nervea eorumque Ramuſculos ſupra internas Naſi partes tanquam totidem involucra comitantur.

135. *Secundum Par.* Nervi Optici. Superius eorundem ab Eminentiis, quae Thalami Nervorum Opticorum dicuntur, originem expoſui, atque magnarum eorundem inflexionum ad ipſorum occurſum ſive unionem uſque, quae immediate ante ſuperiorem Glandulae Pituitariae partem, & per conſequens ante Infundibuli Roſtrum contingit, Deſcriptionem dedi. Carotides internae ſupra externum horum Nervorum latus, immediate poſt eorundem unionem, & antequam Foramina Optica tranſeant, aſcendunt.

136. Nervi Optici praeter eorundem in craſſis Eminentiis originem, cum Tuberculis Quadrigeminis anterioribus, mediantibus Filis admodum gracilibus, quorum una extremitas cum hiſce Tuberculis, & altera cum Radice craſſorum Arcuum ſive Corporum Nervorum Opticorum confunditur, ſpeciem communicationis alunt. Interna horum Nervorum ſtructura in ipſorum in Foramina Optica introitu mutari videtur, quemadmodum alibi videbimus.

137. Nervorum horum mediantibus parvis ipſorum Cornuum curvaturis occurſus difficulter admodum in Homine evolvitur. Semper

ordinarie mediante unione admodum arcta contingit. Quibusdam in ſubjectis non niſi ceu adhaeſio intima apparet: in aliis ex parte per decuſſationem Fibrarum formari videtur. Plane ſeparati inventi fuere. Unus eorum & volumine & colore in toto ſuo trajectu, admodum mutatus, altero penitus in ſtatu ſuo naturali exiſtente, repertus fuit.

138. *Tertium Par.* Nervi Motores communes Oculorum, Nervi Oculares communes, Nervi Oculo-Muſculares communes. Duo hi Nervi ſuam ex marginis anterioris craſſae Extuberationis transverſalis cum craſſis Ramis Medullae Oblongatae unione originem capiunt. Duram Matrem retro laterales Apophyſis poſterioris Sellae Sphenoïdalis partes perforant. Quilibet poſtea in vicinos Cavernoſos Sinus ad latus Arteriae Carotidis uſque ad latam Rimae Orbitariae ſuperioris portionem ſe confert, ubi eo modo, quem in Tractatu de Nervis expoſui, dividuntur.

139. *Quartum Par.* Nervi Trochleatores, Nervi Muſculares obliqui ſuperiores, Nervi Pathetici communiter dicti. Hi Nervi admodum graciles ſive tenues, & habito reſpectu admodum longi exiſtunt. Quilibet retro Tubercula Quadrigemina & ex laterali Expanſionis Valvarum formam habentis introitus quarti Ventriculi parte oritur. Inde verſus anteriora ſeſe vertunt, atque uſque ad extremitatum anteriorum Tentorii Cerebelli marginem excurrunt, ubi quilibet

in

in latere ſuo in Duplicationem Durae Matris ſeſe inſinuat, & in eadem in Sinum Cavernoſum uſque procedit, ubi Nervum tertii Paris verſus Rimam Orbitariam ſuperiorem comitatur.

140. *Quintum Par.* Nervi Innominati, Nervi Trigemini, Nervi trium Funium. Duo hi Nervi ſtatim craſſos Truncos conſtituunt, quorum quilibet praecipue e partibus lateralibus & e partibus poſterioribus craſſae Extuberationis transverſalis, & parumper e Corporibus Olivaribus & e Corporibus Pyramidalibus originem ſuam ducit. Craſſus hicce Truncus oblique antrorſum ſupra extremitatem Faciei ſuperioris ſive anterioris Apophyſis Petroſae, fere ad latus Sellae Sphenoïdalis deſcendit, ubi in Duplicationem Durae Matris atque in Sinum Cavernoſum intrat.

141. Poſt ſuum in Sinum introitum ſtatim ſpeciem Ganglii plani & inaequalis format, a quo quaedam Fila abſcedunt, quae in Dura Matre diſtribuuntur, ſtatimque poſtea in tres craſſos Ramos, unum ſuperiorem ſive anteriorem, unum medium, & unum inferiorem ſive poſteriorem dividitur. Primus Ramus, qui Nervus ſive Funiculus Ocularis appellari poteſt, Nervum tertii Paris, iſtumque quarti ad Rimam uſque Orbitariam ſuperiorem comitatur. Secundus Ramus, qui Funiculus ſive Nervus Maxillaris ſuperior vocatur, per Foramen Maxillare ſuperius egreditur; & tertius, qui Nervus ſive Funiculus Maxillaris inferior audit, per Fora-

men Maxillare inferius excurrit. Videatur Tractatus de Nervis. Craſſus hujus Nervi Truncus deſcendendo hoc in loco Arachnoïdem, quae hic parvam quaſi contignationem format, perforat.

142. *Sextum Par.* Nervi Motores externi Oculorum; Nervi Oculares externi; Nervi Oculo-Muſculares externi. Duo hi Nervi graciles, aſt minus graciles quam iſti quarti Paris exiſtunt. Duplices eosdem inveni. Partim ex Eminentiis longiuſculis inferioribus, immediate retro Extuberationem transverſalem, partimque ex hacce Extuberatione oriuntur. Infra Extuberationem transverſalem excurrunt, Duramque Matrem retro Symphyſin Occipitalem Oſſis Sphenoïdis perforant.

143. Quilibet in latere ſuo in Duplicatione Durae Matris uſque ad Sinum Cavernoſum repit, in quem quilibet eorum intrat, atque primum quinti Paris Funiculum uſque ad Rimam Orbitariam ſuperiorem comitatur. In hocce trajectu cum primo Funiculo quinti Paris communicationem alunt, & verſus anteriora a Filo, quandoque duplici, quod cum Carotide aſcendit, atque magni Nervi Sympathici ſoboles eſt, craſſiores fiunt. Videatur Tractatus de Nervis.

144. *Septimum Par.* Nervi Auditorii. E laterali & poſteriore Extuberationis transverſalis parte, prope Pediolos Cerebelli, mediantibus duobus parvis Funiculis, quorum anterior gracilis & firmus, poſterior craſſior magisque molliuſculus eſt, oriuntur. Ultimus hicce Portio mollis Ner-

vi

vi Auditorii atque alter Portio dura appellatur, quam ego parvum Nervum Sympathicum vocavi. Duo Nervi cujuslibet lateris ſe invicem in Foramen Auditorium internum uſque proxime comitantur. Videatur Tractatus de Nervis atque Expoſitio ſtructurae Auris.

145. *Octavum Par.* Par Vagum; Nervi Vagi; Nervi Sympathici medii. Ab extremitate poſteriore craſſorum Ramorum ſive Femorum Medullae Oblongatae, ab Extuberatione transverſali, & ab anteriore Eminentiarum longiuſcularum inferiorum parte, retro Extuberationem transverſalem, & quidem per plura Fila, originem ſuam ducunt, quae Faſciam quaſi latam in quolibet latere invicem formant, quae verſus Foramen Lacerum ſe confert, ubi Duram Matrem perforat, & poſtquam ſibi Filum Nervi quod a Medulla Spinali per magnum Foramen Occipitale aſcendit, quodque Nervus Acceſſorius octavi Paris, ſive Nervus Spinalis vocatur, aſſociavit, per anteriorem hujus Foraminis partem excurrit. Cum Faſciculo octavi Paris per Foramen Lacerum & immediate retro huncce Faſciculum, a quo nihilominus per Septum Membranaceum admodum tenue diſtinguitur, egreditur. Videatur Tractatus de Nervis, (n. 104. 143.)

146. *Nonum Par.* Nervi Hypogloſſi externi; magni Nervi Hypogloſſi, Nervi Guſtatorii communiter dicti. Quilibet e parte laterali extremitatis Medullae Oblongatae, inter Eminentias longiuſculas inferiores, mediantibus pluribus Filis

oriuntur, quae invicem conglutinantur, atque in quolibet latere duos ordinarie parvos Funiculos peculiares formant. Duo hi parvi Funiculi ſeparatim Duram Matrem perforant, ſtatimque poſtea unicum Funiculum conſtituunt, qui per Foramen Condyloïdeum anterius e Cranio egreditur. Videatur Tractatus de Nervis.

147. *Decimum Par.* Nervi Sub-Occipitales. Infra nonum Par, praecipue ex parte anteriore & pauxillum ex laterali extremitatis Medullae Oblongatae parte, e regione partis poſterioris Apophyſium Condyloïdearum Oſſis Occipitis, quilibet mediante ſimplici Plano ſive Faſciculo parvorum Filorum, quae Duram Matrem ab interiori directe extrorſum, eodem in loco ubi Arteriae Vertebrales eandem ab exteriori introrſum perforant, oritur. Videatur Tractatus de Nervis.

NERVI MEDULLAE SPINALIS.

148. Nervi quos Faſciculi anteriores & Faſciculi poſteriores Filorum Medullae Spinalis lateralibus ſuis occurſibus producunt, poſtmodum ex oſſeo Spinae Dorſi Canali egrediuntur, & in utroque latere per Foramina Intervertebralia, per Foramina anteriora Oſſis Sacri, & per Inciſuras laterales Coccygis excurrunt. Unde in genere Nervi Vertebrales audiunt. Secundum diſpoſitionem Vertebrarum in ſeptem Paria Nervorum Cervicalium, in duodecim Paria Nervorum Dorſalium, in quinque Paria Nervorum Lumbarium, &

& in quinque aut ſex Paria Nervorum Sacrorum dividuntur.

149 In peculiari de Nervis Tractatu, quod enumerationis Nervorum Vertebralium inter primam atque ſecundam Colli Vertebram initium faciam; quodque Nervorum Dorſalium, qui alias Nervi Coſtales dicuntur, quique veri Nervi Intercoſtales ſunt, ſitus hancce diſpoſitionem determinent, quoniam primum Par horum Nervorum inter primum atque ſecundum Par Coſtarum verarum excurrit, monui.

150. Quoniam Medulla Spinalis quae haecce triginta quinque aut triginta ſex Nervorum Paria largitur, ordinarie non ulterius quam verſus primam aut ſecundam Vertebram Lumborum, ſecundum Expoſitionem quam de eadem ſupra dedi, deſcendit, Faſciculorum Filorum Nerveorum ſitum in genere ab iſto Foraminum, per quae tranſeunt, differre pluresque horum anteriorum & poſteriorum Faſciculorum unum alteri per gradus longiorem exiſtere neceſſe eſt. Id quod revera ſequentem in modum deprehenditur.

151. Faſciculi Filorum Nerveorum Medullae Spinalis, qui Nervos Cervicales producunt, in utroque latere ab ipſorum origine uſque ad eorundem per Foramina Intervertebralia tranſitum plus minusve transverſim feruntur. Faſciculi qui Nervos Dorſales formant, a Medulla Spinali uſque ad loca ipſorum exitus per Foramina Intervertebralia parumper oblique deorſum tendunt. Faſciculi qui Nervos Lumbares atque Nervos Sacros

ſtros componunt, a Medulla ad ipſorum exitum uſque magis magisque longitudinaliter deorſum deſcendunt.

152. Faſciculi Cervicales itaque in Canali Spinae admodum breves exiſtunt. Faſciculi Dorſales in eodem proportionate longiores ſunt. Faſciculi Lumbares & Faſciculi Sacri longiſſimi ibidem exiſtunt. Inſuper Filorum quatuor ultimorum Parium, ſive Parium inferiorum Nervorum Cervicalium, Faſciculos Filorumque primi Paris Nervorum Dorſalium Faſciculos latiores, atque ex pluribus quam ſequentes Filis compoſitos eſſe obſervandum eſt. Hoc Nervis Brachialibus, qui eorundem continuatio ſunt, proportionatum exiſtit. Faſciculi, qui Nervis Lumbaribus atque Nervis Sacris reſpondent, itidem habito reſpectu admodum lati ſunt, multisque Filis gaudent, quoniam craſſorum Nervorum qui ad inferiores Corporis Humani extremitates ſe conferunt, Radices ſunt. Faſciculi Dorſales admodum graciles ſunt.

153. Faſciculi Cervicales & Faſciculi Lumbares nonſolum magis compoſiti & latiores quam Faſciculi Dorſales exiſtunt, ſed & cumulati atque unus alteri admodum propinqui ſunt; cum e contrario Dorſales intervalla admodum notabilia inter ſe relinquant. Faſciculi Lumbares magis coacervati & Faſciculis Cervicalibus latiores exiſtunt.

154. Faſciculorum horum Lumbarium ab ipſorum origine uſque ad extremitatem Oſſis Sacri conti-

continuatio in Canali Vertebrarum Lumborum & in iſto Oſſis Sacri craſſum per totum trajectum Faſciculum Funiculorum format, quem Anatomici Caudam equinam vocant, ob aliqualem ſimilitudinem quam cum capillamento, praecipue quando ex Canali Oſſeo eximitur, atque aquae clarae committitur, alere videtur.

155. Quamvis Medulla Spinalis in prima Lumborum Vertebra finiatur, Durae Matris tamen Vagina, a qua involvitur, iter ſuum per totum reliquum Canalis Oſſei Vertebrarum uſque ad apicem Oſſis Sacri continuat, atque craſſos quoque Faſciculos continet, quorum Funiculorum quilibet eandem in utroque latere verſus loca ipſorum per Foramina Intervertebralia & Foramina anteriora Oſſis Sacri tranſitus, eodem fere modo, quem ſupra in genere reſpectu formationis Nervorum Vertebralium expoſui, perforat.

156. Poſtquam haec Durae Matris Vagina, diſciſſis, qui peculiares Funiculis Vaginas largiuntur, lateralibus Proceſſibus a Canali Vertebrarum plane ſeparata fuit, mox uti reliquae Corporis Humani elaſticae partes abbreviatur; exempli gratia, uti quando Arteria transverſim diſcinditur, dummodo non poſt longum nimis a morte tempus id fiat. Hinc vera ipſius longitudo, uti etiam lateralium ipſius Proceſſuum ſitus, dum adhuc in loco ſuo naturali exiſtit, bene obſervandus eſt.

157. Ex omnibus hiſce neceſſaria admodum nonſolum reſpectu Anatomicarum & Phyſicarum

Inqui-

Inquiſitionum, ſed etiam reſpectu morborum localium, vulnerum, &c. Obſervatio exurgit, ſcilicet, quod, quando de quibusdam Nervis peculiaribus in vicinia Vertebrarum Dorſi, Lumborum atque Oſſis Sacri ſermo eſt, quod Nervorum horum in Spina Dorſi origo non e regione eorundem trajectus extra Spinam ſed reſpective altius magis exiſtat, in memoriam nobis revocare debemus; exempli gratia, quando de quodam ultimorum Nervorum Sacrorum prope Coccygem ſermo eſt, non circa extremitatem Oſſis Sacri morari, ſed originem eorundem in vicinia ultimae Vertebrae Dorſi ſive primae Vertebrae Lumborum quaerere debemus.

158. Membrana Arachnoïdes originales Nervorum Faſciculos uſque ad eorundem per laterales Durae Matris Proceſſus tranſitum ſeparatim comitatur. Speciem Duplicationis inter Funiculos, qui in Vagina Durae Matris repunt, interruptae format. Interna Piae Matris Lamina, quae Lamina communiter hic pro peculiari Pia Matre, ab Arachnoïde diſtincta, habetur, cuilibet Faſciculo atque Filis, e quibus componitur, valde adhaeret.

159. Inter originales Nervorum Medullae Spinalis Proceſſus Nervorum etiam Acceſſoriorum octavi Paris, ſive Sociorum eorum, quos ego Nervos Sympathicos medios appellavi, formatio numeranda eſt. Quilibet ex laterali hujus Medullae parte mediantibus pluribus Filis, verſus tertiam aut quartam circiter Colli Vertebram,

quan-

quandoque inferius magis oritur. Imo me in ſubjecto quodam ad medium Dorſi uſque eundem proſecutum fuiſſe, in memoriam revoco. Quilibet in latere ſuo inter duos ordines, id eſt, inter anteriorem ordinem atque poſteriorem Faſciculorum Nerveorum Medullae ordinem aſcendit. Ea proportione qua aſcendunt, a Filis, quae iisdem in hocce trajectu poſteriores ordines largiuntur, craſſiores redduntur.

160. Poſtquam Acceſſorii Nervi ſupra primam Colli Vertebram pervenerunt, cum vicinis Nervorum Sub-Occipitalium ſive Nervorum decimi Paris Gangliis ſpeciem adhaeſionis ſive communicationis efficiunt. Supra hancce adhaeſionem quilibet in latere ſuo duo a poſteriore Medullae Facie Fila accipit, poſtmodumque iter ſuum ſurſum verſus magnum Foramen Occipitale continuat. Cum Nervis noni atque decimi Paris communicantes in Cranium intrant, atque Foramen Lacerum petunt, ubi octavo Pari ſeſe aſſociant, & cum eodem denuo e Cranio egrediuntur.

161. In inferiore Medullae Spinalis parte, ſupra poſteriorem hujus Medullae Faciem, quibusdam in ſubjectis depreſſio longitudinalis, & in cavo ſive fundo hujus depreſſionis plures Fibrae transverſae reperiuntur. Hancce obſervationem non ulterius proſecutus ſum. Interim eandem, qualem in mearum Annotationum Anatomicarum Collectione inveni, referre debere credidi.

VASA

VASA SANGUIFERA CEREBRI, & MEDULLAE SPINALIS.

162. *Arteriae.* Arteriae quae totam Cerebri, Cerebelli & Medullae Oblongatae maſſam irrigant, partim a Carotidibus internis, quae per peculiares Apophyſibus Petroſis Oſſium Temporum inſculptos Canales in Cranium intrant; partim ab Arteriis Vertebralibus quae per magnum Foramen Occipitale huc tendunt, quaeque in Canalem Vertebrarum Arterias Spinales pro Medulla Spinali ablegant, proveniunt.

163. Omnes hae Arteriae mox in plures Ramos dividuntur, a quibus magnus Ramuſculorum numerus derivatur, qui ubique in utramque Subſtantiam & in totam Piae Matris extenſionem ſeſe inſinuant atque diſtribuuntur. Dura Cerebri atque Cerebelli Mater Arteriis propriis gaudet, quarum Deſcriptio ſupra cum illa Durae Matris in ſpecie tradita fuit.

164. Carotis interna utriusque lateris in Cranium per magnum Canalem Petroſum, cujus decurſus aliquo modo angularis, ſive flexuoſus exiſtit, quemadmodum in Tractatu de Oſſibus Siccis videre eſt, intrat. Interna hujus Canalis ſuperficies a communi Durae Matris atque Pericranii inferioris productione inveſtitur. Arteria eidem non niſi mediante Filato parumper laxo Texto adhaeret, in quo magni Nervi Sympathici, qui Nervus Intercoſtalis communiter dicitur,

tur, Plexiformia Fila circum Carotidem repunt.

165. Poſtquam Canalem Oſſeum emenſa eſt, ſtatim ab inferiori ſurſum verſus inciſuram baſis Oſſis Sphenoïdis incurvatur, per quam inciſuram in Cranium intrat. Poſt introitum ſuum ad latus Sellae Sphenoïdalis in Sinum Cavernoſum penetrat, atque ibidem tertia curvatura facta ſtatim ex eodem ab inferiori ſurſum, quartam curvaturam circum Apophyſin Clinoïdeam anteriorem, ab anteriori retrorſum faciendo, egreditur. Ob huncce trajectum in Sinus Cavernoſi Sanguine, uti etiam tertium, quartum, quintum atque ſextum Nervorum Par, ut ita dicam, lavatur.

166. Carotis interna tandem poſt ultimam hancce & quartam curvaturam ad latus Infundibuli, & conſequenter in parva a Carotide interna alterius lateris diſtantia reperitur, ubi duae Carotides internae quandoque per brevem admodum atque transverſam Arterioſam productionem communicationem inter ſe alunt. Hoc in loco quaelibet Carotis interna in duos Ramos praecipuos, unum anteriorem, & unum poſteriorem, aut in tres, quemadmodum mox videbimus, dividitur, & hoc in caſu, una antaterior, una media, & una poſterior eſt.

167. Ramus anterior unius lateris ſtatim antrorſum infra baſin Cerebri, ab eodem alterius Carotidis Ramo parumper recedendo, ſe confert. Duo Rami denuo infra duorum Nervo-

rum Olfactoriorum intervallum, mediante Anaſtomoſi admodum brevi invicem communicando, & quilibet Nervis his Arteriolas ſubminiſtrando, ad ſe invicem accedunt. Statim poſtea a ſe invicem diſcedunt, & quilibet in latere ſuo in duos aut tres Ramulos dividitur.

168. Primus Rami anterioris Ramulus ad anteriorem Cerebri Lobum tendit. Secundus Ramulus, qui in quibusdam ſubjectis duplex eſt, ſupra Corpus Calloſum invertitur, eique, uti etiam Falci Durae Matris atque medio Cerebri Lobo Ramuſculos largitur. Tertius Ramulus, qui peculiarem in quibusdam ſubjectis Ramulum conſtituit, & in aliis non niſi ſecundi Socius ſive Gemellus exiſtit, uſque ad poſteriorem Cerebri Lobum excurrit. Tertius hic Ramulus quandoque primarius quaſi Ramus eſſe videtur, ita ut optime pro medio trium primariorum haberi poſſet.

169. Poſterior Ramus ſtatim cum Arteria Vertebrali ejusdem lateris communicationem alit, poſtmodumque ſupra ſuperficiales Cerebri Anfractus, & inter hos Anfractus ad fundum uſque omnium Sulcorum in plures Ramulos dividitur. Ramus anterior, uti etiam ſecundus ſive medius, quando tres adſunt, itidem ſimiles Ramuſculos Anfractibus eorumque Intervallis largitur.

170. Omnes diverſi hi Ramuſculi in Duplicatione Piae Matris, quae iisdem Tunicas quaſi acceſſorias praebet, repunt, ibique mediantibus quam-

quamplurimis Retibus Capillaribus diſtribuuntur, poſtea in Subſtantiam Corticalem, tandemque in Medullarem ſe inſinuant, ubi ſenſim ſenſimque finiuntur.

171. Arteriae Vertebrales, poſtquam Durae Matris Proceſſum in utroque latere iisdem in locis perforarunt, ubi Nervi decimi Paris, quos Nervos Sub Occipitales nomino, eandem in exeundo perforant, per magnum Foramen Occipitale intrant. In communi hocce trajectu Arteriae Vertebrales ſuperiorem atque Nervi Sub-Occipitales inferiorem locum occupant.

172. Quaelibet in ſuo in Cranium introitu extremitati ſive Caudae Medullae Oblongatae, Corporibus Olivaribus & Corporibus Pyramidalibus plures Ramuſculos ſuppeditat, qui in quarti Ventriculi lateribus diſtribuuntur, Plexum ſive Rete Choroïdeum producunt, ſupra totam Cerebelli ſuperficiem expanduntur, inter ipſius Strata, a Durae Matris Duplicatione continue involuti, ſe inſinuant, tandemque in utraque Cerebelli Subſtantia obliterantur.

173. Duae Arteriae Vertebrales poſtmodum ordinarie immediate infra poſteriorem craſſae transverſalis Extuberationis ſive ſemi-Annularis Medullae Oblongatae marginem una verſus alteram vertuntur, ubi invicem uniuntur, atque unicum Truncum communem invicem formant. Truncus hic a poſteriori directe antrorſum infra medium craſſae Extuberationis & ex parte in medio ſuperficiei ſive convexitatis hujus Extu-

berationis Sulco excurrit, in cujus margine anteriore terminatur.

174. Communis ſive medius harum Arteriarum Truncus in trajectu per Sulcum Extuberationis in utroque latere plures Ramos ablegat, qui, quoniam ex parte in parvis transverſis ſive lateralibus Sulcis earundem portionum nidulantur, laterales Extuberantiae portiones transverſim amplectuntur. Laterales poſtmodum Rami in vicinis Cerebri, Cerebelli atque Medullae Oblongatae partibus diſtribuuntur.

175. Poſtquam communis hicce ſive medius Arteriarum Vertebralium Truncus ad craſſae Extuberationis marginem pervenit, denuo in duos parvos Ramos dividitur, quorum quilibet cum Trunco ſtatim Carotidis internae ejusdem lateris Anaſtomoſin efficit. Accidit etiam, ut quilibet duorum ultimorum aut magis anteriorum ipſius lateralium Ramorum parvum Ramulum antrorſum loco diviſionis ſive Furcae communis Arteriarum Vertebralium Trunci, mittat, & ut hi duo parvi Ramuli indicatas cum Carotidibus Anaſtomoſes forment.

176. Primariae Medullae Spinalis Arteriae, Arteriae Spinales communiter dictae, duae numero ſunt, una anterior, altera poſterior, juxta Sulcorum, qui Medullam Spinalem anterius atque poſterius in partes laterales dividunt, longitudinem ſitae. Mox ex Arteriis Vertebralibus fere ſupra magnum Foramen Occipitale oriuntur, ubi quaelibet harum Arteriarum Vertebralium

bralium ab ipſarum in Cranium introitu parvum Ramulum deorſum mittit, & poſtquam magis infra Oblongatae Medullae extremitatem ſive Caudam progreſſae ſunt, duos alios retrorſum ablegant.

177. Poſtquam duo priores horum quatuor parvorum Ramulorum admodum parvam viam emenſi ſunt, ad ſe mutuo accedunt, uniuntur, atque Arteriam Spinalem anteriorem invicem formant, quae in Canali Vertebrarum juxta longitudinem Sulci anterioris Medullae Spinalis deſcendit. Duo reliqui parvi Ramuli ſupra latera extremitatis Medullae Oblongatae invertuntur, ſeque verſus poſteriora conferunt, ubi fere uti duo priores uniuntur, atque Arteriam Spinalem poſteriorem invicem generant, quae itidem juxta longitudinem Sulci poſterioris Medullae Spinalis deſcendit.

178. Duae Arteriae Spinales juxta totam Medullae Spinalis longitudinem deſcendendo, in utroque latere laterales Ramuſculos emittunt, quibus mediantibus Arteria Spinalis anterior frequentes cum Arteria Spinali poſteriore communicationes ſive Anaſtomoſes format. Eodem medio per intervalla cum Arteriis Vertebralibus Colli atque cum Arteriis Intercoſtalibus, &c. communicationem alunt. Quandoque, ut ita dicam, finduntur, atque parumper poſtea redadunantur.

179. Venae Cerebri atque Cerebelli, &c. in genere, nonſolum Sinus longitudinalis ſuperio-

ris Durae Matris duorumque ipſius magnorum Sinuum lateralium, ſed etiam omnium reliquorum Sinuum inferiorum ejusdem Membranae Ramuli quaſi exiſtunt. Venae hae mediantibus diverſis Truncis eo modo, quem antea in Deſcriptione magni Sinus ſuperioris tradidi, ibidem aperiuntur. Primarii earundem Ramuſculi omnes Corticales Cerebri Anfractus, atque omnium Stratorum Cerebelli directionem ſequuntur. Ubique in Duplicatione Piae Matris repunt. Ad Venas haſce in genere iſtae Plexus Choroïdei referuntur.

180. Venae Medullae Spinalis partim extremitatis ſuperioris utriusque Venae Vertebralis, partimque duorum Funiculorum Venoſorum, qui Sinus Vertebrales dicuntur, Rami ſunt, qui ſupra Faciei ſive convexitatis anterioris Productionis Durae Matris latera deſcendunt, reciprocasque per intervalla mediantibus Arcubus ſemi-Annularibus, ceu per totidem Sinus Secundarios communicationes formant. Duo Sinus longitudinales in decurſu ſuo cum Venis quoque Vertebralibus, fere uti Arteriae vicinae, communicationem alunt.

USUS CEREBRI, OMNIUMQUE EORUM QUAE AD ILLUD PERTINENT IN GENERE.

181. Domino Malpighio, quod primam atque meliorem viam detexerit, qua ad Cerebri in

in genere ſtructuram, praecipue iſtam duarum ipſius Subſtantiarum examinandam pervenire, atque reſpectu uſuum aliquid hariolari poſſumus, acceptum referre debemus. Experimenta atque Inquiſitiones illuſtris hujus atque fidelis Obſervatoris, quae a pluribus excellentibus Phyſicis iteratae, & comparativa Anatomia, uti etiam apertionibus ex morbis defunctorum confirmatae fuerunt, omnes, ut Cerebrum pro vero ſecretorio Organo, quod juxta ordinarium Anatomicorum loquendi modum Glandula vocatur, habeant, inducunt.

182. De nominibus diſputare, quando de re ipſa convenimus, ſuperfluum eſt; eo magis quoniam per generalem Glandulae terminum a dimidio ſeculo non minus variae ſpecies Organorum, quae liquorem peculiarem e Sanguinis maſſa ſecernere poſſunt, intelliguntur, quam per generalem Muſculi terminum variae Fibrarum carnoſarum ſpecies, quae contrahi poſſunt, indicantur, quamvis terminus hic eadem ex ratione, ex qua iſte Glandulae rejicitur, cenſeri atque rejici poſſet.

183. Omnia hic obſcura eſſe confitendum eſt. Nihilominus, quod Cerebrum atque Hepar demum clariſſimam nobis de ſecretionis materia lucem accendent, aut ad minimum media, quibus verum a falſo diſcerni queat, ſubminiſtrabunt, ſperandum eſt.

184. Cinereus Subſtantiae Corticalis color minime peculiaris rubicundi atque albi mixtu-

rae effectus eſt. Nullum Experimentum nobis ſimile quid monſtrat. Sanguinem huic Subſtantiae tincturam rubicundam admodum levem conciliare verum eſt, aſt cinereus color inde minime dependet, atque hic ipſe eſt, qui internam horum ſecretoriorum Organorum ſtructuram deſignare videtur.

185. Dominus Ruyſchius Anatomicis quidem ſuis Injectionibus Corticalem Subſtantiam ex Vaſis praecipue componi nos docet. Quando Vaſa haec liquori cuidam claro atque pellucido, ut in eodem fluctuare poſſint, committuntur, extremitates eorundem infinitum Penicillorum ſive Floccorum Vaſculoſorum numerum repraeſentare, ultimaque horum Penicillorum Fila a materia ſuae Injectionis repleri monſtrat. Imo ultima haec Fila ſtructuram ſuam mutare ſibi videri, tandem mutationis hujus mechaniſmum officio, quod Glandulis attribuitur, fungi poſſe aſſerit.

186. Hae interim Injectiones atque praeparationes nondum nobis myſterium revelant, imo ne quidem Floccorum ſive Penicillorum, quos monſtrare contendunt, exiſtentiam ſatis probant; non enim niſi ultimae Arteriolarum in aqua aut alio quodam liquore poſt injectionem maceratarum, poſtmodumque ab aliis partibus Organo eſſentialibus artificioſe ſeparatarum aut privatarum extremitates ſunt.

187. Primo a Venoſis extremitatibus, quae Floccis hiſce, quocunque etiam modo id eſſe poſſit, reſpondent, ſeparatae ſunt. Secundo a Membrana-

branaceis Piae Matris Filis, quae Arterioſas haſce extremitates naturaliter inter ſe invicem combinant, iisque aliam diſpoſitionem quam iſtam Floccorum ſive Penicillorum conciliant, ſeparatae ſunt. Tertio extremitates Arterioſae praeparatione hac ab ipſarum cum Subſtantia Medullari connexione, quam peculiaria Experimenta atque Anatomia comparativa Fibroſam eſſe demonſtrant, ſeparantur.

188. Non, quod Capillares hae ita denudatae extremitates in liquore, quando moventur, libere fluctuent, quodque tunc Penicillis ſiveFloccis ſimiles ſint, mirandum eſt, cum in hocce ſtatu non niſi parvorum Vaſorum truncatorum extremitates ſint. Quando haec attente conſiderantur, ad Domini Malpighii Glanduloſa Grana, Glomeres, Folliculos, &c. de quibus alibi ſermo erit, redeundum eſt, atque ex pulchris Domini Ruyſchii Injectionibus, quod parva haec Corpora ex Vaſculoſo Texto, cujus ſtructura nos adhuc latet, conflentur, agnoſcendum eſt.

189. Uno verbo, Malpighius Granorum ſive Folliculorum exiſtentiam, absque ut naturalem eorundem connexionem deſtrueret, detexit. Ruyſchius magnam eorundem ſtructurae partem, connexionem hancce deſtruendo, patefecit; ita ut ambobus gratias agere debeamus; nec niſi combinatione Obſervationum duorum horum illuſtrium Anatomicorum de Organis Secretoriis in genere idea omnibus, quae ratione diverſa-

 rum

rum in Corpore Humano occurrentium Percolationum apparent, conformis ſuppeditari poteſt.

190. Per prodigioſum parvorum glomerum ſecretoriorum numerum a maſſa Sanguinis, quae continue per hancce Ramuſculorum, de quibus modo dixi, multitudinem fertur, certum fluidum extraordinarie ſubtile percolatur atque perpetuo ſeparatur, dum interim reſiduum Sanguinis per totidem Venoſas extremitates revertitur, atque in Sinus Durae Matris exoneratur, qui tandem eundem Venis Jugularibus Venisque Vertebralibus infundunt.

191. Subtile hocce liquidum, Spiritus Animalis, Succus Nerveus, ſive Lympha Nervea communiter dictum, ſecundum eandem ideam, in Fibras Medullares, quae albam Cerebri, Cerebelli, Medullae Oblongatae atque Medullae Spinalis portionem conſtituunt, continue propellitur; & mediantibus iisdem hiſce Fibris Nervos, qui non niſi earundem continuatio ſunt, irrigat, ſaturat & continue replet.

192. Omnes Funiculi Nervorum per Cranii Foramina & per iſta Vertebrarum egredientes, a peculiaribus Piae Matris atque Durae Matris Proceſſibus comitantur. Iſti Durae Matris iisdem in ſuo per aperturas Oſſeas tranſitu Vaginarum loco ſunt. Iſti Piae Matris quemlibet Nervorum Funiculum nonſolum juxta totam longitudinem comitantur atque involvunt, verum interna

interna adhuc Septa inter cuncta, e quibus quilibet Funiculus compoſitus eſt, Fila formant. Nervos primaria omnis motus Muſcularis, omnisque ſenſationis Animalis Organa eſſe hasque duas functionum ſpecies a Cerebro in genere dependere, ex pluribus Experimentis innoteſcit; aſt in quo ſubjectio haecce conſiſtat, cuique in ſpecie uſui Membranacei comitatus, Medullaria Fila atque Nerveus Succus inſerviant, illud ignoratur.

193. Quod ſuperficialem conformationem atque diverſam Inflexionum, Anfractuum, Eminentiarum, Depreſſionum, Expanſionum, Plicarum atque Replicationum figuram, quae in duabus Cerebri atque Cerebelli Subſtantiis obſervantur, attinet, omnia, quae de harum rerum uſibus ſpecialibus traduntur, incerta ſunt. In genere, quod haec extenſionem ſecretionis Liquidi animalis notabiliter augeant, atque peculiaria cujuslibet Funiculi Nervei officia, ut & generalem atque reciprocam eorundem, tam reſpectu vivacitatis Organorum Senſuum, quam reſpectu agilitatis Organorum motus communicationem deſignent, afferi poteſt.

194. Falx Durae Matris, ne una lateralis Cerebri portio alteram pondere ſuo, quando lateri incumbimus, premat, impedit. Transverſum ipſius Septum Cerebello tentorii loco eſt, illudque contra lethalem compreſſionem, quam Cerebrum proprio ſuo pondere, inprimis quando ince-

incedimus & quando ſalimus, inducere poſſet, defendit.

195. Septum atque Productiones Piae Matris omnes Cerebri, Cerebelli &c. Anfractus, diviſiones & ſulcos ligant atque firmant; cunctis Ramis, cunctisque ipſorum Sanguiferorum Vaſorum Ramuſculis, cunctis Medullaribus Filis, Proceſſibus atque Funiculis, qui ab iisdem dependent, generale & fere incomprehenſibile fulcimentum largiuntur.

DOMINI STENONIS DISSERTATIO DE CEREBRI ANATOME,

Spectatiſſimis Viris DD. Societatis apud Dominum Thevenot collectae, dicata.

(1668.)

Atque e Gallico exemplari Pariſiis edito 1669. Latinitate donata Opera & ſtudio Guidonis Fanoiſii LL. AA. M. & Med. Doct. Lugd. Bat. ap. Fel. Lopez. 1671.

Viri Spectatiſſimi.

* QUi curioſa expectatione veſtra dignum aliquid vobis, de Cerebri Anatome, debuiſſem polliceri, ingenue & aperte agnoſco meam in hac parte inſcitiam. Utinam vero me ſolum eo impellat con-

* Ratio cur haec Diſſertatio huc locata fuerit in Praefatione tradetur.

conſcientia ejusmodi, aliena quippe ſapientia frui aliquando ſperarem; nec tam male proſpectum generi noſtro arbitrarer, cum pars illa omnium delicatiſſima, morbisque ut frequentiſſimis, ſic pernicioſiſſimis obnoxia, adeo nota eſſet & explorata, ut plures ſeu Philoſophi, ſeu Anatomici reputant. Perpauci ſunt celeberrimi Domini Sylvii ingenuitatis aemuli. Hic quamvis unus ex omnibus quos norim, plus operae & laboris in hac parte impenderit, nil tamen de ea niſi dubitando refert. Exuperat profecto eorum hominum, quibus omnia expedita ſunt, luxurians copia. Hi, fidiſſimi ſcilicet aſſertores, hiſtoriam Cerebri, ac ſingularum ipſius partium, oeconomiam, pari cum ſecuritate produnt ac proferunt, ac ſi machinae tam mirabilis compoſitionem oculis uſurpaſſent, & ſupremi illius Architecti penetraſſent arcana. Quantumvis aſſertorum ejusmodi ingens ſit numerus, nec alienae ſententiae ſecuritatis ſponſorem me velim ſtatuere, mihi nihilominus perſuaſum eſt, ſolidioris ſcientiae ſcrutatoribus nequaquam fore ſatisfactum, per ea quae de cerebro hactenus edita ſunt. Organum procul dubio iſtud eſt mentis humanae praecipuum, quo ipſa, velut inſtrumento, mira praeſtat, quaecunque extra ſe ſunt poſita tam alte penetraſſe confidit, ut in orbis univerſi ambitu poſitos ſolertiae ſuae limites vix agnoſcere videatur; cum tamen intra proprium domicilium ſeſe recolligens, neque hoc ipſum delineare par ſit, neque ſe ipſam. Stupendae adeo inſcitiae

quam

quam juſta ſit quaerelarum cauſa, in promptu eſt maſſam cerebri ingentem ſecantibus. Varietas, primo, ſuperficie inſcripta mirabilis emicat: ſed dum profundius ſcrutando pergis, occaecari quaſi videris; ut liceat tantummodo aſſerere, duas tibi diverſas ſubſtantias objici, calloſam unam ſeu candidam, cineritiam alteram; illam quidem nervis continuam, qui per corpus ſparguntur univerſum: hanc autem corticis inſtar candidam ſubinde veſtientem, ac ſubinde alba filamenta ab aliis diſterminantem.

Quaerent forte a nobis, Viri Celeberrimi, ejusmodi ſubſtantiae quid ſint? quave ratione in candida inſerantur nervi, quousque tandem extrema nervorum procedant? tum vero ignavum ſe profiteatur oportet, quisquis nolit eorum adſcribi numero, qui vulgi applauſus ingenuitati anteponunt. Nam ſi dixeris, candidam illam ſubſtantiam nil aliud eſſe quam corpus homogeneum ac uniforme, cerae alicujus inſtar, cui nil artis inſit aut myſterii, hoc ipſo profecto minus alte ſentire quam decet, de exquiſitiſſimo naturae opere, vinceris. Ubicunque corporis fibrae ſe produnt; illic certum quendam ordinem inter eas obſervamus plus minusve compoſitum, prout uſus varii poſtulant, ad quos deſtinantur. Si porro illa ſubſtantia ex omni parte fibroſa fuerit, ut revera pluribus locis apparet, ejusmodi fibrarum ordinem eximia quadam arte compoſitum fatearis neceſſe eſt; ex quo nempe ſenſationum ac motuum noſtrorum pendet diverſitas. Miramur

in

in unoquoque muſculo fibrarum artificium, quanto magis in cerebro & hoc mirabimur, in quo fibrillae tantillo ſcilicet in ſpatio ſingulae ſuas obeunt, citra confuſionem, functiones.

Nec minus ignota eſt ventriculorum, ſeu cavitatum cerebri, quam ipſius ſubſtantiae hiſtoria. Qui in illis ſpirituum animalium ſedes & domicilia ſtatuunt, aeque ſibi videntur ſapere, ac alii, qui recipiendis excrementis tales deſtinant cavitates. Sed par utrisque incumbit negotium, ubi de origine illorum ſeu excrementorum ſeu ſpirituum ſit quaeſtio. Aeque enim petenda origo haec, ex vaſis, quae in dictis ventriculis apparent, ac ex ipſa cerebri ſubſtantia videtur; nec manifeſtior eſt ipſa origine eorum exitus.

Ex iis qui in ventriculorum cavitatibus colligi volunt ſpiritus, alii ex anterioribus in poſteriores eos inducunt, qua ſcilicet pateat ipſis in nervos aditus. Alii plane contrariam tenentes viam, extremitatem nervorum in anterioribus ſtatuunt ventriculis. Nec deſunt qui cerebri excrementa in his ventriculis (ubi ſcilicet quidpiam ſimile deprehendunt) opinentur collecta : hique in cerebro declivitatem percipiunt (qua in medullam delabantur) non minorem ea per quam deferantur in *infundibulum*. Sed eſto congerantur omnia in infundibulum, inde tamen datur iis regreſſus per ſinuoſos durae matris anfractus; nec videtur rationi diſſentaneum, quod viam ſibi inveniant, per quam in oculos, in nares, in os, immediate dilabantur.

De

De ſubjecto ſpirituum animalium minus adhuc ſecuri ſumus, an ſanguis ſcilicet illud ſit, an ſubſtantia ſingularis in glandulis meſenterii a chylo ſecreta? an porro ex ſeroſis humoribus originem ducant illi ſpiritus? Non deſunt qui eos cum ſpiritu vini conferant, quos ſi ejusdem naturae cum materia lucis faciamus, non levis erit aut inepta conjectura. Quidquid ſit per conſuetas diſſectiones nihil aſſequi potuimus, quo mens noſtra ab omni dubio plane libera fiat & expedita.

At cum ignota nobis ſit, ut jam monui, cerebri ſubſtantia, ignotior adhuc eſt recta ipſiusmet ſecandi ratio; Mitto illam qua cerebrum in tenues laminas abſcinditur, diu eſt ex quo plus obſcuritatis quam luminis affundi ſibi ex hac methodo cautiores agnorunt Anatomici. Altera quae flexus explicando procedit, majorem quidem habet artem, ſed externa ſic tantummodo facies nobis revelatur eorum, quae ſcrutari molimur, idque admodum imperfecte.

Tertia demum quae cum flexuum enodatione, corporis cineritii a calloſo ſecretionem adjunctam habet, pergit quidem paulo ulterius, non tamen penitius, quam medullae ſuperficiem penetrat.

Mixtam aliqui, ex tribus his, diſſectionum methodum faciunt, quibus & addi poſſunt aliae, oblique ſcilicet recta & transverſim procedendo.

Quod me ſpectat, diſſecandi modus is mihi genuinus videtur, magisque ſecurus, qui nervorum filamenta trans cerebri ſubſtantiam revelando procedit, ut qua via decurrant, quove ſe con-

 dant,

dant, ſedulo obſervetur. Fateor hanc inveſtigationem tot tricis ac difficultatibus eſſe obnoxiam, ut ſine exquiſitiſſimo apparatu ſpem ullam eventus vix concipere quis poſſit. Adeo mollis ſubſtantia eſt cerebri, fibrae adeo ſubtiles, ut contactu etiam leniſſimo tantum non frangantur. Quare cum ad hoc perfectionis faſtigium nec dum aſſurrexerit Anatomia, ut veram & accuratam ſibi vendicare queat cerebri diſſectionem; noſtram agnoſcamus, miſſis adulationibus, ignorantiam neceſſe eſt: ne ſcilicet, dum nativam cerebri conformationem demonſtrare pares nos facimus, nosmet ipſos primum, deinde alios ſeducamus.

Opiniones omnes ac diſputationes de hac materia fieri ſolitas huc afferre ſuperſedeo, ſupervacaneum opus, imo taedioſum foret. Proſtant hac de re integra quippe volumina, ex quibus errores, Anatomiſtarum menti hactenus inhaerentes, quique nihilominus per ipſammet Anatomiam fallaciae arguuntur, praecipuos commemoro. Ad ſequentia reduci poſſunt capita.

Ex his, qui artis hujus peritiam jactitant ſibique adſcribunt, quidam partes cerebri velut inter ſe diſtinctas tibi demonſtrare ſatagunt, quae re ipſa nihil aliud ſunt, quam una eademque continua ſubſtantia. Alii contactum partium ſine ulla connexione, mira quadam dexteritate conantur prodere; licet intermediis filamentis aut ſaltem vaſis ſibi invicem manifeſte adhaereant. Situm alii, partibus affingunt, naturae ordini & modo quem ipſa ſervat prorſus contrarium,

ut

ut concepti a ſe ſyſtematis atque idearum praejudicia tueantur. Reperies alios, qui piam matrem oculis uſurpare ſe ac indigitare certo aſſerunt, ubi revera non extat; & viciſſim duram matrem ipſi non agnoſcunt, in iis locis, in quibus evidentiſſime apparet. Ipſam cerebri ſubſtantiam pro membrana, ni caveas tibi, ſupponent, ac ſi opus ſit garrulitate ſibi fidem facient. Quamquam meliori nomine apud me veniant homines literati, ut eos reputem animo decipiendi id velle moliri. Crediderim potius adigi tales ad erroris neceſſitatem, per axiomata a ſe poſita, atque eam quam ſibi praeſcripſere diſſecandi methodum. Porro una eademque via abducerentur ceteri, ſi talibus inſiſterent fundamentis; quare non mirabere ſyſtematum ruinas quae fulcris nituntur adeo inanibus.

Tanta fuere de ventriculis ac tam vana majorum praejudicia, ut ſenſus communis in anterioribus, memoriae ſedem in poſterioribus collocarent; Ut ſcilicet, judicium in utrorumque medio reſidens, commodius reflectere ad ideas, quae utrinque ad ipſum deferuntur, & accuratius poſſet. Nobis vero id ſolum incumbit, ut veterum ejusmodi opinionum fautores ad rationes & argumenta, quibus id nobis demonſtrando probent, adigamus. Nam ex iis, quae hactenus in hujus doctrinae praeſidium allata ſunt, fateor me nil niſi futilia comperiſſe; imo fornicata illa cavitas ventriculi tertii in qua judicii tribunal, & thronum animae rationalis eleganter ſtatuerant,

cum nequidem extet, ſat tibi indicat, quanti debeas facere cetera quae ſunt hujus ſyſtematis.

Aliud eſt, ac plane ſingulare, quod a Clariſſimo Domino Willis traditum accepimus, hic ſenſum communem locat in corpore ſtriato, imaginationem in calloſo. In cortice, ſeu corpore cineritio, (quo involvitur album ſeu calloſum) memoriam. Sed quam multis (Deus bone!) opus eſſet ſermonibus, diſcutienti ſingulas ipſius hypotheſes? Corpus calloſum ita nobis delineat, ac ſi duplex eſſet ordo ſtriarum, aſcendentium ſcilicet & deſcendentium, quas tamen omnes unius eſſe ejusdemque naturae & ordinis comperies, ſi corpus cineritium ab alba Subſtantia ſemoveas: omnes inquam ſimul partem conficere albae ſubſtantiae corporis calloſi deprehendes, quod dorſi medullam verſus in diverſas diſtinctum laminas exporrigitur, mediante ſubſtantia cineritia.

Qua itaque fiducia nobis perſuaſum fore arbitratur is auctor, illas operationes exerceri in tribus illis, quae iis aſſignat corporibus! Quis ſolvet porro dubium, utrum ſcilicet fibrae nervoſae a corpore ſtriato ducant originem, an potius corpus calloſum penetrantes, ad corticem uſque, ſeu corpus cineritium attingant? Eſt profecto ignotum nobis uſque adeo corpus calloſum, ut de eo cuique vel hebetiori liceat quod libuerit affirmare.

Dominus vero Carteſius magis perſpicax fuit in detegendis erroribus hiſtoriae de homine quam habe-

habemus, quam ut veram ipſius fabricam explicandam ſuſciperet. Idcirco in ſuo de homine tractatu, talem delineare non aggreditur; ſed nobis machinam tantummodo exponere, quae univerſa, quorum capax eſt homo, exerceat munia. Non deſunt ex ipſius etiam fautoribus qui diverſi ab eo non nihil abeunt: attamen eam fuiſſe autoris mentem, ex operis ipſius exordio, patet. Atque eo ſenſu poſſumus, citra hyperbolem, aſſerere Clariſſimum Dominum Carteſium ceteris Philoſophis in hoc negotio palmam eripuiſſe. Quippe is primus fuerit, qui cunctas hominis, ac praecipue cerebri functiones mechanice auſus ſit explicare. Delineant alii hominem ipſum, ſolam machinam nobis Dominus Carteſius profert; per quam tamen aliorum qui de homine diſſerunt, manifeſte arguit inſcitiam, viamque nobis aperit, per quam aliarum humani corporis partium uſum inveſtigare in expedito fiat, eadem ſcilicet perſpicuitate & fiducia, qua in demonſtrandis machinae ſuae de homine partibus procedit, quod, illo prius, hactenus tentavit nemo.

Nec inde culpandum exiſtimus Dominum Carteſium quod Syſtema ab ipſo editum cum experientia non accurate conſentiat; nam quae hujus viri in opere ſuo de homine, emicat ingenii praecellentia, ſuarum hypotheſeon facile excuſat ac tegit errores, quales vitare doctiſſimi ſcilicet Anatomiſtae Veſalius ac alii non potuere.

Errores ejusmodi & abuſus varios magnis illis viris poſt exactam in diſſectionibus vitae potio-

rem partem, qui facile condonatis, curni pari cum indulgentia cum Domino Carteſio agetis, qui longe plura planeque diverſa ſpeculando tempus feliciſſime traduxit. Quae mihi, una cum orbe literato, hujus ordinis geniis exhibenda incumbit obſervantia, me ab erroribus hujus operis notandis avertiſſet. Mirari cum aliquibus inſignis machinae ſtructuram, & partum tam nobilis ingenii mirabilem ſatis ſuperque fuiſſet: niſi attendiſſem ad ea, quae plures ſibi de hoc tractatu imaginantur, eumque velut ſinceram, earum operationum quae in humano corpore exercentur, narrationem prodere non dubitant. Quia vero non acquieſcunt illi homines apertis Clariſſimi Domini Sylvii demonſtrationibus (quibus vir ille celeberrimus ideam Domini Carteſii ab autopſia, in diſſectione corporum quae delineare ſatagit, diſcrepare, non ſemel oſtendit) propoſui, non quidem ſyſtema illud univerſum huc afferre, ſed partes ipſius dumtaxat notare aliquas, ex quibus (fidens loquor) perſpicuum erit ac integrum viris ingenuis agnoſcere, quam multum differat illa machina quam excogitavit Dominus Carteſius, ab ea, quam in diſſectione humani cadaveris paſſim obſervavimus.

Glandula pinealis hac aetate noſtra, maximarum de Anatomia cerebri quaeſtionum materiam ſuppeditavit. Sed antequam veniamus ad factum, & quaeſtio, de loco in quo rêſidet, ſolvatur; Quid de ipſa Dominus Carteſius ſentiat, prius exponam, idque genuinis autoris verbis. Ideas

Ideas autem varias in quibus de eadem glandula agitur quique per alios ejusdem tractatus roborantur, (hos ſcilicet, quos ad calcem hujus diſſertationis adjeci,) huc affero.

Glandulae ſuperficies rationem habet ad inteteriorem cerebri ſuperficiem.

Pori, in cavitatibus cerebri, directe poris minoris opponuntur glandulae.

Spiritus undecunque fluunt e glandula in cerebri cavitates.

Glandula inſervire poteſt actionibus, quamvis modo verſus unam partem propendeat, modo verſus aliam.

Tubuli ſuperficiei cavitatum reſpiciunt ſemper ad glandulam, ac facile poſſunt verſus diverſa glandulae puncta obverti.

Unde patet, credidiſſe eum, glandulam pinealem in cavitatibus cerebri, omni ex parte, ſitam eſſe.

Nec obſtat quod Dominus Carteſius quibusdam locis aſſerit ſitam eſſe in ingreſſu cavitatum, hoc enim non repugnat iis quae alibi ſuſtinet, quippe cum ejus ſit magnitudinis, quae juxta laudati autoris placita, locum ingreſſui cavitatum adjacentem occupare valent, aut ſaltem aliud cavitatum ſpatium; atque in iisdem nihilominus contineri, uti in aliis omnibus locis affirmat.

Utrum autem cum experientia quadret haec opinio, videndum.

Verum quidem eſt glandulae baſin immediate

 tangere

tangere tranſitum tertii ventriculi ad quartum, uti in figura expreſſum vides; At pars glandulae poſterior, id eſt ipſius medietas, ita eſt extra cavitates poſita, ut facillimum ſit in hoc negotio ſatisfacere. Idcirco eximendum eſt tantummodo cerebellum, & alterutram, aut ſi mavis utramque eminentiam unius e tuberculis tertii paris, intactis tamen ventriculis. Quo, ex arte, facto, poſteriorem glandulae partem omnino nudam conſpicies, absque ullo meatu per quem ſive aër, ſive liquor aliquis in ventriculos devehi queat.

Porro ut fiamus de ſitu partis ipſius intimae certiores, utque probemus intra cavitates laterales eam non recipi; Inſpiciendae ſunt hae, poſt earum apertionem, ſive Clariſſimi Domini Sylvii, ſive priſcorum methodum in iis aperiendis ſervaveris: ſemper enim ſubſtantiae cerebri craſſitiem, glandulam inter, & cavitates laterales, obſervabis. Atque haec veritas manifeſtari rurſus poteſt citra cerebri ſectionem, partem illam, cavitates, de quibus ſermo eſt, continentem, a ſua baſi ſeparando. Ita enim fiet, ut glandulam reperias extra has cavitates ſic poſitam, ut ne quidem eas ſpectare ullo modo queat; obſtantibus vinculis, quibus haec cerebri pars baſi ſuae annexa haeret. Norunt veteres partem eam cerebri, quae fornix dicitur, non eſſe cum baſi cerebri continuam; ſed ſuſtinere ſubſtantiam ejus replicatam, hocque ipſo tertiam cavitatem inferius efformare. Verum quidem eſt, quod aër vi intruſus in ingreſſum fiſſurae tuberculorum tertii paris, ac proinde

de fornicem elevans filamenta rumpit, quibus ipſe cum baſi conjungitur, ſicque cavitatem mentitur valde conſpicuam; Indeque nata ſuſpicio quod dum cavitates illae ſpiritibus inflantur, elevatur, hoc ipſo, fornix, adeo ut glandulae ſuperficies cavitatum ſuperficiem undequaque reſpiciat.

Mera inquam fallacia haec eſt; nam etiamſi fornix modo ſuperius allegato, elevetur; ſola anterior glandulae ſuperficies cavitates laterales poteſt reſpicere. Cetero quacunque methodo praeparatio fiat, nunquam id efficies ut poſterior glandulae pars poſteriores ſpectet ventriculos. At ſi vim cerebro non feceris, tunc per rupturam cranii, tum per aëris violentam in ipſius partes intruſionem, aut quavis alia vi cogendo, nil prorſus aliud in hoc tertio ventriculo reperies, cujus ſcilicet medietas valde anguſta eſt, quaeque ſola vena majori, (qua ſcilicet quartus formatur ſinus) hujusque comitibus corporibus glanduloſis impletur.

Fateor, poſt illam fiſſuram, & praeciſe infra foramen ejusdem poſterius, offerre ſe cavitatem e regione, & a latere ipſius quaſi ſtratam beneficio partis illius plexus choroïdis, quartum ſinum verſus aſcendentis: a poſteriori autem, glandula pineali occludi, cujus ſcilicet pars anterior plane continua eſt. Sublato vero fornice cavitas illa, ſub prima, integra manet, & cornu inverſum utcunque mentitur.

Quod ſpectat Domini Carteſii ſententiam, qua

 aſſerit

áſſerit glandulam actiones juvare poſſe, quamvis modo in unam incumbat partem, modo in alteram; talem ipſi mutationem tribuere vetat experientia; Nam, duce hac videmus eam glandulam ita inter omnes cerebri partes incluſam, & undequaque iisdem partibus tam arcte annexam, ut ne leviſſime quidem, citra laeſionem, aut vinculorum, quibus alligatur, rupturam, moveri illa poſſit. Quoad ſitum ipſius, contrarium prorſus iis, quae a Domino Carteſio dicta habemus, facillime evincitur. Non enim ad perpendiculum imminet cerebro, neque anterius obvertitur, uti plurimi etiam ex doctoribus autumant, ſed apex ipſius ſemper reſpicit cerebellum, ac una cum baſi angulum fere ſemirectum effingit.

Neque magis vera eſt glandulae cum cerebro conjunctio mediis arteriis, nam baſis glandulae orbis cum ſubſtantia cerebri cohaeret; aut potius cum cerebro continua eſt ipſa glandulae ſubſtantia, quod plane adverſatur iis quae ad articulum H. appoſuit.

Arteriarum circa glandulam congeſtarum, quaeque magnam Euripem verſus aſſurgunt, hypotheſis non mediocriter facit ad Domini Carteſii ſyſtema, ex illis ſcilicet ſpirituum pendet ſeparatio, eorumque motus. Interim ſi judicio oculorum acquieſcere vis, nil niſi venarum, illic, aggregationem comperies, quae a corpore calloſo, ex intima cerebri ſubſtantia, plexu choroïde, variis baſis cerebri partibus, & ex ipſa glandula deri-

derivantur & confluunt. Venas inquam, non arterias agnoſces, ſanguinem ad cor deferentes, non ab ipſo ad cerebrum, quod arteriae faciunt. Non deſunt qui exiſtiment Domini Carteſii propoſitum fuiſſe nervos ad glandulam uſque deducere. Sed diſpar ipſius fuit opinio.

Qui ſtant a partibus Domini Carteſii, ipſiusque hominem habent pro machina, facile, vel mei gratia, credent me nil in ipſius machinam hic moliri, cujus potius mirari artem & extollere ſatago. Sed quibus id incumbit probare hominem ſcilicet Domini Carteſii ad inſtar aliorum hominum eſſe factum, eos a propoſito ejusmodi ſedula Anatomiae experientia deterrebit.

At (inquies) talibus illi experimentis aeque fidunt, ac tuis facis; In promptu eſt reſponſio, nempe in cerebri diſſectione frequentius nihil accidere incautis, quam errare, ut patebit ex ſequentibus.

Huc afferre deſtinaveram alia cerebri ſyſtemata, quibus actiones animales, originem & partes ſeroſitatum cerebri explicare tentatum eſt. Sed conſilium hujus operis plus otii & attentationis poſtulare animadverti, quam concederet peregrinandi propoſitum.

Hactenus cum tot tantisque erroribus obnoxiae fuerint diſſectiones, earumque apparatus; ipſi quoque Anatomiſtae uſque adeo addicti ſint ſyſtematis, quibus mollitiem earum partium accommodarent; non mirum, ſi expreſſae ex falſis ideis figurae parum accuratae extiterint deinceps.

ceps. Sed quod ipſarum deeſt perfectioni non vitio diſſectionis ſolius imputandum eſt. Confert huic vitio artificis ſeu delineatoris inſcitia. Prominentiam ac depreſſionem partibus conciliare, prout ratio conſilii poſtulat, quia arduum eſt, ac praeterea quae obſervanda nobis ſedulo incumbunt, exponendi difficultas ſeu obſcuritas, paratam afferunt excuſationem. Optimae quas hactenus vidimus icones cerebri, eae ſunt quas a Domino Willis accepimus. In his tamen paſſim errata deprehendimus, quae annotare plurimum intereſt. Imo multa in ipſis deſideres, quibus accuratae fiant. Glandulam ſuperiorem, ſeu pinealem inſtar globi aut rotundae ſphaerae in tertia figura exhibet. Si itaque acumine caret, ſeu cuſpide, prout figura docet, dici non poterit talem cuſpidem vergere anterius magis quam poſterius. De cerebri quoque ſubſtantia, qua glandulae baſi opponitur, quaeque a latere cerebri dextro ad ſiniſtram permeat, nihil quidquam deprehendis; imo ſi ad figuram attendas, nil prorſus baſi oppoſitum eſſe judicabis. Poſt glandulam apparet ſpatium inter corpora tertii paris tuberculorum, quod in baſi cerebri cernitur, quod ſpatium plane aliter apparet in nativo ſitu. Tenuis illa albae cerebri ſubſtantiae expanſio, quae cum medio cerebello continuatur, quaeque hoc loco valde craſſa eſt, illic non reperitur, nec genuina origo nervorum patheticorum qui ex eadem expanſione proficiſcuntur. Corpora inſuper ſecundi paris tuberculorum ſeparata facit, licet ſaepius ſibi invicem adhaereant.

reant.

reant. Fornicis cava, ſeu tota infima pars ejusdem ſubſtantiae illic apparet, cum tamen multas habeat diſparitates, & ſtructuram elegantiſſimam. Profert quidem radios corpus ſtriatum, ſed plane diverſos ab iis quas Dominus Willis figura VIII. nobis repraeſentat. Hanc contemplando, diceres radios illos albos cum ejusdem corporis ſtriati parte antica eſſe continuos, quamvis hujus corporis pars anterior ſubſtantiae ſit cineritiae, quae radios albos transgrediens, efficit ut in iſtiusmodi diſſectione, nec adhaerere, nequidem conjungi cum alio quocumque corpore videatur.

Infundibulum in tertia figura nil habet quod ad naturam accedat. Nervi oculorum motui deſtinati, rectum habent ſitum, quos natura converſos fixit. Genuinam fibrarum originem, quae ex baſi cerebri manantes ipſosmet formant nervos, illic deſideramus. Poterat quoque Varolii *pons* expreſſius & diſtinctius exponi. Neque porro ſeparatae ſunt (uti per figuras apparent) radices anterioris fornicis, quas in ſeptima & octava videmus, ſed conjunctae ſuperius angulum efficiunt acutum.

Linea notis GGG. diſtincta figura ſeptima, continua apparet, etiamſi quod inter fornicis radices adumbratur, cum extremis nullam habeat connexionem.

In eadem figura glandula pinealis cerebri ſubſtantiae adhaeret, mediis duobus funiculis. Mitto Veſalii, Caſſerii &c. figuras, quippe cum in recentioribus, ac magis accuratis tot ac tanta deſideren-

ſiderentur, facile ſibi quis perſuaſum faciet quo in pretio haberi debeant ceterae.

Varolii tres tantum vidi figuras, quibus exquiſitiſſimae quae de cerebro fieri poſſunt, obſervationes peſſime exponuntur. Utrum autem figurae primae editionis, Paduanae ſcilicet, quae eſt anni 1573. Francofurtanae anno 1591. quas vidi figuris, (quaeque in Bauhini Anatomia cernuntur) accuratiores ſint, haud plane ſcio. Tres ex Bartholini figuris extant, in quibus diſſectiones ad inſtar earum quas Dominus Sylvius tradidit, obſervantur, ſed lectorem monet ipſemet auctor, ut ſibi a nonnullis erratis caveat. Ac ne multis aliis, quae paſſim in ejusmodi figuris occurrunt, vitiis immorer, unum dicam, pauciſſimas extare figuras, quae verum glandulae ſitum aut genuinum tertii ventriculi canalem, imo plexum Choroïdem manifeſtent, vel quibus venarum in cavitatibus lateralibus contentarum ramificatio, arteriarum diſtributio, plurium venularum ſinum quartum efformantium concurſus, corpora denique glanduloſa quae numeroſa in hac parte reperiuntur, nativa delineatione pateſcant.

Vidiſtis Spectatiſſimi Domini, qua ratione hactenus proceſſerit cerebri diſſectio, quam parum luminis affuſum inde nobis ſit, parumque accuratae valent icones in iis partibus delineandis. Inde etiam conjicere vobis liceat, quae fides explicationibus habenda ſit, quae tam futili nituntur fundamento. Accidit praeterea iis, qui talia ſuſcepere exponenda, (neſcio quo genio, niſi eo forte,

forte, quod eſt ſcriptoribus artium familiare) ut rebus obſcuris obſcuriores adhiberent terminos, Metaphoras, ſimilitudines adeo ineptas, ut & rei peritos ac tyrones aeque intricarent. Praeterea tam inelegantes ſunt iſti termini, & infra partis materialis hominis praecipuae dignitatem adeo poſiti, ut quid magis ſtupendum hocce in negotio fuerit, an ſcilicet autorum his utentium, depravata mens, an longa ſectatorum patientia non facile dixeris. Quid neceſſe fuit putida haec afferre vocabula, nates, teſtes, anus, vulva, penis, &c. quae ſcilicet eas cerebri partes, quibus applicantur ab Anatomis, tam inepte repraeſentant, & forma tam abſimili, ut quod uni *nates* dicitur, hoc *teſtes* alter appellet.

Tertius ventriculus vocabulum eſt valde aequivocum. Ita placuit majoribus cavitatem quae ſub fornice apparet, quamque a baſi cerebri ſeparatam exiſtimabant vocitare. Hanc velut tripodem finxerunt, corpus cerebri, quod ipſi innititur, ſuſtinere natum.

Clariſſimus quidem Dominus Sylvius tertium ventriculum eſſe reputat eum canalem, qui in baſis cerebri ſubſtantia conſpicuus eſt, infundibulum inter, & ductum qui ſub poſteriora duo tuberculorum cerebri paria, verſus quartum ventriculum exporrigitur. Sunt qui ſecundi paris tuberculorum corpora diſſecando ſeponunt, & pro tertio ventriculo habent illud integrum ſpatium, quod inter ambo haec corpora intercipitur, quod tamen ſola ſeparatione effingunt. Ita

fit

fit ut modo fiſſura quae ſuperne, modo canalis qui inferne conſpicitur, ventriculi tertii vices gerat. Alii denique ventriculum hunc nil eſſe aliud opinantur, quam ſpatium quod fiſſuram inter & canalem medium occupat locum, ex dictorum corporum ruptura ortum. En itaque tria tertii ventriculi diverſa plane genera, quorum ſecundum tantummodo natura, ipſaque agnoſcit autopſia; primum enim ac tertium ſolius praeparationis beneficio exiſtunt.

Quarta his addi potuit ſignificatio, ſi parvam fiſſuram, quae ſub fornice latet, pro trajectu gemini ventriculi anterioris in quartum Ventriculum uſurpare velimus. Sed exigua eſt admodum fiſſura haec, ac vaſis & corporibus glanduloſis plexus choroïdis adeo plena, ut valde ſuſpectum habeam, utrum ea via communicent inter ſe anteriores ventriculi & poſteriores: quandoquidem ventriculus qui Domino Sylvio tertius eſt, ejus officii ſat capax eſſe videtur. Hujus quippe canalis Sylviani ſitus adeo eſt huic muneri praeſtando accommodatus; ut ſi quidpiam velis a ventriculis lateralibus in quartum ventriculum derivari; nil obtinebis, niſi repletis prius infundibulo atque ipſo canali.

Duas adſcribimus cerebro glandulas, incerti tamen, an alterutra illarum quidpiam aliud, praeter figuram, cum glandulis commune habeat, quae rurſus debite examinata, non omni ex parte cum glandularum figura videbitur quadrare.

Glandula ſuperior, quae & pinealis, pini nucleum

cleum nequidem in homine, nedum in cunctis animalibus refert. Inferior pituitaria dicitur, etiamſi nemo ſecurus ſit, quod in pituitam agat. Caecam & abſtruſam vaſorum ſeriem exhibet plexus choroïdes. In hoc tamen venas ab arteriis diſtinctas manifeſte vides, ac pari facilitate diſtributionem unarum ab aliis manu ducis. Quid fornicis nomine niſi cameratam cavitatem intelligis! quae tamen accurate inveſtiganti nuſquam occurrit. Calloſum corpus communi uſu accipitur pro alba cerebri ſubſtantia, quae in ſepoſitione duarum partium lateralium pateſit. Sed revera illa pars cum reliqua albae ſubſtantiae cerebri parte perfectam retinet ſimilitudinem: cur ergo portioni hujus ſubſtantiae tribuis nomen ſingulare ac proprium?

Duplex eſt inveſtigandae machinae alicujus via, una per quam opus artis ſuae manifeſtat ipſe artifex; altera qua penitiora operis arcana diſſolvuntur, ut ſagaci examine ſigillatim ſimulque examinentur. Haec quidem machinae alicujus explorandi tutiſſima ratio eſt; Quanquam plures, ſuis addicti ſpeculationibus, praeſumpſerint tutiorem viam ſecutos ſe, quam quae ſedula indagatione procedit. His ſatis fuit motus ejusmodi machinae obſervaſſe, quibus ſcilicet obſervationibus firmiſſimis quaſi fundamentis ſyſtemata ſua extruere & auctores, ac velut axiomata tueri non dubitarunt; ſat talibus (fidentes) ſe motum omnium atque effectuum ſibi notorum cauſas commode exponere pares futuros. Non

penſarunt illi, unam eandemque rem multifariam explicari poſſe; nosque ſolo ſenſuum experimento in hoc negotio, ſecuros fieri, ideas quas nobis propoſuimus eſſe cum rei natura conſentaneas. Cum ergo cerebrum quaedam ſit machina, ſtructuram ipſius examinandi methodus eadem plane eſt cum iis, quibus cujusvis alterius machinae artem exploramus. Quare ſupereſt ut hic ordinem in ceteris machinis ſervari ſolitum teneamus, ſcilicet particulas ejus ſingulas diſſolvendo; quid ſigillatim illae muneris obeant, quidve conjuncte poſſint, ponderemus. Ex hac enim ſedula diſquiſitione colligere certo quisquis poterit, quam pauci ſint, qui laudandae curioſitatis ardorem in hoc ſtudio prodiderint.

Habuit ſuos Chymia in quavis aetate fautores ac principes, qui laboratoria ipſi extruxere. Sed qui eo animo erga Anatomiam fuerint, pauciſſimi inventi ſunt. Non defuerunt quidem principes quorum curioſus affectus erga hanc artem enituit, quique magnifica diſſectionibus dicare theatra, hasque ſua cohoneſtare quoque praeſentia non dubitarunt. Sed quotquot ad hóc opus acceſſerunt, experientiae gloriolam tam avide captare viſi ſunt, ut qui curtam ſuam ſuppellectilem agnoſceret ne unus ex iis fuerit, quin potius inſcitiae ſuae pudori parcentes, quae ab antiquis accepere, ea ſolum demonſtrare fuerint ſolliciti.

Et quod de me querantur Anatomici, niſi apertius loquar; ut culpam ab iis aliquatenus ſaltem removeam, quam ipſis tribuere videor, dum

eos

eos diſquiſitionibus anatomicis magis addictos velim. Qui ejusmodi curant ut plurimum aut Medici ſunt, aut Chirurgi. Utrique viſitandis aegris neceſſario diſtrahuntur; ac quamprimum aliquid peritiei vel famae fuerint conſecuti, deinceps a debitis diſquiſitionibus ſentiunt averſum animum. Verumtamen curam corporum ſuſcipere non debet is, quorum ſtructuram non teneat, vel quod eodem recidit reſtaurare machinam tales niſi temere tentaverint, qui ipſius ſtructuram non probe calleant.

Qui vero ad aegros non accedunt, ſola Anatomiae profeſſione in ſcholis detenti; non magis ſunt de novis diſquiſitionibus ſolliciti, quam ipſimet Medici & Chirurgi; horum enim ſparta in eorum ſtudiis promovendis verſatur, qui ad Medicinae, aut Chirurgiae praxin adſpirant, & in iis quae a majoribus tradita, de corpore humano, accepere, demonſtrandis; quae cum apte & dilucide explicata fuerint, & a diſcipulis probe intellecta, ſat ſuperque officio ſuo factum utrique reputant.

Ambabus his profeſſionibus limites ſunt adeo male poſiti, ut certa corporis humani fabricae notitia quae potior fuerat, omiſſa ſit, quaſi ad rem Anatomicam medicam aut chirurgicam nil faceret. Diſquiſitionum, quibus veritas nobis innoteſcit, labor ſuum poſtulat hominem a ceteris vacuum & liberum. Neque ipſe ad hoc negotium aptus, qui Anatomen profitetur: hic publicis demonſtrationibus ex officio intentus, ab ejusmodi

ſcrutatione tam ſedula ſcilicet, & accurata diſtrahitur, ob cauſas a me allatas, & mox afferendas.

I. Quaevis pars, ut debite examinetur, tot exigit temporis, ac tantam mentis ſagacitatem, ut ſit ab omni alio opere & ſtudio abſtinendum ei, qui huic incumbere ſatagit. Hoc profecto Medicis & Chirurgis per praxin non conceditur magis, quam Anatomen diſpenſantibus, per demonſtrationes. Annos integros impendas neceſſe eſt, ut detegas id, quod aliis deinceps unius horae ſpatio exponere poſſis. Diu multumque laboraſſe Dominum Pequetium nullus dubito, priusquam e Meſenterio in ſubclaviam chylum deduxerit. Nec ipſe facile credar, ſi quas devoravi moleſtias dixero, priusquam genuinam ejusdem ductus Pequetiani (cujus iconem a Bilſio habebamus) inſertionem demonſtrare par fuerim. Jam vero vix horulam deſideres ad utriusque & praeparationem & demonſtrationem.

II. Etiamſi millena cadavera aperiantur in ſcholis, nil tamen inde niſi fortuito compertum habebunt Anatomici; majorum aſſueti & addicti, in partibus denudandis, methodo, a qua etiam recedere piaculum putant. Enimvero nullam agnoſcunt hae diſquiſitiones methodum, ſed explorari modis omnibus poſtulant.

Ut ea pateant quae methodice explorantur, ſecanda cetera ſunt. Diſquiſitio e converſo poſtulat, ut ſine examine praevio, ne minima quidem particula ſecetur. Hanc ſi normam velint inducere in ſcholas Anatomici, pro ſtolidis habentur

apud

apud ſpectatores, hique nec ſine cauſa, quererentur jacturae temporis. Saepe enim fieret poſt moroſam diſquiſitionem, ut quae exponenda deſtinaverant non iis forent obviam. Ex quo facile colligis eos qui hucusque Anatomen exercuerunt, diſquiſitionibus non fuiſſe addictos, ſed nec, ſi tales fuiſſent, laudem inde potuiſſe reportare. Non ergo culpandi hi ſunt, ſi tot poſt ſecula tam parva fuerit Anatomiae acceſſio facta.

Exiguo enim cum fructu (generatim loquendo) exculta haec ſcientia fuit: cerebri diſquiſitiones nominatim minori etiam cum eventu; nempe ea defuit, quae ſumma in hac parte deſideratur diligentia, propter difficultates cerebri diſſectioni annexas. Summa vero hujus negotii in quo tandem conſiſtat, & utrum ex iis, qui ejusmodi ſtudio tenentur, hanc partem pro rei dignitate attrectaverint aliqui, nunc videndum.

Anatomen excoluit Dominus Bilſius, omiſſis veterum placitis. Sed ſi iis penſatis, quae probanda fuerunt ex priſcorum dogmatibus, ulterius diſquirendo perrexiſſet, procul dubio peritiam ſuam in hac arte magis commendaſſet. Fatendum in majorum noſtrorum fundamentis egregia extare fundamenta; quae nihilominus oblivionis aut inſcitiae tenebris ſepulta forte manerent, niſi per eorum monita periculum ejusmodi evaſiſſent. Imo contingit aliquoties, ut priſci illi certas ſuas notitias traderent, quae captum noſtrae aetatis effugiunt, quia non ſat laboris & induſtriae in earum inveſtigatione conceſſum eſt. Fateor aliunde,

 quid-

quidquid ſuo priſcis, ſeu neotericis, de cerebro, acceptum referimus, tot tantisque diſputationibus eſſe obnoxium, ut quot, de hujus partis Anatome libros, tot ſcopulos quaeſtionum, ſcrupulorum & altercationum reperias. Quae tamen non efficiunt quo minus utilitatem percipere de eorum laboribus queamus, aut etiam ex ipſorum erroribus proficere. Loquor de auctoribus qui de ſuo aliquid praeſtitere. Nam ceteri quibus aliena opera gaudere ſat fuit, recreationis cauſa leguntur, quamquam ſaepe non ſine fructu. Sed longe melius de nobis fuiſſent meriti, eorumque opera ſolatio diligentiae noſtrae forent longe majori, ſi, quae de cerebro ſcripſerunt Anatomici, accuratius retuliſſent. Aut ſi modos omnes explicandi actiones animales, juxta analyſin expoſuiſſent; aut ſi denique propoſitiones omnes ab iis traditas accurato excepiſſent catalogo; inter quas ſedulo ſeponendae fuiſſent eae quae cum re ipſa & autopſia conſentiunt, ab aliis, quae abſtractis nituntur argumentis; Sed, qui eo ordine procederet, hactenus inventus eſt nemo. Quare illis ſolis adhaerere tutum eſt, qui e penu propria aliquid depromptum publici juris fecere.

Primum quod diſcutiendum occurrit, eſt partium hiſtoria, in qua ſtatuere illud ſolum neceſſe eſt, quod certum & exploratum manet, ut a propoſitionibus ſeponatur, aut falſis aut incertis. Imo nec ſufficit rei evidentia in atteſtante niſi ipſius objecti demonſtratio ceterorum evincat aſſenſum; ſecus, controverſiarum qui ſopiri debuit, ſtrepitus augeretur indies. Ana-

Anatomen cerebri quiſquis exercuit, experimento demonſtrare ea quae refert, viſus eſt, adeo ipſi obſequitur cerebri mollis illa ſubſtantia, ut etiam nihil cogitanti partes ipſae manus affingant ad praeconceptae imaginis ſimilitudinem; Interim duo ſaepe experimenta, una eademque de re, ſibique ex adverſo oppoſita, attonitum detinent ſpectatorem, incertus hic cui aſſenſum det, cuique deneget, laboris tandem impatiens utramque repudiat. Quare ut huic obviam eatur incommodo, neceſſum eſt, ut jam monui, per crebras diſſectiones ineluctabilem quaerere certitudinem. Id quidem etſi difficile admodum, non tamen prorſus impoſſibile agnoſco. Nec tamen inde colligatis velim (Spectatiſſimi Domini) me ita de Anatome ſentire, quaſi nil certi habeat, omnesque univerſim qui eam exercent, partes pro lubitu fingant citra erroris convictionem. Integrum eſt cuique dubitare, utrum partes quas ſeparatas exhibent, prius unitae fuerint nec ne; ſed easdem ut conjunctas exponere, quas ſic natura non fixerit, hoc foret impoſſibile. Ut, inquam, dubium hoc omnino ſolvatur, utque, an partes quas ſejunctas faciunt, non prius ſibimet conjunctae fuerint, explorandae modo ſunt in ſtatu naturali, citra vim ullam. Ceteris vero, quos erroris arguimus concedendum, ut quovis modo tendent easdem ut conjunctas demonſtrare; In aliis quoque caſibus certam poſſumus aſſequi notitiam, praecipue ubi de ſitu partium agitur; ea conditione, ut ſine praevio examine nil prorſus

 tanga-

tangatur, & quidem ad ſingulas examinis periodos, quidquid tangitur id ipſum nomine proprio exprimatur. Idcirco non ad eam ſolum partem, circa quam verſamur attendendum; ſed reflectendum etiam ad omnes alias operationes eatenus a nobis editas; quibus nempe aliquid mutationis in dicta parte potuit accidiſſe. Movendo enim partes externas, ſaepe, imo ſine ſenſu, mutantur etiam intimae: cum vero has denudaſti, tales eſſe reputas quales ipſae apparent, nec tamen advertis mutatum a te ipſo ipſarum ſitum, & cum aliis partibus connexionem. Exemplum hujus afferam in quaeſtione Anatomica hujus temporis celeberrima. Qui glandulae pinealis cum ſubſtantia cerebri continuitatem negant, & fornicis cum cerebri baſi contiguitatem ſeu adhaeſionem, non tam ſecure, (ubi de facto eſt quaeſtio) loquerentur, niſi doctos ſe per experimenta ſumma ſagacitate ac ſedulitate facta reputarent. In ejusmodi tamen experimentis non ſatis advertiſſe eos oportet ad mutationes quae accidunt, poſt exempta externa; non ſat perſpectum habuere, quod eadem eximendo frangantur vincula, quibus cum dura matre cranium connectitur. Atque ipſemet vidi, ſuperiorem cranii partem allevando, medium durae matris adhuc ipſimet annexum, poſtquam id ſatis aperuiſſem, ut inter partes cranii ſeparatas poſſem tres digitos immittere. Qui autem fieri poteſt dicta durae matris elevatio tam violenta ſcilicet, citra partium internarum, quae cum ipſa connexionem habent, laeſionem?

Glan-

Glandula pinealis quarto ſinui adhaeret, qui ſinui falciformi annectitur: ita ut, eo loci, duram matrem vel minimum attollere, citra glandulae pinealis laeſionem, non poſſis. Idem ſinus falcis omnes excipit venas, quae inter fornicem & baſin cerebri tranſeunt, & duas has partes conjunctas tenent. Inter partem ſuperiorem cerebri & duram matrem, mediantibus habenis, connexio ſat firma eſt; dumque duram matrem elevas, ſuperior pars ipſimet annexa ſtatim obſequitur; quartus autem ſinus ſurſum actus efficit, ut quae, fornicem inter & baſin, connexio intercedit, frangatur. Non ſemel in hoc negotio erraſſe me deprehendi, nec poteram, ſcilicet, initio capere cur non ſenſu aeque manifeſta ſemper eſſent ejusmodi vincula. Poſtea tamen perſpiciens quod in equis, arietibus & felibus, (quibus durae matris pars cerebellum a cerebro diſterminans in os coaleſcit) hanc partem oſſeam avellendo plures alias corrumperem: coepi agnoſcere erroris cauſam, nec levis momenti negotium, in accurata cranii ſepoſitione eſſe poſitum.

In humano quidem cranio ſectio ſemper fit circularis, ut auferatur ſuperius ſegmentum; Sed ſi alia in ipſo eodem ſegmento ſectio fieret, perpendicularis ad primam; facilius, & citra notabilem cerebri laeſionem eximeretur, fatendum enim forcipes, ſerram ac volſellam nunquam absque vi aliqua, concuſſione ac commotione partium adhiberi. Poſſemus quidem ſerrulam omnino circularem moliri, ex qua non eſſet a vehementi

concuſſione metuendum, maxime dum axi impoſita, peculiari modo parato, rotare illas poſſet, inter duas columnas acutas collocata.

Variis praeterea uſibus, in cranii ſeparatione, eadem ſerra poſſet inſervire. At ſi liquorem ad manus haberemus, quo poſſent, exiguo tempore, oſſa aut diſſolvi aut emolliri, nil commodius eſſet optandum, nulla, in ſepoſitione cranii, methodus accuratior.

Nec ſufficit perpetua & ſedula attentio, niſi diverſi diſſecandi modi diverſis adhibeantur occaſionibus, hinc enim totidem genuinae tuae operationis argumenta elicis, ex quibus & tibi ipſi ſatisfacere, & convincere ceteros poſſis.

Mirum ſane hoc & inſolens iis videbitur, qui ſtatutas eſſe leges exiſtimant, quas in ſingularum partium diſſectionibus ſequi, (ſcilicet) teneamur, quique Anatomicas adminiſtrationes a majoribus traditas ad amuſſim ita obſervandas ſtatuunt, ut vel minimum quid mutare, aut iisdem adjicere piaculum foret. Equidem facile adducar ut concedam, tutiſſimas rationes ſingularum partium diſſecandarum potuiſſe nobis priſcos Anatomes antiſtites praeſcribere, ſi hanc perfecte calluiſſent. Sed quoniam ad haec myſteria, aeque ac noſtri temporis Artifices, imo etiam magis in quibusdam circumſtantiis caligarunt: Impares illi, velut ac nos ipſi, fuerunt, veram diſſectionis methodum praeſcribere, in qua ſcilicet nil ratum, nil exploratum manebit, quousque huic per plura experimenta acceſſio fiat. Quaeret aliquis, an non in diſſe-

diſſectione partium, quatenus nobis hucusque innoteſcunt, methodum ſervare expediat? Ita eſt fateor, majorum regulis, quamdiu certiores deſideramus, non tamen quaſi abſolutis, inſtare expedit.

Quae multorum fovit Anatomiſtarum errores, quaeque ne ipſi majores noſtros diſſecandi ſolertia praeverterent, prohibuit, cauſa praecipua haec fuit, quod omnia tam perfecte nota jam priſcis, & explorata crediderint, ut nihil ſupereſſet Neotericis inquirendum. Cumque uſu receptas diſſectionum normas inviolatas facerent, nil aliud, quoad vixere, moliendum reputarunt, quam ut easdem partes eadem prorſus methodo demonſtrarent. Quin potius nullas agnoſcere debet Anatomes regulas; ſed quoties diſſectiones inſtaurat, toties diverſam tentare viam. Unde id commodi habet, ut quamvis non ſemper quidpiam novi retexerit, agnoſcit tamen & quidem perſpicue, an in prius exploratis quidpiam erratum fuerit, maxime in controverſiis: tunc enim praeſcribendi diſſectionis leges plenam facere debet ſpectatoribus copiam.

Caret fateor magno apparatu haec diſſecandi methodus, nec patitur eum glorioſe de ſua doctrina exultare, qui ſuam potius agnovit inſcitiam: Equidem meam ingenue fateri ſatius duco, quam tueri cum auctoritate ſententias, quae deinceps per alios erroris arguerentur.

Famoſos quippe vidimus Anatomiſtas his caſibus obnoxios factos, plures etiam alios qui plus fidei

fidei ſuae ac potius pertinaciae, quam oculorum experimento tributum iri ſibi imaginantur. Hanc φιλαυτίαν aliis non invideo; Legibus ſtare Philoſophiae ſatagens, quae ſcrutari veritatem docet, de ipſius certitudine dubitando, nec illi acquieſcere prius, quam per evidentem demonſtrationem ſecurus quis fiat. Mutationis, inter diſſecandum, admittendae neceſſitatem manifeſtius probare non poſſum, quam ex duobus ſequentibus argumentis. Experimento probatum manet, quod poſtquam in ingreſſum fiſſurae, quae ſub fornice ſita eſt, flatum immiſeris, fornicem a baſi ſeparatam reperias, atque cavitatem inter eas ſatis notabilem, quomodo fit in violenta cranii ſeparatione, ut monui. Hoc adeo perſpicuum eſt, ut & qui praeſunt quique huic adſtant demonſtrationi, nil certius ſe poſſe aſſequi opinentur. Ubi vero nihilominus ſuſpicio oritur aliqua, haec ſolvi non alia ratione poteſt, quam ſi hanc cavitatem alia via demonſtrare ſuſcipias; Nam ſi haec a natura fuerit, quocunque modo eam inveſtigaveris, eadem ſemper tibi occurret; Sed ſi quacunque alia methodo, deprehenderis eam abſuiſſe, ac partes inter quas excipi haec cavitas debuit, ſibi eſſe annexas, nullo dato inter ipſas ſpatio; prioris ſane demonſtrationis errorem manifeſte agnoſcere debes; hancque cavitatis ſpeciem, beneficio aëris in fiſſuram vi intruſi vanam profecto agnoſces.

Diſſectio cerebri, ſi ad Varolii & Williſii methodum inſtituatur, poſtquam illud e cranio exemeris, ſecundi paris tuberculorum corpora ſeparata,

parata, ut plurimum, videbis, in medio calloſae ſubſtantiae (quae ante glandulam obſervatur, quaeque ſaepius effracta fuerit.) Cum vero eadem diſſectio fit, cerebro in cranio relicto, utrumque integrum objicitur. Tuncque colligi facile poteſt, (duas ſcilicet illas ſectiones conferendo, primi erroris origo, quae non aliunde petenda, quam a partium lateralium gravitate, qua partes mediae oppreſſae franguntur.

Poſt veram & accuratiſſimam cerebri partium deſcriptionem; poſt errores detectos eorumque cauſas; poſt conſtitutam, cum cautela omnimoda, partes ipſius demonſtrandi, methodum: Conandum eſſet ulterius, id quod detectum fuerit figuris exprimere; iisque nativis & probe exactis, alias utilius carere iis poſſumus, quam falſas, aut imperfectas adhibere; Picturam ſic linearem adhibemus abſente Archetypo, ut hujus ſervemus memoriam. Imo plures reperias, quibus ejusmodi partes nuſquam niſi per imagines innoteſcunt. Adeo a cruentis corporibus perhorreſcunt hi, ut malint curioſitatem abdicare, quam ſibi ex inſpectione nativi ſubjecti ſatisfacere. Quam ſi deſit figuris ſua perfectio, hae nihil niſi vanas imagines falſasque ideas inducunt in ſtudioſorum mentem, quibus & alii intricantur, qui juvandae tantum memoriae eas adhibent.

Quocirca modis omnibus id tentandum, ut accuratae habeantur, quem ad finem non minus deſignatoris opera deſideratur quam Anatomiſtae. Summa etiam attentione opus eſt, ac ſtudio ſingulari,

gulari, ut omnia ordine procedant, & qua ratione fieri diſſectio oporteat proſpiciatur, ut quaecunque in cerebro demonſtranda ſunt diſtincte exponantur; ubi ſpecialis ſcilicet difficultas ſe offert, quae hanc in ſpecie partem reſpicit, cum de ipſius deſignatione agitur. Nam quod ceteras partes ſpectat, eas ſemel praeparaſſe ſufficit, ut earum figura abſolvatur. Cerebrum e contrario jam praeparatum deprimitur prius quam pictura lineari exprimi queat; Ita ut plurium cerebrorum Archetypis opus ſit, ut unica ex his figura perficiatur; Quod, quia nec dum fortaſſe penſatum fuit, cauſae eſſe poſſet, cur ex omnibus Anatomiae figuris nulla ſit imperfectior, quam cerebri.

Hactenus de uſu partium nihil dixi, nil de actionibus quas animales vocamus. Cum impoſſibile ſit motus, qui per machinam fiunt, ignota ipſius partium ſtructura, explicare. Apud erectas gentes pro ridiculis haberi debent, ſententioſi illi Anatomiae aſſertores, qui, poſtquam de uſu partium multa verba fecerunt, (quarum tamen nequidem oeconomiam callent,) quem ipſis uſum affinxere, ſat auctoritatis, ex hoc habere reputant, *Deus & natura nihil faciunt fruſtra.* Sed valde errant, dum univerſale illud axioma in caſu hoc uſurpatum volunt. Nam quod temere ad finem a ſe confictum a Deo deſtinatum aſſerunt, alium plane diverſum reſpicere lapſu temporis comperimus. Satius ergo, ſuam hic agnoſcere foret ignorantiam, tardum eſſe in ferenda

renda ſententia; nec tam leviter ex frivolis conjecturis, rem adeo difficilem aggredi explicandam.

Sed de his quae agenda ſunt, antequam certum aliquid de cerebro nobis innoteſcat, plura adhuc reſtant, quam quae hactenus dixi. Enimvero tot capita diſſecanda forent, quot ſunt diverſae ſpecies animalium, ac diverſi in unaquaque ſpecie ſtatus. Ex foetibus animalium videre liceat quomodo formetur cerebrum; quodque ex ſano cerebro cognoſcere non licet, ex cerebris per morbum aliquem alteratis, perſpectum habemus. In viventibus animalibus penſanda veniunt quaecunque functiones cerebri laedere quomodocunque poſſunt, ſive extrinſecus illa accidant, uti per liquores, vulnera, medicamenta, ſive internas habeant cauſas, morbos puta, quorum apud medicos non modicus eſt numerus. Eſt praeterea quod ſuadet in capitibus animalium, operam hanc impendere, nempe ea pro lubitu tractamus. Trepanum, ceterasque Chirurgiae operationes his adhibemus, ut modos calleamus, quibus apte fiant. Cur autem easdem operationes illuc non dirigamus, ut ſciatur an cerebro inſit motus aliquis? aut ſi certa quaedam medicamenta durae matri, ſubſtantiae cerebri, aut ipſius ventriculis applicando aliqua inde effecta ſingularia pateſcant.

Tentari quoque varia pericula poſſent citra apertionem cranii, ipſimet adhibendo exterius diverſa medicamina, modo haec alimentis immiſcendo, modo illa injiciendo in vaſa; & inde

doceri,

doceri, quibus actiones animales turbari, quibus apte reſtitui poſſunt dum laeduntur.

Diverſum eſt diverſorum animalium cerebrum; unde novus additur ad ſingula examinanda ſtimulus. Avium & piſcium cerebrum ab humano multum diſcrepat. Atque eorum animantium quae ad noſtri generis magis accedere videntur, ne unum quidem deprehendi cerebrum, in quo manifeſti diſcriminis notas non detexerim.

Quaecunque vero ſit illa diſcrepantia, aliquid ſemper ſcrutatoribus affundit luminis, & quod abſolute deſideratur nos edocet. Ex animantibus quaedam reperias, in quibus fibrae manifeſtius quam in homine apparent. Quae in humano ſubjecto partes permixtae ſimul & conjunctae ſunt, in brutis nonnunquam diſtinctae & ſeparatae habentur; in aliis quoque ſubſtantia plus minusve ſolida, moles inaequalis, ſitus ipſe diverſus.

Plura non addam, ſat ſecurus, facile omnibus perſuaſum fore, nova noſtrae aetatis experimenta, diſſectionibus animalium accepta referri debere univerſa; & extare quasdam partes, quae niſi eas in brutorum cerebro perſpectas habuiſſemus, nunquam in humano potuiſſent.

Quae autem hactenus Spectatiſſimi Domini, attingimus de imperfectione ſyſtematum, & methodi hactenus in diſſectione & detectione cerebri receptae defectibus deque infinitis quas ſive in hominibus, ſive in brutis fieri oporteret diſquiſitionibus, iisque in diverſis ſtatibus examinandis;

Exiguum

Exiguum lucis, quod ex majorum noſtrorum monumentis hauſimus, denique ſedula illa circumſpectio, cum qua ad partes adeo tenellulas accedere monemur, glaucoma ab oculis eorum detrahere debuit, qui veterum placitis tam placide acquieſcunt. Horum ſi jejunis praeceptis contenti manemus, nos quoque miſerabili inſcitiae mole perpetuo premi oportet, niſi inquam homines ejusmodi diſquiſitionibus aptiores, labores ſuos, ſtudia & induſtriam conferre eo velint, ut tandem ad aliquam veritatis notitiam deveniatur, quae meta, qui ſcopus eorum eſſe debuit, qui ſana mente reguntur, quique bona fide ſtudiis ſe devoverunt.

LOCA EX DOMINI CARTESII

Scriptis de Homine & de Formatione Foetus deſumta, quae ea, quae pag. 87. & ſequentibus hujus Diſſertationis Domini Stenonis allegata fuere, confirmant.

Pagina 24. ex *Edit. Lud. de la Forge Amſtel. ap. Dan. Elſevir.* 1677. Sciendum enim eſt, arterias quae hunc ſanguinem a corde ad cerebrum deferunt, primo in infinitos tenuiſſimos ramulos dividi, & componere parva illa reticula, quae tapetorum inſtar in fundo ventriculorum cerebri expanſa ſunt, ac denuo coïre circum exiguam quandam glandulam, quae circiter in media cerebri ſubſtantia ſita eſt, in ipſo ventriculorum introitu, atque ibi valde multos exiguos poros habere, per quos ſubtiliſſimae ſanguinis quem con-

tinent particulae effluere poſſint in hanc glandulam, non vero craſſiores, eo quod nimis anguſti ſint pori iſti. Sciendum etiam, has arterias ibi non terminari, ſed ubi plures in unam coïerint, recta aſcendere, & exonerare ſe in amplum illud vas, quod inſtar Euripi eſt, quo tota exterior cerebri ſuperficies irrigatur.

Pagina 25. Glandula concipi debet inſtar uberrimi fontis, unde ſanguinis partes ſubtiliſſimae maximeque agitatae eodem tempore quaquaverſum profluunt in ventriculos cerebri.

Pag. 100. Concipe ejus ſuperficiem AA. quae ventriculos EE. reſpicit, inſtar Plexus aut reticuli ſatis denſi & compacti, cujus ſingulae maculae ſint totidem tubuli per quos ingredi poſſunt animales ſpiritus, & qui ſemper reſpicientes glandulam H. unde profluunt hi ſpiritus, convertere ſe facile huc & illuc poſſunt ad diverſa hujus Glandulae puncta.

Pag. 116. Nunquam vel uno momento in eodem loco Spiritus conſiſtunt, ſed quamprimum ingrediuntur in ventriculos cerebri EE. per poros glandulae H. ſtatim tendunt verſus eos tubulos *aa.* qui prae aliis directe opponuntur poris iſtis.

Pag. 125. Dum qua ratione Figurae in ſpiritibus in ſuperficie glandulae H. formentur, explicat, relationem quam inter interiorem Cerebri ſuperficiem glandulaeque ſuperficiem ſupponit, evidenter admodum determinat.

Pag. 136. Conſiderandum praeterea, glandulam H. ex materia valde molli compoſitam eſſe,

eamque

eamque prorſus junctam & unitam non eſſe cum ſubſtantia cerebri, ſed ei tantum annexam minutiſſimis arteriis, (quarum tunicae valde laxae & plicatiles ſunt) & vi ſanguinis eo propulſi a calore cordis, quaſi in aequilibrio ſuſpenſam. Adeo ut valde parum requiratur ad eam determinandam, quo inclinet ſeſe & propendeat, magis minusve, modo in unam modo in aliam partem, efficiendumque ut ſic inclinando ſe, diſponat egredientes a ſe ſpiritus, ut potius ad unas quam alias cerebri partes ſe conferant: *& paulo poſt*, ſi ſpiritus eandem prorſus vim haberent, &c. glandulam in medio capitis prorſus erectam & immobilem ſuſtinerent.

Pag. 138. Spiritus egredientes hoc pacto ſpeciatim magis e quibusdam locis ſuperficiei hujus glandulae, quam ex aliis, vim habere poſſunt interioris cerebri ſuperficiei tubulos, in quos ſe recipiunt, verſus loca per quae exeunt, convertendi, ſi eos jam omnino converſos non inveniant.

Finis Diſſertationis Domini Stenonis.

CALANTICA APONEVROTICA. PERICRANIUM.

195. Praeter externa Capitis Tegumenta, Cutem ſcilicet, Capillitium, Membranam Celluloſam ſive Pelliculatam, Expanſionis Aponevroticae ſpecies, quae Caput inſtar Galericuli contegit,

 atque

atque circum Collum uſque ad ſummum Humerorum in modum Chlamydis continuatur, ibidem adeſt. Unde Calanticae nomen eidem impono. Superior ipſius portio in ſpecie Galericulus Aponevroticus appellatur.

197. Aponevroſis haec in Capite admodum robuſta eſt, ibique e duobus ad minimum Fibrarum ſeſe decuſſantium ſtratis compoſita eſſe videtur. Poſtmodum ea proportione, qua inferiora verſus Collo circumtenditur, tenuior evadit, tandemque in Claviculis ſenſim obliteratur. In utroque latere Productionem a ſuperiori deorſum & ab exteriori introrſum mittit, quae poſtquam ſupra ſuperiorem Muſculi Maſtoïdei extremitatem excurrit, retro huncce Muſculum verſus transverſas Vertebrarum Colli Apophyſes repit, ubi cum Ligamentis Inter-transverſariis communicationem alit.

198. *Pericranium.* Externa omnium Oſſium Capitis ſuperficies, uti & reliqua Corporis humani Oſſa, Dentibus exceptis, Membrana peculiari inveſtiuntur, cujus portio, quae in ſpecie Cranii Oſſa contegit, Pericranium vocatur, atque portio quae Oſſa Faciei inveſtit, ſimpliciter Perioſtium appellatur.

199. Pericranium ex duabus arcte invicem conglutinatis Laminis componitur. Interna Lamina, quae quandoque pro peculiari Perioſtio habita fuit, cunctas hujus Regionis oſſeas partes immediate contegit. Externa Lamina etiam a qui-

quibusdam ceu ab interna diſtincta, ſub proprio Pericranii nomine conſiderata fuit.

200. Externa Pericranii Lamina ab interna in circumferentia Plani ſemi-circularis ſive ſemi-ovalis Regionis lateralis Cranii, cujus in Tractatu de Oſſibus Siccis (n. 182.) mentionem feci, abſcedit. Haec ibidem Tentorium quaſi Aponevroticum ſive Ligamentoſum admodum robuſtum fit, quod Muſculum Crotaphitem contegit, poſtmodum Angulari externae Oſſis Frontalis Apophyſi, poſteriori Apophyſis ſuperioris Oſſis Malae margini, atque ſuperiori totius Arcus Zygomatici margini uſque ad Apophyſis Maſtoïdeae Radicem ſive Baſin annectitur.

201. In hacce ſeceſſione magna Muſculi Crotaphitis portio utrique duarum Pericranii Laminarum eo modo, quem in Tractatu de Muſculis explicavi, annectitur. Reliquum ſeceſſionis, quod nullam Crotaphiti Muſculo inſertionem praebet, Reticulato atque Adipoſo Texto in intervallo inter inferiorem ejusdem Muſculi portionem atque Arcum Zygomaticum repletur. Calanticam Aponevroticam hoc in loco externae Pericranii Laminae ſeſe jungere, ambasque ibidem cum peculiaribus Aponevroticis Muſculorum vicinorum, Maſtoïdei ſcilicet, Maſſeteris, Zygomatici, &c. Expanſionibus communicationem alere videtur.

OCULI IN GENERE.

202. *Situs. Compoſitio.* Oculi ordinarie duo numero ſunt, in inferiori Frontis ſiti, in quolibet

 bet

bet latere Radicis Naſi unus. In genere ex partibus duris & ex partibus mollibus componuntur. Partes durae Oſſa Cranii atque Faciei ſunt, quae duas Pyramidales ſive Conicas cavitates, inſtar duorum Infundibulorum, quae Orbitae dicuntur, formant. Partes molles plurium ſpecierum ſunt.

203. Primaria & quam maxime eſſentialis partium mollium cujuslibet horum duorum Organorum iſta, quae Bulbus Oculi appellatur, exiſtit. Reliquarum partium mollium quaedam externae, quaedam internae ſunt. Externas Supercilia, Palpebrae, Caruncula Lacrymalis, Puncta Lacrymalia conſtituunt. Internae Muſculi, Pinguedo, Glandula Lacrymalis, Nervi, Vaſa Sanguifera ſunt.

204. *Orbitae.* Septem Oſſa quamlibet Orbitam componunt, Os ſcilicet Frontale, Os Sphenoïdes, Os Ethmoïdes, Os Maxillare ſuperius, Os Malae, Os Unguis & Os Palati. In qualibet Orbita Margo, Parietes, Fundus notentur. Margo ab Oſſe Coronali, Oſſe Maxillari & Oſſe Malae; fundus ab Oſſe Sphenoïde & Oſſe Palati formatur. Parietes ex cunctis hiſce ipſis Oſſibus, Oſſe Palati excepto, conſtruuntur. Fundus ab Optico Oſſis Sphenoïdis Foramine perforatur. Externus Paries prope hocce Foramen duabus Rimis, quae Rimae Orbitariae dicuntur, una ſuperiore & altera inferiore, perforatur. Superior Rima Sphenoïdalis eſt: inferiorem Rimam Spheno Maxillarem vocavi. De Foramine Superciliari, Foraminibus Orbitariis, &c. Tractatus de Oſſibus Siccis videatur.

205.

205. Tota Orbitae concavitas Membrana, quae Durae Matris Proceſſus aut potius continuatio, & quidem partim per Foramen Opticum Oſſis Sphenoïdis, partim per Rimam Sphenoïdalem ſive Rimam Orbitariam ſuperiorem exiſtit, inveſtitur. Membrana haec quae Perioſtium Orbitae appellari poteſt, cum Perioſtio Baſis Cranii per Rimam Orbitariam inferiorem ſive Rimam Spheno-Maxillarem communicationem alit. Poſtquam ad marginem Orbitae pervenit, Perioſtio Faciei obviam fit. Duo Perioſtia in ſuperiore marginis Orbitae parte ſpeciem Ligamenti lati, aliudque minus latum in inferiore hujus marginis parte invicem formant, quae Ligamenta Palpebrarum appellabo.

206. Specialis Orbitarum Situs iſti duorum Infundibulorum, ita lateraliter in parva diſtantia unum ad latus alterius locatorum, ut eorundem Apices ſive Fundi ad ſe invicem accedant, ipſorum latera vicina fere parallela ſint, eorumque latera oppoſita oblique retrorſum vergant, fere ſimilis eſt. Id quod efficit, ut magnae circumferentiae ſive marginis cujuslibet Orbitae medium multo longius quam ipſorum fundus aut apex a Septo Naſi diſtet. Hoc marginem quoque ſive magnam circumferentiam admodum obliquam reddit, ita ut latus Temporale, quod Angulus externus Orbitae communiter dicitur, reſpectu lateris Naſalis, qui eodem modo & quam maxime improprie Angulus internus dicitur, admodum retrocedat atque poſterius exiſtat.

BULBUS OCULI.

207. *Compoſitio.* Cum Bulbus Oculi ex omnibus mollibus, ad Viſus Organum pertinentibus partibus, quam maxime eſſentialis iſtaque exiſtat, de qua toties fere mentio facienda eſt, quoties de his reliquis partibus ſermo inſtituitur, ipſius Expoſitionem primo loco ſuſcipere admodum aptum duco. Bulbus hic ex pluribus ipſi propriis partibus componitur, quarum quaedam plus minusve firmae ſunt, atque Teſtae, a diverſorum Membranaceorum Stratorum, quae Tunicae Bulbi Oculi dicuntur, congerie atque unione formatae ſpeciem repraeſentant. Reliquae partes plus minusve fluidae ſunt, & in propriis Membranaceis Capſulis, aut in reliquarum Tunicarum intervallis, ſub nomine Humorum Bulbi Oculi includuntur. His Capſulis etiam nomen Tunicarum imponitur.

208. *Tunicae* Bulbi Oculi triplicis ſpeciei ſunt. Quaedam inprimis Bulbi Teſtam formant: quaedam acceſſoriae ſunt, nec niſi portioni cuidam Bulbi annectuntur: quaedam denique in ſpecie Capſulares ſunt, atque Humores includunt. Tunicae Teſtam formantes tres numero ſunt. Extima, quaeque ſola totam Bulbi convexitatem format, Sclerotica ſive Cornea appellatur. Media Choroïdea vocatur; tertia ſive interna Retinae nomine inſignitur. Tunicae acceſſoriae duae ſunt; Tendinea ſive Albuginea, quae Album Oculi conſtituit, & Conjunctiva. Tunicae Capſulares duae ſunt, Vitrea ſcilicet atque Cryſtallina.

209. Bulbus Oculi ita formatus poſterius ſpecie Caudae ſive Pedioli mediocris craſſitiei, qui Nervi Optici continuatio exiſtit, inſtruitur. In medio circiter Tentorii Orbitae, eo modo, quem in ſequentibus videbimus, ſitus, Orbitaeque mediante Nervo Optico, mediantibus ſex Muſculis, mediante Tunica Conjunctiva tandemque mediantibus Palpebris annexus eſt. Poſterior Bulbi pars, Nervus Opticus Muſculique a molliuſcula, totum reliquum fundi Orbitae occupante, pinguedine circumdati atque involuti ſunt.

210. *Humores.* Tres, Aqueus ſcilicet, Vitreus atque Cryſtallinus, numerantur. Primus ſatis proprie, Humor vocatur. In ſpatio a ſolo anterioris Tunicarum portionis intervallo formato continetur. Secundus ſive Humor Vitreus in peculiari Membranacea Capſula includitur, atque plus quam tres quartas Teſtae ſive Capacitatis Bulbi Oculi partes occupat. Humor Vitreus ideo vocatur, quoniam Maſſae Vitri fuſi aliquo modo ſimilis eſt. Albumini potius ovi recentis ſimilis exiſtit.

211. Humor Cryſtallinus a ſua cum Cryſtallo ſimilitudine ita dictus fuit. Cryſtallinus etiam ſimpliciter vocatur; gummea potius Maſſa quam Humor eſt. Lenticularis exiſtit, in Facie poſteriore magis convexa quam in Facie anteriore, atque Membrana admodum ſubtili, itidem Membrana ſive Capſula, Cryſtallina dicta, inveſtitur. Haec ad generalem de tribus hiſce Bulbi Oculi Humoribus ideam ſubminiſtrandam hic ſufficiant.

TUNICAE OCULI IN SPECIE.

212. *Sclerotica ſive Cornea.* Extima, craſſiſſima atque robuſtiſſima omnium Membranarum ſive Tunicarum Bulbi Oculi eſt. Omnes reliquas partes, e quibus Bulbus hic componitur, includit. In duas portiones, unam magnam, quae Cornea Opaca dicitur, & alteram parvam, quae Cornea Tranſparens vocatur, quae non niſi parvum Sphaerae ſegmentum eſt, & anterius locatur, dividitur.

213. *Cornea Opaca* e pluribus arcte ſibi invicem agglutinatis ſtratis componitur. Textum ipſius admodum durum atque compactum, ſpeciei pergamenae ſimile exiſtit. Verſus medium portionis poſterioris ipſius convexitatis, ubi Nervum Opticum ſuſtinet, perforata quaſi eſt. Hoc in loco admodum craſſa exiſtit, ipſiusque craſſities per gradus verſus portionem oppoſitam imminuitur. Haecce craſſities per intervalla & admodum oblique a parvis Vaſis Sanguiferis perforatur. Fila quoque Nervea eandem peculiari modo tranſeunt, quae in aliquali a Nervo Optico diſtantia in ipſius convexitatem intrant, in craſſitie Tunicae repunt, ipſiusque concavitatem verſus Corneam Tranſparentem perforant.

214. *Cornea Tranſparens* quae etiam ſimpliciter Cornea appellatur, dum alteri portioni Scleroticae nomen in ſpecie imponitur, itidem e pluribus Stratis ſive Laminis admodum intime invicem unitis componitur. Continuatio Scleroticae ſive Corneae Opacae, licet Texti diverſi,

eſſe

eſſe videtur. Textum hoc maceratione in aqua frigida intumeſcit.

215. Convexitas hujus portionis parumper ſupra Corneae Opacae convexitatem, in quibusdam magis, in aliis minus prominet; ita ut ſegmentum quaſi parvae Sphaerae ſegmento alius majoris Sphaerae additum eſſe appareat. Circumferentia ipſius convexitatis non uti iſta ipſius concavitatis circularis, ſed parumper transverſim ovalis exiſtit; portio enim ſuperior atque portio inferior circumferentiae in craſſitie ſua oblique finiuntur. Obliquitas haec in Bove atque Vervece magis quam in Homine apparet.

216. Cornea Tranſparens a magno Pororum inſenſibilium numero perforatur, per quos liquor continue ſive ſerum admodum ſubtile exudat, quod ea proportione, qua inde exit, evaporat. Si Oculum antea bene deterſum parvo poſt mortem tempore comprimimus, de eodem certiores fieri poſſumus; tunc enim ſenſim ſenſimque rorem ſubtiliſſimum accumulari diſtincte videbimus, ita ut parvas etiam guttulas formet; id quod diverſis vicibus reiterari poteſt. Hicce ros ſpeciem Pelliculae glutinoſae in morientium oculis producit, quae quandoque pauco tempore elapſo finditur. Videantur Acta Academiae Regiae Scientiarum 1721.

217. *Choroïdea.* Secunda Bulbi Oculi Tunica eſt. Nigricans exiſtit, plus minusve ad rubicundum accedit, atque Corneae Opacae mediantibus quamplurimis parvis Vaſis, ab Optici Nervi

vi inſertione uſque ad duarum Cornearum occurſum atque unionem, ubi circumferentiam Bulbi relinquit, atque Septum perforatum format, quod parvum Bulbi ſegmentum a magno ſegmento ſeparat, adhaeret. Portio haec communiter in ſpecie Uvea appellatur. Alias idem quoque nomen ſecundae Tunicae in genere impoſitum fuit; & quoniam portio haec in pluribus ſubjectis diverſimode colorata eſt, Iris etiam vocata fuit, quamvis terminus hic coloratae hujus portionis ſuperficiei praeciſe magis conveniat, imo nequidem in hanc ſuperficiem in iis, ubi ſimpliciter fuſca, nigricans aut fere nigra exiſtit, quadraret.

218. Externa Choroïdeae Lamina interna Lamina robuſtior eſt. Uti interna, ob ſuam pelluciditatem nigra ſive nigricans apparet. Lamina haec in diſtantia lineae circiter & ultra a duarum Cornearum unione Scleroticae ſive Corneae Opacae intimius agglutinatur. Circum circa hancce adhaeſionem colorem mutat, atque Cingulum quaſi albicans ejusdem quam adhaeſio latitudinis format. Album hoc Cingulum prope marginem Scleroticae robuſtius quam alibi atque Texti peculiaris eſſe videtur. Scleroticae adeo adhaeret, atque adeo intime annectitur, ut, ſi parvum Scleroticae ſive Corneae Opacae, absque ut Choroïdea laedatur, Foramen infligitur, flatusque in hoc foramen immittitur, aërem ubique inter duas Tunicas diſcurrere easque a ſe invicem ſeparare, absque ut hancce adhaeſionem ſolvere & ad Corneam

neam Tranſparentem uſque penetrare poſſit, videbimus. Adhaeſio haecce improprie Ligamentum Ciliare vocatur. Quando interna hujus Laminae ſuperficies examinatur, quamplurimae planae inſtar Vorticum diſpoſitae Lineae ibidem deteguntur. Vaſa ſunt, & a Stenone Vaſa Vorticoſa, Vaſa circumacta, Vortices Vaſculoſi appellata fuere. In ſequentibus adhuc de iisdem verba faciam.

219. Interna Choroïdeae Lamina externa Lamina tenuior exiſtit. Superficies hujus Laminae internae uti etiam vicina Laminae externae ſuperficies, materia nigricante ſive ex rubro ad nigrum vergente, inducitur, quae, quando tangitur, facile detergitur, promteque aquam, in quam Choroïdea immittitur, tingit. Materiae hujus Fontes detegi non potuerunt. In interna hujus Laminae ſuperficie poſt ſubtiles admodum Anatomicas Injectiones quamplurimas parvas vaſculoſas ſtellas conſpexi. Lamina Ruyſchiana in Operibus Domini Ruyſchii appellatur.

220. *Uvea. Iris. Pupilla. Proceſſus Ciliares.* Anterior Portio ſive perforatum Choroïdeae Septum in ſpecie Uvea vocatur; foramen, quo centrum fere hujus Septi perforatur, Pupilla audit; anterior ejusdem Septi Lamina Iris appellatur, & radiatae tandem ipſius poſterioris Laminae plicae Proceſſus Ciliares ſalutantur. Duo inter duas Uveae Laminas tenuia admodum Plana Fibrarum, quae carnoſae eſſe videntur, Planum ſcilicet Fibrarum Orbicularium circum Pupillae circumferentiam, atque Planum Fibrarum radiatarum,

tarum, uno extremo Plano Orbiculari, & altero extremo magno Uveae margini annexarum deteguntur.

221. Plicae ſive Proceſſus Ciliares parvae radiatae atque prominentes Laminae poſterioris Uveae duplicationes ſunt. Circumferentia earundem circumferentiae Cinguli albi Laminae externae ex parte reſpondet. Parva oblonga atque penſilia Folia ſunt; eorundem poſteriores ſive Choroïdeae vicinae extremitates admodum graciles ſunt, & in apicem deſinunt. Eorundem extremitates Pupillae vicinae latae exiſtunt, prominent, atque in angulos acutos deſinunt. Vaſculoſum in cujuslibet Plicae Ciliaris duplicatione admodum ſubtile Rete detegitur. Fibras carnoſas ibidem monſtrari poſſe contenderunt. In totidem parvis Vitreae Membranae ſulcis ſive ſtriis, quemadmodum in ſequentibus videbimus, nidulantur.

222. Spatium quod inter Corneam Tranſparentem atque Uveam eſt, maximam Humoris Aquei partem, de quo poſtmodum ſermo erit, includit; & cum anguſto admodum ſpatio, quod retro Uveam, ſive inter Uveam atque Cryſtallinam Lentem eſt, mediante Pupilla communicationem alit. Duo haec ſpatia Camerae Humoris Aquei vocantur; atque in Cameram anteriorem & in Cameram poſteriorem diſtinguuntur. Sermonem adhuc de iisdem poſt Lentis Cryſtallinae Deſcriptionem atque occaſione Humoris Aquei inſtituam.

223. *Reti-*

223. *Retina. Nervus Opticus.* Tertia Tunica Bulbi Oculi Texto ab iſto duarum reliquarum Tunicarum admodum diverſo gaudet. Albicans, molliuſcula, tenera & Medullaris quaſi, ſive ſpeciei glutinis farinacei reticulatae cuidam admodum ſubtili Telae inducti ſimilis eſt. Craſſior quam Choroïdea eſſe videtur, & a Nervi Optici inſertione uſque ad Radiorum Ciliarium extremitates extenditur. Aequaliter in toto hocce trajectu Choroïdeae agglutinatur. Eo in loco, qui inſertioni Nervi Optici reſpondet, parva depreſſio, & in hacce depreſſione Medullaris, in apicem deſinens Globulus conſpicitur. Circum parvam hancce depreſſionem Vaſa Sanguifera exeunt, quae in utroque latere in craſſitie Retinae in Ramuſculos dividuntur.

224. Communiter Retinam Subſtantiae Medullaris Nervi Optici Productionem, Scleroticam iſtam Durae Matris, Nervum huncce involventem, tandemque Choroïdeam iſtam Piae Matris, itidem eundem huncce Nervum comitantem, exiſtere tradunt. Haec cum idea, quae ex Anatomico hujus Nervi examine, & ex ipſius in Bulbo Oculi inſertione concipitur, minime conveniunt. Ad hoc demonſtrandum, Opticum Nervum ſecundum totam ſuam longitudinem, ab ipſius in Orbitam introitu uſque in Bulbum Inſtrumento bene ſcindente in duas partes laterales exacte aequales dividere, atque ſectionem aequaliter per medium ſive centrum inſertionis Nervi continuare ſufficit.

225. Tunc

225. Tunc quod Nervus hic in ſua in Bulbo inſertione parumper arctetur; quod primum illius involucrum vera Durae Matris continuatio ſit; quod Vagina haec tam craſſitie quam texto admodum a Sclerotica differat, dum Sclerotica craſſior eſt, aliaque quam Vagina Durae Matris ſtructura gaudeat, videbimus. Quod Vagina Piae Matris plura in craſſitie Subſtantiae Medullaris ſubtilia & celluloſa Septa in tota Nervi craſſitie formet, quodque Pia Mater in loco ipſius in Bulbum Oculi introitus non directe Choroïdeae reſpondeat, videbimus.

226. Tandem per hancce adminiſtrationem, quod Medullaris hujus Nervi Subſtantia, dum in Bulbum intrat, admodum arctata & ſtrangulata quaſi ſit; quod tantum in parvum iſtum globulum, de quo ſupra dixi, deſinere videatur, quodque Retina nimia craſſitie praedita ſit, quin pro expanſione Subſtantiae Medullaris Nervi hic haberi queat, videbimus.

227. Nervi Optici in Bulbo Oculi inſertio ſaepiſſime non directe e diametro Pupillae oppoſita invenitur; ita ut horum duorum locorum diſtantia non circum totam Bulbi circumferentiam eadem ſit. Maxima harum diſtantiarum ſaepiſſime in latere Temporum, atque minima in latere Naſi conſpicitur. Similem fere in latitudine Uveae inaequalitatem obſervavi, quae in pluribus ſubjectis in latere Naſi minus lata quam in latere Temporum exiſtit; ita ut centrum Pupillae centro magni marginis Iridis non reſpondeat. Eadem adhuc

adhuc inaequalitas mihi in Coronae Ciliaris latitudine occurrit.

HUMORES OCULI. EORUNDEM CAPSULAE.

228. *Humor Vitreus.* Liquor Gelatinoſus admodum clarus, admodumque fluidus, in Membranacea admodum ſubtili atque tranſparenti Capſula, quae Tunica Vitrea audit, & cum qua maſſam conſiſtentiae fere albuminis ovi format, incluſus exiſtit. Maximam capacitatis Bulbi Oculi partem, ſcilicet totum fere ſpatium, quod Retinae extenſioni reſpondet, parvo loco retro Uveam excepto, ubi Foſſulam format in qua Cryſtallinus locatur, occupat. Quando Humor hic e Bulbo dextre extrahitur, in Capſula ſua per tempus quoddam, fere uti albumen ovi, in maſſa ſuſtinetur, ſed ſenſim ſenſimque diffluit, tandemque penitus evaneſcit.

229. Tunica Vitrea exterius e duabus ſibi invicem arcte agglutinatis Laminis componitur, quae poſterius & circum circa totam maſſam circumdant, quoniam in tota hacce circumferentia Retinae uſque ad magnam Coronae Ciliaris circumferentiam immediate applicatur. Haecce Tunica ab hoc loco uſque ad circularem Foſſulae Lentis Cryſtallinae marginem, a ſulcis inſtar radiorum diſperſis circum circa excavatur, in quibus Ciliares Uveae Proceſſus locantur. Poſtquam ad marginem Foſſulae pervenit, duae Laminae a ſe

invicem diſcedunt, peculiaremque Capſulam, quae Pala Cryſtallini vocatur, de qua poſtmodum ſermo erit, formant.

230. Interna Vitreae Tunicae Lamina quamplurimos in totam maſſae Vitreae craſſitiem Celluloſos Proceſſus interruptaque tantae ſubtilitatis Septa, ut minime in ſtatu naturali conſpici queant, totumque ſimul ſumtum non niſi ceu maſſa admodum uniformis & in tota ſua craſſitie aequaliter tranſparens appareat, ablegat. Celluloſa haecce Structura, niſi Corpus modo ſeparatum acidulo cuidam, leviterque coagulanti liquori committitur, non detegitur.

231. Radiati Tunicae Vitreae Sulci, qui Ciliares hujus Tunicae Sulci appellari poſſunt, in Corpore Vitreo ſeparato omnimodo nigri ſunt. Id a nigra materia, qua parva Folia ſive Proceſſus Ciliares naturaliter quemadmodum reſiduum Tunicae Choroïdeae inducuntur, quaeque in fundo Sulcorum, parvis Foliis ab iisdem ſeparatis, remanet, provenit. Subtilia admodum Vaſa, de quibus in ſequentibus dicam, in Corpore deteguntur.

232. *Cryſtallinus Humor.* Parvum Corpus lenticulare, conſiſtentiae mediocriter firmae eſt, atque pelluciditate iſti Cryſtalli fere ſimile eſt. In membranacea tranſparente Capſula includitur, & in Foſſula partis anterioris Humoris Vitrei, quemadmodum modo dixi, locatur. Non niſi admodum improprie, nec niſi reſpectu magnae ſuae facilitatis, qua contrectari, ſubigi, imo quando-

que

que diverſis inter digitos reiteratis compreſſionibus plane fere diſſolvi poteſt, inprimis quando e Capſula exemtus fuit, inter Humores numerari poteſt.

233. Figura Cryſtallini ordinarie lenticularis eſt, ſed ita ut poſterior facies anteriore facie magis convexa exiſtat. Raro duae facies aequaliter convexae reperiuntur. Interna maſſae Cryſtallini Structura nondum ſatis evoluta eſt, ut de eadem aliquid cum certitudine, inprimis in Homine, affirmari poſſit, in quo certa Tuborum Cryſtallinorum in modum glomerum convolutorum diſpoſitio, quam in Oculis magnorum Animalium conſpexiſſe contendunt, non detegitur.

234. Color atque conſiſtentia Cryſtallini naturaliter juxta diverſas aetates variant. Haec Domini Petiti Medici obſervatio eſt, quam ipſe in Academia Scientiarum in magno Oculorum humanorum numero demonſtravit, atque Actis poſtmodum anni 1726. inſeruit. Admodum pellucidus nec coloratus fere uſque verſus annum trigeſimum exiſtit, ubi ſubflavus fieri incipit, poſtmodumque magis magisque ad colorem flavum accedit. Conſiſtentia fere eosdem gradus ſequitur. Ad annum uſque vigeſimum quintum aequaliter molliuſculus apparet, poſteaque majorem in medio maſſae conſiſtentiam acquirit. Hoc variat. Videantur adhuc Acta Anni 1727.

235. Tunica ſive Capſula Cryſtallina a Tunicae Vitreae duplicatione, uti ſupra dixi, formatur. Externa Lamina anteriorem maſſae Cryſtal-

linae faciem contegit. Interna Lamina poſteriorem hujus maſſae faciem includit, eodemque tempore Foſſulam Vitream inveſtit, in qua Cryſtallinus ad communem uſque duarum ſuarum facierum ſive convexitatum marginem immergitur. Anterior Capſulae Cryſtallinae portio poſteriore portione craſſior, atque elaſtica quaſi exiſtit. Utraque, craſſities ſcilicet atque elater, ſola diſſectione deteguntur.

236. Eadem anterior portio maceratione in aqua intumeſcit, tuncque ex duabus Pelliculis mediante ſpongioſo admodum ſubtili, admodumque ſtricto Texto invicem unitis compoſita eſſe videtur. Ego hancce Duplicationem in Oculo Equi ſolius ſcalpelli ope diſtincte demonſtravi, imo duarum Laminarum ſeparationem uſque in Tunicam Vitream proſecutus ſum. Quandoque parvum in medio Capſulae cuſpide ſcalpelli foramen feci, & poſtquam mediante Tubo flatum in illud immiſi, ventus ex parte inter marginem maſſae Cryſtallini atque marginem Capſulae inſtar circuli pellucidi haeſit. Hoc experimentum in Oculo Bovino ante plusquam decem annos inſtitui.

237. Mihi dum Humanum Oculum examinavi, Retinam, poſtquam ad magnam Coronae ſive Circuli Ciliaris circumferentiam pervenit, admodum tenuem evadere, atque inter parva Folia ſive Ciliares Uveae Proceſſus atque Ciliares Vitreae Tunicae Sulcos uſque ad circumferentiam Cryſtallini continuari viſum fuit. Fortaſſis haec continuatio,

tio,ut parva Folia ſive Proceſſus Ciliares pellicula albicante quaſi inveſtiti eſſe appareant, in cauſa eſt, & fortaſſis etiam hoc, ut craſſities portionis anterioris Capſulae Cryſtallinae augeatur, in cauſſa exiſtit.

238 *Humor Aqueus. Ipſius Camerae.* Humor Aqueus Liquor admodum limpidus, admodum fluidus, & lymphae ſive ſeri valde parum viſcoſi ſpecies quaſi eſt. Nulla peculiari quemadmodum Vitreus atque Cryſtallinus Capſula inſtruitur. Spatium, quod inter Corneam tranſparentem atque Uveam eſt, & ſpatium quod Uveam atque Cryſtallinum intercedit, uti etiam Foramen Pupillae occupat atque replet. Duobus his ſpatiis Camerarum Humoris Aquei nomen imponitur, atque ratione ſitus in Cameram anteriorem & in Cameram poſteriorem diſtinguuntur.

239. Duae hae Camerae ſive communes Humoris Aquei Capſulae ratione extenſionis inter ſe differunt. Anterior, quae omnibus inter Corneam tranſparentem atque Uveam ſatis in viſum incurrit, e duabus maxima eſt. Poſterior, quae intra Uveam atque Cryſtallinum latet, admodum anguſta, inprimis verſus Pupillam, ubi Uvea Cryſtallinum fere attingit, dum verſus circumferentiam parumper minus ab eodem diſtat, exiſtit. Haec duarum Camerarum proportio contra plurium Veterum opinionem a Recentioribus, inprimis a Domino Heiſtero, uti etiam a Domino Morgagni, & a pluribus Academiae Regiae Scientiarum Membris, inter quae Dominus Petitus Medicus circa hancce materiam omnium maxime

 pro-

prolixus fuit, quemadmodum fuſius in Actis hujus Societatis typis expreſſis videre eſt, ſatis probata atque demonſtrata fuit.

TUNICA ALBUGINEA.
MUSCULI BULBI OCULI.

240. *Tunica Albuginea.* Id conſtituit, quod communiter Album Oculi vocatur, atque ſuper tota anteriore Bulbi convexitate, a Cornea transparente, uſque ad occurſum, ut ita dicam, hujus convexitatis cum convexitate poſteriore apparet. A Tendinoſa praecipue quatuor Muſculorum expanſione, eo modo, quem mox exponam, formatur. Expanſio haec Scleroticae valde adhaeret, utque ibidem penitus alba atque lucida appareat in cauſa eſt, cum e contrario aliis in locis non niſi albicans atque lurida exiſtat. Verſus marginem Corneae admodum tenuis eſt, ubi admodum uniformiter finitur, & a Cornea quaſi obliteratur.

241. *Muſculi.* Sex ordinarie Muſculi convexitati Bulbi Oculi in Homine annexi reperiuntur. In quatuor rectos & in duos obliquos ſecundum eorundem directionem dividuntur. Muſculi Recti poſtmodum ſecundum ipſorum ſitum, in ſuperiorem, inferiorem, internum, externum, & ſecundum ſpeciales ipſorum functiones, in Elevatorem, Depreſſorem, Adductorem, Abductorem dividuntur. Duo Obliqui ſecundum eorum ſitum eorumque extenſionem, unus Obliquus ſuperior

perior ſive Obliquus major, & alter Obliquus inferior ſive Obliquus minor, vocantur. Obliquus major etiam Trochleator a latino vocabulo Trochlea appellatur, quoniam parvum cartilaginoſum annulum, quaſi circum Trochleam, tranſit.

242. Recti Muſculi non omnimodo eorundem nominibus reſpondent; nam non omnes quatuor ſitu hocce recto in loco eorundem naturali, quem in Oculo ſeparato extra eorundem ſitum ipſis procuramus, gaudent. Quo hoc intelligi queat, clara de vero Bulbi in Orbita ſitu idea formanda, ſimulque obliquitas Orbitarum, de qua antea dixi, in memoriam revocanda eſt. Globus hic naturaliter talem ſitum obtinet, ut, quando nullus ex ſex Muſculis agit, imo dum omnes in aequilibrio ſunt, Pupilla directe antrorſum ſpectet, internus Orbitae margo e regione medii interni Bulbi lateris conſtituatur, externus Orbitae margo, quoniam ob obliquitatem ſuam recedit, non e regione medii lateris externi Bulbi, aſt admodum poſterius, locetur; tandemque maxima convexitatis circumferentia inter Pupillam atque Nervum Opticum directe introrſum & extrorſum, uti ſurſum atque deorſum vergat.

243. Secundum hancce ideam internus quatuor Muſculorum ſolus directe locatur; trium reliquorum ſitus obliquus eſt. Secundum eandem ideam externus omnium longiſſimus, internus breviſſimus exiſtit; ſuperior & inferior eadem inter hos media longitudine gaudent. Externus inſuper

in ſitu hocce circum externam Bulbi convexitatem incurvatur; duo reliqui itidem, aſt multo minus, incurvantur, cum e contrario internus fere totus rectus exiſtat. Id quod, quin ſecundum receptum loquendi modum Muſculi Recti Oculi vocentur, non impedit.

244. Muſculi hi in fundo Orbitae proxime Foramen Opticum, Proceſſui Durae Matris mediantibus brevibus atque anguſtis Tendinibus, juxta diſpoſitionem ſupra indicatam poſterioribus ſuis extremitatibus annectuntur. Inde toti carnoſi uſque verſus maximam convexitatis circumferentiam, inter Nervum Opticum atque Corneam tranſparentem excurrunt, ubi mediantibus planis admodum atque adeo latis Tendinibus, ut ſe invicem tangant, poſtmodumque uniantur, latiores fiunt. Tendines hi mox mediante peculiari inſertione circumferentiae indicatae annectuntur, poſteaque adhaeſionem ſuam uſque ad Corneam continuant, atque, uti ſupra diximus, Tunicam Albugineam ſive Album Oculi formant.

245. Muſculus Obliquus ſuperior fundo Orbitae mediante Tendine anguſto, uti Muſculi Recti, & quidem praeciſe inter Rectum ſuperiorem atque Rectum internum annectitur. Inde Orbitam e regione intervalli horum duorum Muſculorum uſque verſus Angularem internam Oſſis Frontalis Apophyſin legit. Hoc in loco in Tendinem gracilem deſinit, qui per ſpeciem Annuli, quaſi per Trochleam tranſit, poſtmodum infra Muſculum Rectum ſuperiorem, id eſt, inter huncce Muſculum

lum atque Bulbum, latior evadens in Vagina oblique retrorſum ſe confert, tandemque Bulbo parumper poſterius atque lateraliter verſus Muſculum Rectum externum annectitur.

246. Annulus quem Muſculus Trochleator tranſit, partim Cartilaginoſus & partim Ligamentoſus exiſtit. Portio Cartilaginoſa complanata, parumper lata, annulique dimidio fere ſimilis eſt. Portio Ligamentoſa fortiter duabus extremitatibus parvae hujus Cartilaginis incurvatae adhaeret, atque fundo parvae Foſſulae, quae in Orbita ſupra Angularem Oſſis Frontalis Apophyſin reperitur, inſeritur. Mediante Ligamentoſa hacce portione Annulus aliquo modo mobilis eſt, Muſculique motibus obedit. Anteriori Annuli Margini Vagina Ligamentoſa annectitur, quae Tendinem ad ipſius in Bulbum uſque inſertionem includit.

247. Muſculus obliquus inferior in inferiore Orbitae parte & infra Muſculum Depreſſorem ſive Rectum inferiorem oblique ſitus eſt; ita ut Depreſſor inter Bulbum atque Muſculum Obliquum inferiorem reperiatur. Muſculus hic Obliquus inferior una parumper tendinoſa extremitate radici Apophyſis Naſalis Oſſis Maxillaris, verſus marginem Orbitae, inter orificium Ductus Naſalis atque Rimam Orbitariam inferiorem annectitur.

248. Inde oblique & pauxillum transverſim infra Muſculum Depreſſorem verſus poſteriora excurrit, atque laterali poſteriori Bulbi parti mediante Tendine plano ex oppoſito & in parva a

Tendine Obliqui ſuperioris ſive Trochleatoris diſtantia annectitur; ita ut duo Muſculi Bulbum in poſteriore ſua externa parte aliquo modo amplectantur.

249. *Uſus horum Muſculorum.* Superior e quatuor Rectis portionem anteriorem Bulbi, quando Oculos attollimus, ſurſum fert; inferior portionem hanc, quando Oculos deprimimus, deorſum vertit; interior eandem verſus Naſum ducit, motum, qui Adductio vocatur, efficit; atque externus eandem mediante motu, qui Abductio appellatur, verſus Tempora trahit.

250. Quando duo Muſculi Recti vicini eodem tempore agunt, anteriorem Bulbi portionem oblique verſus latus, quod intervallo horum duorum Muſculorum reſpondet, ferunt. Tandem quando quatuor Muſculi ſucceſſive unus poſt alterum agunt, anteriorem Bulbi partem in gyrum movent; id quod Oculos rotare appellatur.

251. Omnes hos Bulbi Oculi motus circum centrum hujus Bulbi contingere, obſervandum eſt, ita ut eodem tempore, quo anterior portio movetur, omnes reliquae portiones itidem proportionate moveantur. Ita, quando Pupilla, exempli gratia, verſus Naſum, aut ſurſum vertitur, tunc Nervi Optici inſertio eodem tempore verſus Tempus vicinum, aut deorſum vertitur; & ſic porro.

252. Obliquorum Muſculorum uſus in eo praecipue conſiſtit, ut cum actione Muſculorum Rectorum aequilibrium ſervent, Oculique Bulbo in

in omnibus motibus, de quibus modo dixi, fulcimenti loco ſint. Inſertiones eorundem Rectis oppoſitae ſatis ſuperque hoc evincunt. Fixa eorundem ratione motuum Bulbi puncta anterius & in margine Orbitae, quemadmodum iſta Muſculorum Rectorum poſterius & in fundo Orbitae exiſtunt. Molliuſcula, quae retro Bulbum eſt, Pinguedo minime ſufficit, nec eidem tale fulcrum praebere poteſt. Multo minus Nervus Opticus hoc efficit. Nervum huncce omnes Bulbi Oculi rotationes ſequi demonſtravi, id quod niſi Pinguedo flexilis atque obſequentiſſima eſſet & per conſequens plane non reſiſteret, facere non poſſet. Huc accedit, quod Nervus praeter directionem ſuam curvatura verſus ſuam in Bulbum Oculi inſertionem inſtruatur, quae curvatura ipſi, quo elongari poſſit, concedit, & per conſequens impedit, ne, quando Bulbi rotationes ſequi cogitur, vellicetur.

253. Obliquitas horum duorum Muſculorum eorundem functionem, qua fulcri inſtar eſt, non impedit, quod fulcrum ſeparatum non eſt, ſupra quod Oculi Bulbus lubrice movetur, quemadmodum Caput unius Oſſis in articulari alterius Oſſis cavitate; ſed fulcrum annexum, quod omnibus Bulbi Oculi rotationum gradibus ſeſe accommodat. Directus horum Muſculorum ſitus Muſculos Rectos impediviſſet. Eorundem obliquitas duobus mediis, ut ita dicam, adaequatur. Unum horum mediorum internus Orbitae paries, alterum Muſculus Rectus externus eſt.

254. Internus Orbitae Paries aliquo modo loco fulcri collateralis eſt, quod, ne Bulbus introrſum vacillet, impedit, quemadmodum duorum Muſculorum Obliquorum occurſus ex parte, ne extrorſum vacillet, impedit. Muſculus Abductor ſive Muſculus Rectus Externus inflexione ſua nonſolum, ne Bulbus extrorſum vacillet, impedit, ſed & indirecto Muſculorum Obliquorum eundem extra Orbitam in latere Temporum propellendi motui obſtat. Reliqui qui Muſculis hiſce adſcribuntur uſus, ſecundum eorundem inſertiones atque partium, cum quibus relationem habent, conformationem, omni fundamento deſtitui mihi viſi ſunt. Videantur ea quae de iisdem in Actis Academiae 1721. dixi.

SUPERCILIA, MUSCULI FRONTALES, OCCIPITALES, SUPERCILIARES.

255. *Supercilia.* Duo Arcus pilorum in inferiore Frontis parte inter ſummum Naſi atque Tempora, in eadem, qua iſta Arcuum oſſeorum, qui ſuperiorem Orbitarum marginem formant, directione ſiti, exiſtunt. Cutis quae eosdem ſuſtinet, non multum craſſior quam iſta Frontis eſſe videtur. Membrana Adipoſa ibidem majori quam in locis vicinis craſſitie praedita eſt. Eorundem extremitas in latere Naſi, Caput appellatur, quoniam altera extremitate, cui nomen Caudae imponunt, craſſior exiſtit. Color eorundem in diverſis ſubjectis differt, ſaepiusque a capillis ejusdem ſubjecti diverſus eſt. Volumen eorundem itidem

itidem variat. Pili in ſpecie robuſti & parumper rigidi exiſtunt; oblique jacent, ita ut radices eorundem verſus Naſum, eorumque apices verſus Tempora ſpectent.

256. Supercilia communibus cum Cute Frontis, & cum capillata caput contegente Cute, motibus gaudent. Mediantibus hiſce motibus Supercilia attolluntur, Cutis Frontis in rugas plus minusve transverſas, plus minusve regulares plicatur, & capillamentum totaque fere capillata Cutis, in aliis plus, in aliis minus movetur; ſuntque qui ſolo hocce capillamenti motu pileum ſuum in Capite hinc inde movent, imo eundem plane dejiciunt. Supercilia quoque motibus peculiaribus gaudent, qui Cutem ſupra Naſum corrugant. Omnia haec ſequentibus Muſculis peraguntur.

257. *Muſculi Frontales.* Sunt Duo Plana carnoſa, tenuia, lata, altitudinis ſive longitudinis inaequalis, immediate infra Cutem atque Membranam Adipoſam in anterioribus Frontis partibus ſita, quas a Radice Naſi & a duabus circiter tertiis inſequentibus inferioris Superciliorum circumferentiae partibus, uſque verſus laterales capillamenti Frontis partes contegunt. Super Naſi Radices ſeſe tangunt, acſi unicum tantum Muſculum conſtituerent. Fibrae eorundem hoc in loco breves atque longitudinales, ſive perpendiculariter rectae ſunt.

258. Fibrae inſequentes in utroque latere per gradus longiores & obliquae evadunt, ita ut quam maxime anteriores breviſſimae & rectae, quam maxime

maxime laterales longiſſimae exiſtant, ſuperioribusque ſuis extremitatibus oblique verſus Tempora vergant. Haecce duorum Planorum diſpoſitio angulare ſpatium ſive intervallum inter eorundem occurſum atque capillamentum in medio Frontis format. Non eadem in omnibus ſubjectis diſpoſitio reperitur, quemadmodum magna ibidem rugarum frontalium atque limitum capillamenti Frontis varietas invenitur.

259. Muſculi hi mediantibus inferioribus ipſorum Fibrarum carnoſarum extremitatibus Cuti per Membranam Adipoſam immediate anneєuntur. Muſculos Superciliares contegunt, fortiterque iis per ſpeciem implicationis adhaerent. Mediantibus iisdem hiſce inferioribus Fibris angularibus Oſſis Frontalis Apophyſibus aliquo modo annecti, atque cum Muſculis Orbicularibus Palpebrarum Naſique Muſculis paululum confundi videntur. Superiores ipſarum Fibrarum carnoſarum extremitates externae ſuperficiei ſive convexitati Galericuli Aponevrotici annectuntur. Quaelibet eorundem portionum lateralium vicinam Muſculi Crotaphitis ſive Temporalis portionem contegit, eique quaſi agglutinatur. Inſertiones ſuperius & inferius per gradus fiunt.

260. *Muſculi Occipitales.* Duo parva, carnoſa, tenuia, admodum lata, & brevia Plana ſunt, ſuper lateralibus Occipitis partibus, in aliquali diſtantia unum ab altero ſita. Mediantibus inferioribus ipſorum Fibrarum carnoſarum extremitatibus Lineae transverſae ſuperiori Oſſis Occipitalis, & paulu-

paulullum ſupra eandem annectuntur. Inde carnoſae eorundem Fibrae a poſteriori oblique antrorſum aſcendunt, atque internae ſuperficiei ſive concavitati Galericuli Aponevrotici inſeruntur.

261. Latitudo horum Muſculorum a media poſteriore Occipitis parte uſque verſus Apophyſes Maſtoïdeas extenditur, eorumque altitudo ea proportione, qua ad easdem Apophyſes accedunt, inaequaliter imminuitur. Inaequalitas eorundem altitudinis ut quibusdam in ſubjectis quilibet duplex quaſi appareat, in cauſa eſt. Quandoque adeo tenues atque adeo pallidi exiſtunt, ut deeſſe videantur. Aponevrotica inſuper Muſculorum Trapeziorum Expanſione contecti reperiuntur.

262. Muſculi Occipitales atque Frontales ratione reciprocarum ipſorum in Aponevrotico Galericulo inſertionum, & ratione ipſorum actionis veri Muſculi Digaſtrici eſſe videntur. Eorundem in Aponevrotico Galericulo Inſertiones ſenſu contrario contingunt, dum alteri exterius, & alteri interius annectuntur, ita ut Aponevroſis pro Tendine intermedio quatuor Muſculorum ex claſſe eorum, qui Simplices appellantur, id eſt, quorum Fibrae carnoſae non niſi uni ipſorum Tendinis lateri annectuntur, haberi poſſit. Quando fixae Occipitalium in inferiore Occipitis parte inſertiones, atque mobiles Frontalium in Cute Frontis & in Superciliis inſertiones cum reciprocis ipſorum in una eademque Aponevroſi inſertionibus bene conſiderantur, itidem Muſculos hoſce Digaſtricos eſſe demonſtrare videntur.

263. Quod

263. Quod quatuor horum Muſculorum uſum attinet, eosdem ſemper conjunctim quaſi agere, Muſculosque Occipitales non niſi Muſculorum Frontalium Auxiliatores ſive Coadjutores eſſe videtur, qui Supercilia attollunt aut ſurſum trahunt, dum rugas plus minusve transverſas in Cute Frontis formant, quarum veſtigia lateralia aliquo modo directionem Superciliorum in quibusdam cum ſpecie ordinis, & in aliis plane non regulariter ſequuntur.

264. Quo de quatuor horum Muſculorum cooperatione certiores reddamur, manus, dum diverſis reiterationibus Supercilia attollimus Frontemque corrugamus, Occipitalibus applicata teneri debet; vellicationem enim, quae cuilibet Superciliorum motui in quibusdam magis, in aliis minus reſpondet, ſentiemus. Imo Occipitales in quibusdam relaxari aut cedere, dum Frontales totum ſua contractione capillamentum cum Galericulo Aponevrotico anteriora verſus movent, Occipitalesque idem poſtmodum retrahere videntur.

265. *Muſculi Superciliares* Faſciculi carnoſi ſunt, retro Supercilia & retro inferiorem Muſculorum Frontalium portionem, a radice Naſi uſque ultra ſequens Arcuum Superciliorum medium ſiti. Ex parte Synarthroſi Oſſium Naſi cum Oſſe Frontali, ubi Muſculis Naſi maxime vicini ſiunt, & ex parte parvae cuidam portioni vicinae Orbitae fortiter annectuntur. Inde mox pauxillum aſcendunt, ſtatimque poſtea Superciliorum directio-

directionem plus minusve ſequuntur. Ex pluribus Fibrarum obliquarum faſciculis, locis quos modo nominavi, uno extremo, & altero extremo partim inferiori Muſculorum, a quibus conteguntur, extremitati & poſtea partim immediate Cuti Supercilia contegenti, annexarum componuntur. Portio haec facillime cum portione Muſculi Orbicularis Palpebrarum confunditur.

266. Eorundem actio in deprimendis Superciliis, in uno Supercilio alteri admovendo, in Cute quae inferiorem Frontis partem ſupra Naſum contegit, mediantibus longitudinalibus & longiter obliquis rugis, imo etiam Cute, quae radici Naſi praeciſe reſpondet, mediantibus rugis non regulariter transverſis corruganda conſiſtit. Actio haec, uti etiam iſta Frontalium cum illa Muſculorum Naſi atque Labiorum non ſemper arbitraria eſt, ſed ſaepiſſime machinalis & fortuita exiſtit. Fortaſſis etiam ad Frontales Muſculos, dum hi Muſculi, quorum Fibrae ambabus extremitatibus mobiles ſunt, quieſcunt, in aequilibrii ſpecie tenendos inſerviunt.

PALPEBRAE, MEMBRANA CONJUNCTIVA.

267. *Palpebrae* Velorum ſive Aulaeorum, transverſim ſupra & infra anteriorem Bulbi Oculi convexitatem ſitorum ſpecies ſunt. In quolibet Oculo duae Palpebrae, una ſuperior & altera inferior dantur. Palpebra ſuperior maxima e duabus in Homine eſt, & quam maxime mobi-

lis exiſtit. Palpebra inferior e duabus minima minimeque mobilis eſt. Duae cujuslibet Oculi Palpebrae in duobus Bulbi lateribus invicem uniuntur. Locis earundem unionis Angulorum nomen imponunt, & iſte qui in latere Naſi eſt, Angulus internus ſive Angulus major, & ille qui in latere Temporum conſpicitur, Angulus externus ſive Angulus minor appellatur.

268. *Structura.* Palpebrae ex partibus communibus & ex partibus propriis componuntur. Partes communes ſunt Cutis, Epidermis, Membrana Celluloſa ſive Adipoſa. Partes propriae ſunt: Muſculi, Tarſi, Cilia, Puncta ſive Foramina Ciliaria, Puncta ſive Foramina Lacrymalia, Caruncula Lacrymalis, Membrana Conjunctiva, Glandula Lacrymalis, tandemque Ligamenta peculiaria Tarſos ſuſtinentia. Inter cunctas haſce Palpebrarum partes Tarſi eorundemque Ligamenta ipſarum baſin quaſi conſtituunt.

269. *Tarſi.* Cartilagines tenues ſunt, quae marginem cujuslibet Palpebrae praecipue formant. Latiores in ſui medio quam in ſuis extremitatibus exiſtunt. Ii Palpebrarum ſuperiorum quinque circiter lineas, & Palpebrae inferiores non niſi duas circiter lineas latitudine adaequant. Eorundem in latere Temporum extremitates iſtis in latere Naſi graciliores & anguſtiores exiſtunt.

270. Hae Cartilagines ſive Tarſi marginibus atque curvaturae Palpebrarum conformes ſunt. Margo inferior Cartilaginis ſive Tarſi ſuperioris, & margo ſuperior Tarſi inferioris aequaliter terminan-

minantur. Ego duobus hiſce marginibus Marginum Ciliarium nomen impono. Ciliaris Tarſi ſuperioris Margo pauxillum inter ſuas extremitates ſemi-circularis eſt; Ciliaris Tarſi inferioris Margo magis uniformis exiſtit. Margines hi tenuiores exiſtunt, quam iſti qui, quando oculi clauſi ſunt, ſeſe tangunt. Internae eorundem Facies, id eſt, iſtae quae Bulbi latus ſpectant, ex parte plurimis parvis ſtriis, de quibus poſtmodum ſermo erit, diſtinguuntur. Superioris Cartilaginis extremitates inferioris Cartilaginis extremitatibus mediantibus ſpeciebus parvorum Ligamentorum adhaerent.

271. *Ligamenta lata Tarſorum.* Proceſſus membranacei per Perioſtii Orbitarii atque Pericranii occurſum juxta marginis ſuperioris atque marginis inferioris utriusque Orbitae longitudinem formati exiſtunt. Superius inferiore latius exiſtit. Superius vicino Cartilaginis ſuperioris margini, atque inferius vicino Cartilaginis ſive Tarſi inferioris margini annectitur; ita ut haec Ligamenta & Tarſi ſoli & absque reliquis partibus Palpebras repraeſentent. Ego primus eadem in Curſibus meis privatis monſtravi.

272. *Membrana Conjunctiva.* Ordinarie in Hiſtoria Tunicarum Bulbi Oculi illius mentio fit. Et ego de eadem mentionem injeci, admonendo, quod illius Expoſitionem cum iſta Palpebrarum tradam. Membrana admodum tenuis eſt, cujus portio quaedam internam Palpebrarum ſuperficiem, aut ut praeciſe magis loquar, inter-

nam Tarſorum eorundemque Ligamentorum latorum ſuperficiem contegit. Verſus Orbitae marginem replicatur, & mediante altera portione ſupra mediam anteriorem Bulbi Oculi partem continuatur, ubi Tunicae Tendineae ſive Albugineae adhaeret. Non niſi itaque una eademque Membrana replicata eſt, quae Palpebras partemque Bulbi Oculi anteriorem inveſtit. Minime Pericranii continuatio eſſe videtur. Cum Ligamentis latis Tarſorum connexionem quandam habet.

273. Communiter iſta tantum portio, quae Bulbum Oculi inveſtit, Conjunctiva vocatur. Altera portio ſimpliciter interna Palpebrae Membrana audit. Una Conjunctiva Oculi, & altera Conjunctiva Palpebrarum appellari poteſt. Iſta Palpebrarum valde adhaeret, ſubtilis exiſtit, atque Capillaribus penitus Sanguiferis Vaſis obſita eſt. A quamplurimis viſum fugientibus Poris perforatur, e quibus continue ſerum exudat; facilique ibidem negotio plures ſenſibiles plicae, de quibus in ſequentibus dicam, deteguntur.

274. Conjunctiva Oculi non niſi mediante Texto Celluloſo, quod eandem laxam & mobilem quaſi reddit, adhaeret. Digitorum apicibus vellicari & a Tendinoſa Tunica per intervalla parumper dimoveri poteſt. Albicans exiſtit, Tendinoſaque Tunica eandem per ſpeciem pelluciditatis penitus albam reddit, ita ut id, quod Album Oculi vocatur, invicem forment. Maxima pars Vaſorum, quibus in magna quantitate obſita eſt,

non

non niſi ſeroſam Sanguinis portionem in naturali ſuo ſtatu vehit, & per conſequens non niſi Injectionibus Anatomicis, inflammationibus, obſtructionibus, &c. oculis ſiſtitur. Membranae hujus ſeparatio apice Scalpelli ſupra Corneam tranſparentem continuari poteſt.

275. *Glandula Lacrymalis* Albicans & ex numero earum eſt, quae Glandulae Conglomeratae vocantur. Infra depreſſionem, quae in Fornice Orbitae verſus latus Temporum conſpicitur, de qua in Tractatu de Oſſibus Siccis (n. 199.) dixi, & lateraliter ſupra Oculi Bulbum ſita eſt. Pauxillum plana exiſtit, & in duos quaſi Lobos, quorum unus in latere inſertionis Muſculi Recti ſuperioris eſt, & alter verſus Muſculum Rectum externum vertitur, diviſa eſt. Pinguedini, quae Muſculos poſterioremque Oculi convexitatem circumdat, fortiter adhaeret. Olim Glandula Innominata vocata fuit.

276. Plures ex hacce Glandula parvi Ductus procedunt, qui in craſſitie Tunicae internae ſive Conjunctivae Palpebrae ſuperioris paralleli fere deſcendunt, Tunicamque introrſum verſus ſuperiorem Tarſi marginem perforant. Ductus hi difficulter admodum deteguntur. Optimum medium eo perveniendi eſt, ut Palpebra aquae frigidae per momenta quaedam immittatur, & poſtquam ex aqua exempta fuit, absque ut abſtergatur, infra ſuperficiem Membranae per parvum Tubum per intervalla, absque ut tangatur, aſt proxime tamen flatus impellatur, quo ventus ſo-

lus orificia horum Tuborum detegat, eosque replendo viſibiles reddat.

277. *Cilia.* Cujuslibet Palpebrae integrae Margines a Margine Tarſi & a Membranae internae cum Cute atque Epidermide occurſu formantur. Margo hic parva latitudine plana duas aut tres lineas ab interno Palpebrarum Angulo uſque ad externum Angulum diſtante gaudet, verſus quem latitudo imminuitur. Latitudo haec, quae non niſi complanata Palpebrarum craſſities eſt, oblique ſciſſa eſt, ita ut, quando duae Palpebrae ſeſe leviter tangunt, triangularem, cum ſuperficie Bulbi Oculi Canalem forment.

278. Complanatus cujuslibet Palpebrae Margo ſerie Pilorum, qui Cilia audiunt, dotatur. Illi Palpebrae ſuperioris ſurſum incurvantur, iſtisque Palpebrae inferioris, qui deorſum incurvantur, longiores exiſtunt. Series in latere Cutis ſunt. Non ſimplices ſed plus minusve inaequaliter duplices & triplices exiſtunt. Pili longiores verſus medium Palpebrarum habito reſpectu quam verſus extremitates ſunt, nullique ordinarie in indicata Anguli interni diſtantia reperiuntur.

279. *Glandulae Ciliares.* Series parvorum Foraminum, quae Foramina ſive Puncta Ciliaria vocari poſſunt, juxta ejusdem marginis Palpebrarum longitudinem verſus Membranam internam aut in latere Oculi reperitur. Totidem parvarum longiuſcularum Glandularum, in internae Tarſorum faciei ſtriis, ſulcis ſive ſtrigibus ſitarum orificia exiſtunt. Parvae hae Glandulae Ciliares albicantes

bicantes ſunt, & quando ſimplicis Microſcopii ope examinantur, inſtar parvorum racemorum plurium invicem communicantium granorum apparent. Quando inter duos ungues comprimuntur, Sebacea inſtar ſpeciei cerae molliuſculae materia e Punctis Ciliaribus exit.

280. *Puncta Lacrymalia.* Verſus magnum Angulum ſive internum Palpebrarum Angulum plana ipſarum marginum portio in rotundum magis, magisque tenuem marginem deſinit. Duo margines rotundi occurſu ſuo, non quidem verum in apicem deſinentem angulum, ſed anguli rotundi ſpeciem formant, qui tamen minime Angulus obtuſus ob ambiguitatem, quae exinde ſecundum receptum Mathematicorum loquendi modum exurgere poſſet, vocari poteſt. Unde etiam magni Anguli nomen improprie admodum hic adhibetur: melius eſt iſto Anguli interni ſive Anguli Naſalis uti.

281. Extremitas portionis planae hoc in loco a portione rotunda per parvam Extuberationem inſtar Papillae diſtinguitur, quae parvo foramine in craſſitie marginis cujuslibet Palpebrae oblique perforatur. Duo haec parva foramina admodum, & quidem ſaepiſſime in viventibus magis quam in defunctis viſibilia ſunt. Communiter Puncta Lacrymalia appellantur. Duorum parvorum Ductuum orificia ſunt, quae ultra Oculi Angulum in Receptaculum peculiare, quod Saccus Lacrymalis dicitur, hiant, de quo in Deſcriptione Naſi ſermonem inſtituemus.

282. Puncta Lacrymalia ſibi invicem e regione oppoſita ſunt, ita ut ſibi, quando Oculus clauſus eſt, occurrant. Parvus circum utriusque horum Punctorum orificium circulus albicans reperitur, qui cartilaginoſa Tarſi Appendix eſſe videtur, quique orificium ſemper apertum ſervat. Diſpoſitio horum duorum obliquorum circulorum talis eſt, ut, quando Oculus leviter tantum clauſus eſt, in latere Cutis ſolummodo, minime vero in latere Bulbi Oculi, ſeſe tangant. Subtilis, quae circulos hos contegit, quaeque per Puncta in Ductus uſque ſeſe inſinuat, Membrana interdum, quando apice ſtili tangitur, corrugari videtur. Dominus de Saint Yves Chirurgus Ocularius Pariſinus primus hancce Obſervationem fecit.

283. *Caruncula Lacrymalis.* Nomen hoc parvae rubicundae, granoſae atque oblongae, praeciſe inter internum Palpebrarum angulum atque Bulbum Oculi ſitae Maſſae imponitur. Non carnoſum corpus, quemadmodum nomen indicat, exiſtit. Quando per Microſcopium ſimplex ſpectatur, fere uti Glandulae, quae Conglomeratae appellantur, tota glanduloſa eſſe videtur. Quamplurimi ibidem parvi ſubtiles pili deteguntur, qui ab oleoſa quadam plus minusve flava materia inducti eſſe videntur. Semilunaris in Bulbo Oculi ad latus hujus parvi Glanduloſi Corporis plica conſpicitur, quae a Conjunctiva inſtar Lunae creſcentis, cujus concavitas Uveam, & convexitas Naſum reſpicit, formatur. Plica haec, quando Oculus verſus Naſum vertitur, quam maxime apparet.

MUSCULI PALPEBRARUM.

284. Duo ordinarie eorundem numerantur, unus Palpebrae ſuperiori proprius ſive peculiaris, Muſculus Elevator hujus Palpebrae dictus; & unus duabus Palpebris communis, Muſculus Orbicularis Palpebrarum vocatus, qui diverſimode, quemadmodum videbimus, ſubdividitur.

285. *Elevator Proprius.* Muſculus admodum tenuis eſt, in Orbita ſupra & juxta totam Muſculi Elevatoris Bulbi Oculi longitudinem ſitus, Prope Foramen Opticum fundo Orbitae, inter poſteriores Muſculi Elevatoris Bulbi atque Muſculi Trochleatoris ſive Obliqui ſuperioris inſertiones, mediante parvo admodum anguſto Tendine annectitur. Inde Fibrae carnoſae antrorſum ſupra Muſculum Elevatorem Bulbi ſeſe magis magisque expandendo procedunt, ac in Tarſo Palpebrae ſuperioris mediante Aponevroſis admodum latae ſpecie finiuntur.

286. *Muſculus Orbicularis.* Ita tota extenſio Fibrarum carnoſarum, quae mediante ſtrato admodum tenui circumferentiam marginis utriusque Orbitae circumdant, indeque absque interruptione duas Palpebras ad Cilia uſque penitus contegunt, in genere vocatur. Fibrae quae marginem Orbitae comitantur, fere orbiculares ſunt. Circumferentia maximae partis earum, quae Palpebras contegunt, transverſim ovalis exiſtit.

287. Omnes fere Tendine communi, transverſim inter internum Oculi Angulum atque Naſalem Oſſis Maxillaris Apophyſin ſito gaudent. Tendo hic

gracilis eſt, atque ligamentoſus eſſe videtur: in ſua in Oſſe inſertione admodum robuſtus exiſtit, & ea proportione qua ad Angulum Palpebrarum accedit, ubi in apicum ſive extremitatum utriusque Tarſi unione finitur, imminuitur. Fibrae carnoſae ibidem anterius, ita ut albam tantum ab initio lineam repraeſentet, annectuntur.

288. Inde quaedam harum Fibrarum ſurſum, quaedam deorſum ſe conferunt, omnesque ſibi in anguli externi latere obviam fiunt, ubi mediante peculiari, atque difficulter admodum evolvenda implicatione invicem uniuntur. Quando haecce Muſculi portio invertitur, poſteriorque ipſius ſuperficies examinatur, parva ibidem tendinoſa admodum tenuis Faſcia conſpicitur, quae Fibras carnoſas tranſit, easque ab unione duorum Tarſorum uſque ſupra Temporalem Orbitae marginem, ubi obliteratur, dividit; ita ut Fibrae, quae ultra eandem ſunt, hoc in loco magnam Muſculi circumferentiam continuare videantur.

289. Ego Muſculum hunc in quatuor portiones divido. Prima illa eſt, quae Orbitam circumdat, nec verſus Tempora interrupta eſſe videtur. Portio haec mediante ſua verſus ſuperiora inflexione inter Supercilia atque inferiorem Muſculi Frontalis partem, cui fortiter adhaeret, locatur. Secunda portio illa eſt, quae ſuperius inter ſuperiorem Orbitae marginem atque Bulbum Oculi conſpicitur, & inferius inferiorem Orbitae marginem contegit. Quaedam ejusdem portionis Fibrae margini Orbitae ſuperius & inferius annectuntur.

ctuntur. Riolanus portionem hanc in duas ſemicirculares, unam ſuperiorem & alteram inferiorem diviſit. Superior inter Muſculum Superciliarem atque inferiorem Muſculi Frontalis partem, ambobus multum adhaerendo repit.

290. Tertia portio ſpecialius ad Palpebras pertinere videtur, ſuperiorique Palpebrae quoad maximam partem impenditur. Fibrae hujus portionis in duobus Oculi angulis ſibi obviam fiunt, ac in hiſce locis anguſtas tantum, absque ut ibidem interrumpantur, inflexiones facere videntur; quando vero in latere, quod Bulbum Oculi reſpicit, examinantur, quibusdam in ſubjectis in ſuperiores & in inferiores quaſi diſtinctae viſae fuere. Maxima harum Fibrarum pars transverſim ovalem circumferentiam cujus parvus diameter in Oculis apertis latior quam in Oculis clauſis exiſtit, invicem formant.

291. Quarta portio non niſi tertiae continuatio eſt. In hoc ab eadem differt, quod Fibrae non ad angulos excurrant, nec niſi parvos arcus, quorum extremitates in margine cujuslibet Palpebrae finiuntur, forment. Portio haec revera in duas, unam pro margine Palpebrae ſuperioris, alteram pro margine Palpebrae inferioris dividitur. Riolanus hancce portionem Muſculum Ciliarem appellavit.

292. Cunctae hae diverſae Muſculi Orbicularis Portiones Cuti adhaerent, a qua a ſuperiore Naſi parte ad Tempora uſque, & a Supercilio uſque ad ſuperiorem Malae partem conteguntur.

Plures

Plures in hacce cute contractione ſua plicas ſecundum diverſitatem directionis Fibrarum admodum diverſas formant. Circum Angulum Temporalem radiatae quaſi exiſtunt. Paucae inter Supercilium atque Palpebram ſuperiorem reperiuntur. Infra Palpebram inferiorem plures adſunt, quae oblique admodum ab anteriori retrorſum deſcendunt.

293. Cutis Palpebrae ſuperioris inſtar arcuum directioni ipſius Fibrarum ſemi-ovalium fere parallela plicatur, iſtasque Muſculi Elevatoris decuſſant; cum reliquae e contrario plicae Orbiculares tantum Fibras decuſſent. Radiatae & obliquae Plicae in juventute absque primae atque ſecundae Muſculi Orbicularis portionis actione, non facile apparent. Earundem veſtigia etiam absque hacce actione proceſſu aetatis in conſpectum prodeunt.

294. Superior Palpebra in Homine multo majori motu quam inferior Palpebra gaudet. Parvae nictationes ſimplices, quae ab uno momento in alterum in quibusdam magis, in aliis minus contingunt, in Palpebra ſuperiore mediantibus Elevatore proprio atque Palpebrali ſuperiore Muſculi Orbicularis portione alternatim abſolvuntur. Alternatim quoque, ac eodem tempore mediante inferiore Muſculi Orbicularis Palpebrali portione, aſt parum admodum ob parvum Fibrarum Palpebralium inferiorum numerum in inferiori Palpebra fiunt.

295. Leves hi motus, iſte inprimis Palpebrae ſuperioris non adeo facile ſecundum veram ſtructuram

ctura m explicari poſſunt. Motus, quibus Palpebrae penitus corrugantur, quosque ordinarie inſtituimus, quo alterutrum Oculum bene clauſum teneamus, dum altero interim fixi cernimus, clare admodum per ſimplicem omnium Muſculi Orbicularis portionum contractionem explicari poſſunt. Ultimi hi motus Supercilia quoque deprimunt, ita ut Supercilia tribus diverſis modis, ſurſum ſcilicet mediantibus Muſculis Frontalibus, deorſum Muſculorum Orbicularium ope, & antrorſum auxiliantibus Muſculis Superciliaribus moveri queant. Difficultates hic examinare inutile erit, alibi de iiſdem dicam.

VASA OCULI, PARTIUMQUE AD ILLUM PERTINENTIUM.

296. Arteria Carotis externa, mediante Arteria Maxillari externa ſive Angulari, Arteria Temporali atque Arteria Frontali Tegumentis, quae Oculum circumdant, cunctisque Muſculi Orbicularis portionibus plures Ramuſculos largitur, qui Ramuſculi cum iſtis, qui in Conjunctiva Palpebrarum Membrana & in Caruncula diſtribuuntur, communicationem alunt.

297. Eadem Carotis externa mediante Ramo, qui Arteria Maxillaris interna dicitur, notabilem in Orbitam per Rimam Orbitariam inferiorem ſive Rimam Spheno-Maxillarem Ramulum ablegat, qui ibidem in Perioſtio Orbitae, in Muſculis Bulbi Oculi, in Elevatore proprio Palpebrae ſuperioris, in Pinguedine, in Glandula Lacrymali, in

in Membrana Conjunctiva Bulbi Oculi & in iſta Palpebrarum, in Caruncula &c. diſtribuitur. Cum interna Carotide communicationes inſtituit. Arteriola quaedam quae per parvum Foramen Orbitarium internum poſterius ad Ethmoidales Naſi Cellulas ſe confert, inde abſcedit.

298. Poſtquam Arteria Carotis interna in Cranium intravit, parvos Ramulos emittit, qui Nervum Opticum atque Nervos, qui per Rimam Spheno-Maxillarem excurrunt, comitantur. Unus ex parvis hiſce Ramulis Arterioſis in craſſitiem Nervi Optici ſe inſinuat, parvasque iſtas ſuper Retina Arteriolas, quae diſtincte admodum in internis hujus Membranae parietibus conſpiciuntur, producit. Reliqui parvis Carotidis externae Ramuſculis, de quibus modo dixi, occurrunt; per craſſitiem partis poſterioris Scleroticae penetrant,& poſtquam in hacce craſſitie parvum iter magis verſus anteriora fecere, eandem interius in quatuor aut quinque locis, in aequali circiter inter Nervum Opticum atque Pupillam diſtantia perforant.

299. Poſtquam parvi Arterioſi Ramuli Scleroticam in quatuor aut quinque locis perforarunt, ſtatim poſtea per totidem loca externam Choroïdeae Laminam perforant, ac inter hancce Laminam atque internam Laminam Vaſa Vorticoſa ſive Vortices Vaſculoſos Stenonis, uti etiam Stellas Vaſculoſas Laminae internae Choroïdeae, de quibus in ipſius Deſcriptione dixi, formant. Parva quoque Fila Vaſculoſa Membranae Vitreae valde adhae-

adhaerentia conſpiciuntur. Antequam iidem hi parvi Arterioſi Ramuli Vortices formant, Arteriolas recta fere ad circumferentiam Uveae mittunt, quae circuli Vaſculoſi ſpeciem in ipſius craſſitie formant, ex quo Capillares ad Membranam Cryſtallinam uſque tendunt, quae Capillares in Infantibus recens natis facile injiciuntur.

300. Venae omnium harum partium Arteriis fere reſpondent. Internae partim in Venam Jugularem internam mediantibus Sinubus Orbitariis, Sinubus Cavernoſis atque Sinubus Petroſis; partim in Venam Jugularem externam mediante Vena Maxillari externa ſive Angulari, Vena Maxillari interna, Vena Temporali &c. ſe exonerant.

301. Praeter Vaſa Capillaria, quae ope rubedinis Sanguinis evidenter diſtinguuntur, plura dantur, quae, dum non niſi ſeroſae atque lymphaticae Sanguinis portioni tranſitum concedunt, in ſtatu naturali non apparent. Non niſi inflammationes atque injectiones eadem quibusdam in locis viſui ſiſtunt; exempli gratia, in Membrana Conjunctiva Bulbi Oculi. Ordinarie non ubique, inprimis ſuperata infantia, hiſce mediis deteguntur. Injectiones ſubtiliſſimae in Foetu atque in recens natis quandoque ſuccedunt, ibique Membranae Cryſtallinae atque Membranae Vitreae Vaſa conſpicienda praebent. Hae injectiones in Foetu ſex circiter menſium per portionem Maſſae Cryſtallini atque Humoris Vitrei penetraſſe mihi viſae fuerunt.

NERVI

NERVI OCULI PARTIUMQUE AD ILLUM PERTINENTIUM.

302. Hic ſpeciem repetitionis illuſtratae eorum, quae in Tractatu de Nervis de iisdem dixi, tradam. Bulbus Oculi praeter Opticum Nervum, cujus Expoſitionem ſupra dedi, pluribus parvis peculiaribus Nervis, qui in utroque latere circum & juxta longitudinem Nervi Optici, ab ipſius in Orbitam introitu uſque ad ipſius in Bulbum inſertionem repunt, dotatur. Nervea haec Fila praecipue a parvo Ganglio lenticulari, a brevibus admodum Rami Orbitarii ſive Ophthalmici quinti Paris Ramulis, atque a Ramo Nervi tertii Paris ſive Nervi Motoris communis Oculorum formato veniunt.

303. Poſtquam Nervea haec parvi lenticularis Ganglii Fila ad Bulbum Oculi pervenerunt, dividuntur atque quinque aut ſex conſtituunt, quae circum Nervum Opticum a ſe invicem diſcedunt, moxque in Scleroticae ſive Corneae Opacae craſſitiem penetrant, quam paulo poſt introrſum perforant, deinque per intervalla plus minusve aequalia inter Scleroticam atque Choroïdeam uſque verſus Uveam repunt. Quodlibet hic in plura brevia Fila dividitur, quae in craſſitie Uveae finiuntur. Parvos hos Nervos, qui a poſteriori antrorſum inter Scleroticam atque Choroïdeam repunt, exercitatiſſimi olim Anatomici pro Ligamentis peculiaribus habuerunt.

304. Nervi, qui ad reliquas cum Oculo relationem habentes partes tendunt, tertii, quarti, ſexti atque

atque duorum priorum quinti Paris Medullae Oblongatae Ramorum ſoboles ſunt. Dura quoque ſeptimi Paris portio iisdem proſpicit. Tertium, quartum atque ſextum Muſculis Bulbi Oculi Nervos largiuntur. Duo Rami quinti, & portio Dura ſeptimi nonſolum reliquis Bulbum circumdantibus partibus, ſed etiam Muſculis Frontalibus internisque Naſi partibus proſpiciunt.

305. Poſtquam Truncus tertii Paris, ſive Nervus Motor communis per Rimam Orbitariam ſuperiorem ſive Rimam Sphenoïdalem in Orbitam intravit, quatuor Ramos generat. Primus ſurſum tendit, atque in duos, unum pro Muſculo ſuperiore Bulbi, & unum pro Muſculo Elevatore Palpebrae ſuperioris, dividitur. Truncus iter ſuum continuat, atque ſecundum Ramum ſubminiſtrat, qui brevis eſt, ſeſeque ad Muſculum inferiorem ſive Depreſſorem Bulbi confert. Tertius Ramus longus eſt, atque Obliquum parvum ſive Obliquum inferiorem petit; hic ipſe eſt, qui ad parvi lenticularis Ganglii, de quo dixi, formationem contribuit. Quartus Ramus craſſus eſt, atque ad internum Bulbi Muſculum tendit.

306. Primus Ramus quinti Paris, qui Ramus communiter Nervus Ophthalmicus vocatur, in introitu in Orbitam in tres Ramulos & quandoque ſtatim in duos dividitur, quorum unus poſtea ſubdividitur. Ex hiſce tribus Ramulis unus ſuperior eſt, quem Nervum Superciliarem vocavi; unus internus, quem Naſalem appellavi, & unus externus, cui, ad ambiguitatem praecavendam,

 nomen

nomen Temporalis melius quam illud Lacrymalis convenit.

307. Ramulus ſuperior ſive Superciliaris juxta totam Perioſtii Orbitae longitudinem excurrit, & poſtquam per Foramen Superciliare ſive Superciliarem Oſſis Frontalis Inciſuram tranſiit, in Muſculo Frontali, in Muſculo Superciliari & in ſuperiore Muſculi Orbicularis Palpebrarum portione diſtribuitur. Cum Ramulo portionis Durae ſeptimi Paris communicationem alit.

308. Internus ſive Naſalis Ramulus infra Nervi tertii Paris in Ramuſculos diviſionem excurrit, verſus latus Naſi tendit, in parte vicina Orbicularis, in Caruncula, &c. & in Naſo diſtribuitur. Ramulus hic Filum ablegat, quod per Foramen Orbitarium internum anterius excurrit, in Cranium redit, poſtea ſtatim per unum ex Foraminibus Laminae Ethmoïdalis ex eodem iterum egreditur, & ſupra internas Naſi partes deſcendit. Eundem hunc Ramulum Naſalem per arcum peculiarem cum Ramulo Superciliari, antequam Foramen Orbitarium tranſeat, communicationem alere vidi.

309. Externus ſive Temporalis Ramulus, qui quandoque Ramuli Superciliaris diviſio eſt, in Glandula Lacrymali diſtribuitur. Filum in tranſitu ablegat, quod Orbitariam Oſſis Malae Apophyſin perforat.

310. Secundus Ramus quinti Paris, cui Ramo nomen Nervi Maxillaris ſuperioris imponitur, Ramulum producit, qui Canalem Oſſeum partis

partis inferioris Orbitae tranſit, & poſtquam ex eodem per Foramen Orbitarium anterius inferius exiit, in vicina Muſculi Orbicularis Palpebrarum portione diſtribuitur. Ibidem cum Ramulo portionis durae communicat. Nullam hic reliquarum diſtributionum hujus Ramuli Nervi Maxillaris inferioris mentionem injicio.

311. Dura ſeptimi Paris ſive Nervi Auditorii portio, quam portionem parvum Nervum Sympathicum vocavi, ſuperiori, inferiori atque laterali externae Muſculi Orbitarii parti Ramulos largitur, quorum unus cum Nervo Superciliari, atque alius cum Nervo Infra-Orbitario, quemadmodum modo dixi, communicationem alit. Videatur Tractatus de Nervis.

OCULI PARTIUMQUE AD ILLUM PERTINENTIUM USUS IN GENERE.

312. Oculum Viſus Organum eſſe omnibus conſtat. Pellucidae Bulbi partes radios lucis mediantibus diverſis refractionibus modificantur. Retina atque Choroïdea eorundem impreſſiones excipiunt. Nervus Opticus impreſſiones has ad Cerebrum defert. Pupilla, quando objecta diſtant, & in tenebris dilatatur; quando objecta vicina ſunt, & in claritate coarctatur. Muſculi Bulbi atque iſti Palpebrarum motus, quos ſupra expoſui, efficiunt.

313. Glandula Lacrymalis anteriorem Bulbi partem continue humectat. Palpebrae ſuperioris nictatio ſerum Lacrymale expandit, idque eo magis cum

 interius

interius villoſa quaſi exiſtat. Occurſus duarum Palpebrarum ſerum hocce verſus Puncta Lacrymalia dirigit. Unguen Foraminum Ciliarium, ne inter duas Palpebras evadat, impedit. Caruncula maſſa ſua atque unguine ſuo in cauſa eſt, ne ſupra Puncta Lacrymalia tranſeat, illudque, ut ita dicam, cogit, ut in eadem fluat.

314. Supercilia ſudorem aliquo modo deflectere poſſunt, ne in Oculum cadat. Cilia ſuperiora inferioribus longiora eodem hocce uſu gaudere poſſunt. Inſuper, uti Cilia inferiora, ne pulvis, inſecta, &c. in Oculos intrent, dum iidem ſemi-aperti tantum tenentur, impedire poſſunt.

NASUS.

315. *Diviſio.* Partes e quibus Naſus componitur, duobus modis dividi poſſunt: ſcilicet, ſecundum earundem ſitum, in partes externas & in partes internas; ſecundum earundem ſtructuram, in partes firmas & in partes molles.

316. Partes externae ſunt, Radix Naſi, Fornix, Dorſum ſive Spina Naſi, latera Naſi ſive Fornicis, apex Naſi, Alae ſive Pinnae, Nares externae, Columen.

317. Partes internae ſunt, Nares internae, Septum Naſi, Anfractus, Conchae ſuperiores, Conchae inferiores, Nares poſteriores, ſive aperturae poſteriores Narium internarum, Sinus Frontales, Sinus Maxillares, Sinus Sphenoïdales, Ductus Lacrymales, Ductus Palatini.

318. Partes firmae quoad maximam partem oſſeae ſunt, danturque etiam cartilaginoſae, Os ſcilicet Frontale, Os Ethmoïdes, Os Sphenoïdes, Oſſa Maxillaria, Oſſa Propria Naſi, Oſſa Unguis, Oſſa Palati, Vomer, Conchae inferiores, Cartilagines. Hiſce Perioſtium atque Perichondrium, tanquam acceſſoriae Oſſium atque Cartilaginum partes adduntur.

319. Partes molles ſunt Tegumenta, Muſculi, Saccus Lacrymalis, Membrana Pituitaria, Vaſa, Nervi, Pili Narium. Oſſeae partes fuſe admodum in Tractatu de Oſſibus expoſitae fuerunt. Interim neceſſarium duco, ut Oſſium horum diſtributionem atque diſpoſitionem pro propria quarundam e partibus primariis formatione hic indicem. Septum a deſcendente Oſſis Ethmoïdis Lamina & a Vomere formatur, atque Eminentiae ſive Striae a Criſtis Oſſium Maxillarium & a limbis Oſſium Palati formatae, de qua in allegato Tractatu, (n. 279. 317.) dixi, imponitur. Oſſeum Naſi Dorſum ab Oſſibus propriis formatur. Latera a ſuperioribus ſive Naſalibus Oſſium Maxillarium Apophyſibus effinguntur.

320. Nares internae, ſive duae Cavitates Naſi, totum ſpatium, quod inter Nares externas atque Nares poſteriores, immediate ſupra Fornicem Palati eſt, comprehendunt, unde hae Cavitates ſurſum uſque ad Cribroſam Oſſis Ethmoïdis Laminam extenduntur, ubi anterius cum Sinubus Frontalibus, & poſterius cum Sinubus Sphenoï-

dalibus communicationem alunt. Lateraliter Cavitates hae in latere interno a Septo Naſi, & in latere externo, id eſt, in latere Malarum, a Conchis limitantur, inter quas cum Sinubus Maxillaribus communicationem alunt.

321. Specialis harum Cavitatum ſitus obſervari meretur. Earundem fundus directe ab anteriori retrorſum excurrit; ita ut ſtilus rectus atque mediocris craſſitiei facillime in recta linea ab apice Naſi uſque infra magnam Oſſis Occipitalis Apophyſin transmitti poſſit. Aperturae Sinuum Maxillarium e regione fere marginis ſuperioris Oſſis Malae ſunt. Sinuum Frontalium Aperturae magis minusve e regione & inter Trochleas ſive Annulos Muſculorum Trochleatorum ſunt. Ope harum notarum facile de reliquo judicare poterimus.

322. Inferior Naſi externi portio e pluribus Cartilaginibus componitur, inter quas quinque communiter ordinariae atque figurae admodum regularis adſunt, dum reliquae non niſi acceſſoriae quaſi, minores, minus regulares, atque numeri his minus determinati exiſtunt. E quinque ordinariis una intermedia & quatuor laterales ſunt. Media omnium primaria, reliquarumque fulcrum eſt. Immediate Oſſeis Naſi partibus adhaeret. Reliquae primariae huic Cartilagini, ac inter ſe ipſas mediantibus Ligamentis annectuntur.

323. Primaria haec ſive magna Naſi Cartilago in tres partes, unam mediam duasque laterales dividitur. Pars media Lamina Cartilaginoſa admodum

modum lata, per ſpeciem Symphyſis anteriori Laminae mediae Oſſis Ethmoïdis margini, anteriori Oſſis Vomeris margini, atque anteriori Eminentiae ſive Striae Oſſium Maxillarium parti uſque ad Naſalem horum Oſſium Spinam, & uſque ad apicem Columinis juncta exiſtit, Septum Naſi finit, primariamque fere ipſius portionem conſtituit.

324. Partes laterales obliquae, anguſtae, ceteroque lateralibus Fornicis oſſei partibus conformes ſunt. Juxta totam averſae earundem unionis longitudinem, in Lamina Cartilaginoſa Strix admodum ſuperficialis conſpicitur, quae, ut quandoque tanquam duae portiones a ſe invicem diſtinctae & a Lamina ſeparatae appareant, efficit, cum qua nihilominus unicam tantum continuam portionem conſtituunt. Strix ſuperficialis inferius in parvam admodum Criſtam deſinit.

325. Cartilagines laterales in quolibet portionis inferioris Laminae Cartilaginoſae latere duae ſunt, una anterior & altera poſterior. Duae anteriores verſus anteriora admodum incurvantur, ipſarumque curvaturae occurſu Apicem Naſi conſtituunt. Parvum intervallum extremitatum incurvatarum harum duarum Cartilaginum ſpecie Texti pinguis ordinarie repletur. Duae Cartilagines poſteriores Alas Narium formant. Hae Cartilagines mediocriter latae ſunt, nec figura determinata gaudent.

326. Spatia quae inter quaſdam Cartilaginum anteriorum atque Cartilaginum poſteriorum por-

tiones, ea quae inter Cartilagines poſteriores vicinasque Oſſium Maxillarium partes, tandemque ea quae inter has quatuor Cartilagines laterales atque magnam ſive primariam Cartilaginem reperiuntur, ſpatia haec, inquam, in diverſis ſubjectis variant, parvisque portionibus Cartilaginoſis, inſtar ſpecierum Cartilaginum acceſſoriarum, quarum numerus, volumen atque figura itidem uti ſpatia variant, replentur.

327. Columen Columna pinguis margini inferiori Septi Cartilaginoſi Narium, inſtar ſpeciei Appendicis mollis & mobilis applicata, exiſtit. Peculiaris Alarum ſive Pinnarum Narium craſſities, iſtaque marginis inferioris harum Alarum ſive Pinnarum minime a Cartilaginibus, quae admodum tenues exiſtunt, dependet, ſed ab eadem Pinguedinis firmae ſpecie, qua Cartilagines obducuntur, dependet. Magna Cartilago ob intimam ſuam in oſſeis Naſi partibus annexionem immobilis exiſtit. Cartilagines laterales ob Ligamentoſam ipſarum connexionem mobiles ſunt, atque mediantibus peculiaribus Muſculis, qui ibidem inſeruntur, diverſimode moveri poſſunt.

328. Totus hicce Structurae externae Naſi apparatus a Tegumentis ordinariis, Cute ſcilicet, Epidermide, & a Pinguedine contegitur. Iſta quae apicem Naſi atque Alas ſive Pinnas Narium contegit, quamplura in craſſitie ſua parva grana glanduloſa continet, quae Glandulae Sebaceae Domini Morgagni ſunt, e quibus materia haec facili negotio easdem inter apices unguium preſ-

ſando

ſando exprimitur. Omnes hae Oſſeae ſive Cartilaginoſae partes ſuo quoque Perioſtio ſuoque Perichondrio inſtruuntur.

329. *Muſculi.* Communiter ſex tantum numerantur; ſcilicet duo recti, Pyramidales ſive Triangulares dicti; duo obliqui ſive laterales; & duo Transverſi ſive Myrtiformes. Supernumerarii adhuc atque parvi acceſſorii, inprimis in multum carnoſis ſubjectis reperiuntur. Certi quoque iisdem motus mediantibus Muſculis Labiorum, qui in plurimis caſibus auxiliatores atque cooperatores Muſculorum propriorum Naſi fiunt, conciliari poſſunt.

330. Muſculus Pyramidalis ſive anterior cujuslibet lateris uno extremo Synarthroſi Oſſium propriorum Naſi cum Oſſe Frontali annectitur, ubi carnoſae ipſius Fibrae cum carnoſis Muſculorum Frontalium atque Muſculorum Superciliarium Fibris implicantur. Admodum planus eſt, atque in latere Naſi proportionatus parumper latior evadens deſcendit. Poſtmodum parumper inferius in Aponevroſin, quae pyramidis baſin in magnis Naſis refert, deſinit, & mediante hacce Aponevroſi Cartilagini mobili, quae Alam Naris ejusdem lateris format, annectitur.

331. Muſculus Obliquus ſive Lateralis Planum carnoſum admodum tenue eſt, ad latus & fere juxta longitudinem anterioris ſitum, cum quo quibusdam in ſubjectis adeo arcte unitus eſſe videtur, ut ambo pro unico Muſculo, inferius admodum lato haberentur. Id quod ſine dubio,

ut Muſculus anterior Muſculus Triangularis appellaretur, anſam ſubminiſtravit. Muſculus hicce lateralis ſuperiore ſua extremitate Naſali Oſſis Maxillaris Apophyſi, infra ipſius cum Oſſe Frontali connexionem, & quandoque parumper inferius magis quam medium marginis interni Orbitae annectitur. Inde verſus Alam Naris ejusdem lateris ſe confert, atque Cartilagini mobili prope Os Maxillare annectitur, ubi lateraliter a Muſculi quam maxime vicini Labii ſuperioris portione contegitur, & quibusdam in ſubjectis cum eodem hocce Muſculo Labiali confundi videtur.

332. Muſculus Transverſalis ſive inferior, Muſculus Myrtiformis quoque dictus, uno extremo Oſſi Maxillari, prope marginem inferiorem Orbitae, in loco circiter, qui extremitati Alveoli Dentis Canini ſive Angularis ejusdem lateris reſpondet, annectitur. Inde tranſverſim fere per trajectum obliquum ab inferiori ſurſum fertur, atque lateralibus ejusdem lateris Naſi Cartilaginibus annectitur, ſupra quas quibusdam in ſubjectis ſupra Alas magnae Cartilaginis excurrere iisque annecti videtur.

333. Duo priora horum trium Parium Muſculorum Alas Narium ſua contractione attollunt, easdemque per conſequens dilatant. Labium ſuperius eodem tempore ob Muſculorum lateralium cum Muſculis hujus Labii connexionem aſcendere faciunt. Obliquas inſuper ſua actione rugas in Cute quae latera Naſi obducit formant.

334. *Membrana Pituitaria.* Ita in genere Membrana

brana quae Nares internas, Anfractus Celluloſos, Conchas ſive Buccina, Parietes Septi Naſi absque interruptione, atque mediante eadem continuitate non interrupta totam internam Sinuum Frontalium, Maxillarium, Ductuum Lacrymalium, Ductuum Palatinorum atque Sphenoïdalium ſuperficiem inveſtit, vocatur. Ultra Nares poſteriores adhuc ſupra Pharyngem, ſupra Septum Palati &c. quemadmodum in ſequentibus videbimus, continuatur.

335. Pituitaria appellatur, quoniam maxima extenſionis ſuae pars ad lympham muculentam, quam Veteres Pituitam vocarunt, quaeque in ſtatu naturali ordinarie mediocriter fluida eſt, in alio enim ſtatu aut glutinoſa atque mucoſa, aut limpida & absque conſiſtentia, aut alio modo mutata exiſtit, a Sanguine Arterioſo, qui in eadem diſtribuitur, ſeparandam inſervit. Aſt non in tota Membranae extenſione aequaliter ſuppeditatur.

336. Quando haec Membrana cum diligentia examinatur, diverſa in diverſis ſuis portionibus ſtructura gaudere videtur. Verſus marginem Narium externarum admodum tenuis exiſtit, ibique inſtar Texti degenerati Cutis atque Epidermidis apparet. In reliquo ſuae extenſionis in genere ſpongioſa quaſi & plus minusve craſſa eſt. In Parietibus Septi Naſi, juxta longitudinem totius inferioris Narium internarum trajectus & circum Conchas ſive Buccina craſſior apparet. Si parvum foramen craſſitiei Membranae apice Scalpelli infligitur, ibique aër inflatur, ventus Textum Celluloſum

luloſum admodum extenſum ibidem deteget. In Sinubus tenerior eſſe videtur.

337. In Perioſtii atque Perichondrii, quae eandem comitantur, latere quamplurimis parvis Granis glanduloſis obſita eſt. Excretorii horum Granorum Ductus circum Septum Naſi admodum longi ſunt, eorumque orificia ibidem admodum ſenſibilia exiſtunt. Imo quando mediante Tubo orificia tantum afflantur, ventus in eosdem propelli, Ductusque hocce modo fere in tota ſua extenſione viſibiles reddi poſſunt. Aſt, ut partes hae antea in aqua tepida bene mundentur atque laventur, opus eſt.

338. Iisdem in locis ſpecies Holoſerici Villoſi ſubtiliſſimi magis quam alibi detegitur, aſt non niſi in portionibus aquae admodum clarae, eo modo, quem alibi indicavi & quo ſpatio plus quam viginti annorum in Curſibus meis Anatomicis ſemper uſus ſum, immiſſis atque examinatis apparet. Riolanus huncce modum in parvorum Foetuum examine adhibebat.

339. *Sinus.* Frontales, Sphenoïdales atque Maxillares omnes verſus Nares internas, aſt diverſimode aperiuntur. Frontales a ſuperiori deorſum hiant, atque peculiaribus Oſſis Ethmoïdis Infundibulis, de quibus in Tractatu de Oſſibus Siccis dixi, reſpondent. Sphenoïdales antrorſum e regione Narium poſteriorum aperiuntur; & Maxillares parumper altius inter duas Conchas ſive Buccina aperiuntur. Frontales itaque, quando erecti ſtamus aut ſedemus, & Sphenoïdales

dales, quando caput antrorſum inclinamus, facilius deplentur.

340. Sinus Maxillares in nullo ſitu penitus & ambo ſimul evacuari poſſunt. Eorundem apertura quae in quibusdam ſimplex, & in aliis duplex &c. exiſtit, praeciſe inter duas Conchas cujuslibet lateris, & in medio altitudinis eorundem cavitatis eſt, ita ut, quando Caput rectum tenemus, quando illud antrorſum inclinamus, & quando illud retrorſum invertimus, non niſi dimidia ipſorum pars evacuetur. Non niſi, dum uno lateri incumbimus, Sinus alterius lateris penitus evacuari poteſt, dum iſte illius lateris, cui incumbimus, plenus manet.

341. Extenſionem Sinus Maxillaris exacte obſervare, e re eſt. Inferius Sinus hic ſupra quatuor ultimos Dentes Molares, quorum Radices quibusdam in Subjectis in illos penetrant, pauca admodum craſſitie gaudet. Superius non niſi Lamina admodum tenuis inter Orbitam atque Sinum adeſt; imo pellucida exiſtit. Paries hujus Sinus poſterius ſupra Tuberem Oſſis Maxillaris, praecipue eo in loco, qui ante radicem Apophyſis Pterygoïdeae eſt, & per quem Nervus Maxillaris inferior Ramulum deorſum mittit, qui verſus Foramen Palatinum poſterius, communiter Foramen Guſtatorium dictum, deſcendit, itidem admodum tenuis eſt. Interius, id eſt, in latere Concharum ſive Buccinorum Naſi oſſea ejusdem Sinus pars itidem admodum tenuis exiſtit.

342. *Saccus Lacrymalis.* Sacculus Membranaceus,

ceus, oblongus eſt, qui ſerum Oculi per Puncta Lacrymalia, de quibus ſupra locutus ſum, excipit, illudque in inferiorem Narium internarum partem deponit. Ex parte in Stillicidio oſſeo a Naſali Oſſis Maxillaris Apophyſi atque Oſſe Unguis formato; ex parte in Canali oſſeo in eodem Oſſe Maxillari inciſo, atque per inferiorem Oſſis Unguis portionem, & parvam portionem ſuperiorem Conchae ſive Conchylii Naſalis inferioris abſoluto locatur. Hoc Stillicidium atque hic Canalis Ductum Lacrymalem oſſeum invicem formant. Antequam quis ultra progreditur, ut Tractatum de Oſſibus Siccis ſuper hac re legat, maximopere ſuadeo.

343. Pauca quaedam hic de ſitu atque directione Ductus Lacrymalis oſſei dicam. Pauxillum oblique retrorſum ab interno ſive Naſali Orbitae margine uſque verſus inferiora partis lateralis Naris internae ejusdem lateris deſcendit, ubi inferior ipſius extremitas ad latus Sinus Maxillaris, infra Concham Naſalem inferiorem, eo circiter in loco, qui interſtitio ſecundi atque tertii Dentis Molaris per verticalem lineam reſpondet, aperitur. Superior hujus Ductus portio non niſi ſemi-Canalis ſive Stillicidium eſt; inferior portio Canalem integrum format, atque ſuperiori anguſtior eſt.

344. Saccus Lacrymalis in portionem ſuperiorem ſive Orbitariam, & in portionem inferiorem ſive Naſalem dividi poteſt. Portio Orbitaria totum Stillicidium oſſeum occupat. Immediate retro medium Muſculi Orbicularis Tendinem

dinem ſita eſt. Quarta circiter altitudinis ſive longitudinis ſuae pars ſupra Tendinem, atque reliquum infra eundem eſt. Naſalis ſive inferior Portio in oſſeo Naſi Canali abſcondita latet. Minori capacitate minorique longitudine quam altera gaudet.

345. Orbitaria Portio in extremitate ſua ſuperiore, fere uti parvum Inteſtinum caecum, & inſtar angiportus clauditur. Cavitas ipſius cum iſta portionis Naſalis inferius continuatur. In latere Anguli interni Oculi, retro Tendinem Muſculi Orbicularis, per parvum Canalem admodum brevem, ab occurſu atque unione duorum Ductuum Punctorum Lacrymalium, retro eundem huncce Tendinem formatum perforatur.

346. Poſtquam Naſalis Sacci Portio ad inferiorem Ductus Oſſei Naſi partem, infra Concham ſive Conchylium inferius Narium internarum pervenit, in parvam pauxillum complanatam Membranaceam Ampullam ibidem deſinit, cujus fundus apertura perforatur, quam rotundam aut fere rotundam, quando cum circumſpectione in eandem inquiro, reperio, qua neglecta eandem quandoque oblongam inveni.

347. Differentiam hanc niſibus adſcripſi, quos in dimovenda Concha inferiore adhibui, quo liberius hancce aperturam bene conſpicere poſſim, quam etiam poſterius magis quam in medio fundi Ampullae ſive extremitatis hujus portionis inveni. Unde quando aperturam hancce in ſtatu ſuo naturali

turali videre aut monſtrare volo, Buccinum inferius minime dimoveo, ſed idem Inſtrumento admodum acuto aut Forfice bene ſcindente leviter diſcindo. Si a parte inferiore Naſi uſque verſus Os Malae linea transverſa, directe atque e regione tertii Dentis Molaris, aut e regione ſecundi atque tertii linea ab inferiori ſurſum directe trahitur, occurſus harum duarum linearum locum fere indicat, qui inferiori Sacci extremitati reſpondet.

348. Superiorem etiam hujus Sacci extremitatem per Valvulae Conniventis ſpeciem, in parte anteriore & parumper inferius magis quam Tendo Muſculi Orbicularis ſitae, in partem anteriorem & in partem poſteriorem diviſam inveni. Parvus Canalis communis Ductuum Punctorum Lacrymalium in poſteriore hujus diviſionis parte & per conſequens retro Valvulam aperitur.

349. Textum hujus Sacci pauxillum ſpongioſum ſive Celluloſum, & mediocriter craſſum eſt. Convexitate ſua cum Perioſtio Canalis oſſei arcte unitur. Perioſtium hoc diſtincte admodum conſpici poteſt. Idem Textum e duabus Laminis mediante Subſtantia ſpongioſa invicem conglutinatis compoſita eſſe videtur. Externa illa eſt, de qua modo dixi, interna glanduloſa eſſe videtur, & quibusdam in ſubjectis laxa exiſtit, & parumper plicatur, id quod pro morbo habeo.

350. *Ductus inciſorii*, ſive Ductus Naſo-Palatini Stenonis. Duo Ductus ſunt, qui a fundo Narium internarum per Fornicem Palati excurrunt,

runt, & retro priores ſive craſſos Dentes Inciſores aperiuntur. Duo eorundem orificia in inferiore Foſſarum Naſalium parte verſus anteriora & ad latus Criſtarum Maxillarium in Sceleto diſtincte admodum conſpiciuntur; obliquus eorundem per Oſſa Maxillaria trajectus ibidem apparet; tandemque inferiora eorum orificia in parva cavitate ſive foſſula, quae Foramen Palatinum anterius dicitur, conſpiciuntur. Videatur Tractatus de Oſſibus Siccis. In ſubjectis recentibus, praecipue in Homine, non adeo facile apparent; in Vervece enim atque Bove absque difficultate deteguntur.

351. Dominus Santorini pulchram iſtorum Hominis in Obſervationibus ſuis Anatomicis demonſtrationem dedit. Huic loco methodum ſuam, qua inveniri poſſunt, adjecit, quae fere eadem eſt, qua ego ſemper in Curſibus meis privatis ad omnes partes externas, cum Naſo relationem habentes ſimul demonſtrandas, uſus fui, quemadmodum ex Operibus ab iis qui me ſequi voluere, praecipue ab Exteris jam typis impreſſis videre eſt. Dico fere, nam loco Caput in duas partes laterales aequaliter ſerra diſſecandi, ſemper ſerram paululum lateraliter direxi, quo Septum Naſi, illud Sinuum Frontalium, illud Sinuum Sphenoïdalium, atque illa Ductuum Inciſoriorum in uno latere integra ſervarem, absque ut Conchae ſive Buccina atque Cellulae Oſſis Ethmoïdis in altero latere laederentur. Serram admodum ſubtilem ex elaſtica Horologii Lamina confectam adhibeo.

352. Hacce Methodo illud ſtatim latus a quo omnia haec Septa ablata erant proponebam, atque in illo Conchas in ſuo integro ſtatu, earundem convexitates, ſpecialem Membranae Pituitariae in inferioribus ipſarum marginibus craſſitiem, Orificium, aut Orificia, quando plura aderant, Sinus Maxillaris, diſpoſitionem Orificii Sinus Sphenoïdalis, Ductus communicationis Sinus Frontalis cum Cellulis Ethmoïdalibus atque cum duarum Concharum intervallo & poſteriorum Narium conformationem conſpicienda praebebam. Orificium Tubae Euſtachianae retro Narem poſteriorem, atque fundi Naſi cum fundo Oris communicationem ibidem eadem occaſione monſtrabam.

353. In eodem latere poſtmodum quoque Inſtrumento admodum acuto aut bene ſcindente, admodum anguſta atque acuminata Forfice, Concham ſuperiorem aut Concham Ethmoïdalem, absque ut partes vicinas laedam aut violem, per gradus aufero. Mox in hiſce partibus, quas Concha contegebat, pauxillum anteriora verſus oblonga & ovalis quaſi Foſſula conſpicitur, quae poſteriora verſus parumper oblique deſcendit. In poſteriore ſive inferiore hujus Foſſulae extremitate apertura, cujus diameter duas aut tres lineas adaequat, conſpicitur, quae Sinui Maxillari reſpondet. In anteriore quoque aut ſuperiore Foſſulae extremitate apertura, quae Sinui Frontali reſpondet, reperitur.

354. Duae adhuc aperturae immediate retro eandem

eandem hancce Foſſulam apparent, quarum una in Sinum Frontalem atque altera in Ethmoïdales ejusdem Oſſis Frontalis Cellulas hiat. In poſteriore tandem Oſſis Ethmoïdis portione duae ad minimum communicationis aperturae inter Cellulas hujus Oſſis deteguntur. Omnia haec ab iis quae in Sceleto & in iisdem partibus ſuis Membranis &c. privatis videntur, quam maxime differunt. Ceterum haecce variant; in uno enim Subjectorum quae examinavi duo Stillicidia pauxillum ante Sinus Maxillaris aperturam, & parumper altius aderant, quae verſus Sinum Frontalem excurrendo redadunabantur. Superius Stillicidium parumper tortuoſum erat.

355. Poſtmodum eodem modo, iisdemque adhibitis cautelis Concham inferiorem ſive Concham Maxillarem aufero. Quo facto in duarum vel trium linearum aut circiter ab anteriore hujus Conchae extremitate diſtantia parva apertura, cujus diameter lineam fere adaequat, conſpicitur, quae apertura oblique locata eſt, ita ut verſus poſteriora ſpectet. Extremitas Ductus ejusdem Diametri eſſe videtur. Quando vero parva apertura bonae forficis apicibus finditur, mox ovalem angiportui pauxillum complanati ſimilem cavitatem videbimus, cujus magnus diameter tres circiter lineas aut ultra adaequat, eandemque cum Septo Naſi directionem habet.

356. Ovalis haec Cavitas inferior Sacci Lacrymalis extremitas eſt, ita ut Saccus hic in illa portione quae inter Orbitariam portionem atque

hancce cavitatem inferiorem eſt, tantum coarctetur. In interna ejusdem portionis coarctatae parte apertura Ductus caeci reperitur, qui ab anteriori retrorſum & ab inferiori ſurſum viam tres circiter lineas adaequantem emetitur. Nondum ubi praeciſe finiatur, nec cui uſui ſervire poſſit, ſcio.

357. *Arteriae. Venae.* Cunctarum harum partium Arteriae a Carotide externa veniunt. Iſtae partium externarum Naſi Arteriae Maxillaris externae ſive Angularis, atque Arteriae Temporalis praecipue Rami atque Ramuli ſunt. Iſtae partium internarum Naſi Arteriae Maxillaris internae Rami atque Ramuſculi exiſtunt. Venae eodem fere modo ſimiles Jugularis externae Rami atque Ramuſculi exiſtunt. Cum Sinubus Orbitariis, & hocce medio cum Sinubus Durae Matris, tandemque cum Jugularibus internis communicationem alunt.

358. *Nervi.* Primarii Nervorum Olfactoriorum Fila ſunt, quae per Foramina Laminae transverſae Oſſis Ethmoïdis deſcendunt, & in communi Narium internarum Membrana, praecipue in villoſis hujus Membranae portionibus diſtribuuntur. Internus Nervi Orbitarii ſive Ophthalmici Ramus Filum largitur, quod per parvum Foramen Orbitarium internum anterius in Cranium abit, indeque etiam unum ex Filis, de quo modo dixi, per Laminam Ethmoïdalem comitando exit.

359. Idem hicce internus Ramulus poſtmodum

dum verſus Os Unguis procedit, partimque in Sacco Lacrymali, partim in ſuperiore Muſculi Pyramidalis parte & in iſta Tegumentorum Naſi diſtribuitur. Poſtquam Nervus Infra-Orbitarius, qui Nervi Maxillaris ſuperioris Ramulus eſt, per Foramen Orbitarium inferius excurrit, Fila ad partes laterales externas Naſi ablegat. Alius Nervi Maxillaris ſuperioris Ramulus ſupra poſteriorem ejusdem lateris Narem procedit, atque in Conchis reliquisque internis Naſi partibus diſtribuitur.

360. *Uſus.* Naſus in genere Olfactus Organum mediante villoſa Membranae internae portione, in qua portione Nervi Olfactorii praecipue diſtribuuntur, exiſtit. Naſus quoque Reſpirationi inſervit, atque muculenta lympha, qua tota Membranae Pituitariae extenſio inducta eſt, ne aër continue ſuis reiteratis tranſitibus Membranam hancce exſiccet, eamque ſic ad Olfactum ineptam reddat, impedit. Naſus ad vocem regendam atque modificandam quoque inſervit; ad quod Sinus quoque contribuunt. Saccus Lacrymalis ſerum Oculorum excipit, illudque ſupra Palatum exonerat, unde quoad maximam partem in Pharyngem depluit.

AURES IN GENERE.

361. Quilibet, quod duae numero ſint, quod in lateralibus Capitis partibus ſitae ſint, quodque Organum auditus conſtituant, notum eſt. Anatomici ejusdem communiter diviſionem aut po-

tius diſtinctionem in Aurem externam & in Aurem internam inſtituunt. Per Aurem externam omnia ea, quae extra fundum Foraminis ſive Meatus Auditorii externi Oſſis Temporum repeñuntur, intelligunt. Sub Aure interna ea, quae in cavitatibus hujus Oſſis includuntur, quaeque cum iisdem relationem quandam alunt, comprehendunt.

362. Auris externa, quoad maximam partem ab ampla admodum & artificioſiſſime fabrefacta Cartilagine componitur, quae baſin quaſi omnium reliquarum partium, e quibus Auris externa componitur, conſtituit. Auris interna ex diverſis praecipue oſſeis partibus, partim in craſſitie Oſſis Temporum, & praecipue in iſta portionis, Apophyſis Petroſae dictae, fabrefactis; partim in peculiari quadam hujus Oſſis cavitate ſeparatim contentis componitur. Fuſius de iisdem in Tractatu de Oſſibus Siccis locutus ſum; unde hic tantum Lectorem ad eundem relegare monereque ſatis habeo, quod exacta earundem rerum cognitio requiratur, antequam expoſitionis, quam de reliquis partibus, quae in compoſitionem Auris concurrunt, tradam, lectio inſtituatur.

AURIS EXTERNA.

363. *Figura. Diviſio.* Auris externa in totó conſiderata Conchae Mytuli, cujus craſſa extremitas ſurſum, parva deorſum, convexitas verſus latus Capitis & cavitas extrorſum verſa eſſet, aliquo modo ſimilis exiſtit. Duae in Aure externa

na integra portiones, una magna atque firma, Latinis Pinna dicta, quae ſuperiorem atque maximam ipſius partem conſtituit; una parva atque mollis, Lobulus dicta, quae inferius eſt, diſtinguuntur. Duae inſuper Facies, una oblique anterior & inaequaliter concava, una oblique poſterior & inaequaliter convexa ibidem conſiderantur. Aures quibus nulla vis in juventute faſciis illata fuit, naturaliter antrorſum incurvantur.

364. Anterior Facies in eminentias & in cavitates dividitur. Quatuor ibidem eminentiae numerantur, atque Helix, Anthelix, Tragus, Antitragus vocantur. Helix magnus limbus plicatus eſt, qui circumferentiam magnae portionis Auris conſtituit. Anthelix umbo ſive craſſa oblonga eminentia, quae ab Auris plica circumdatur, exiſtit. Tragus parvus globulus anterior eſt, qui infra anteriorem plicae Auris extremitatem exiſtit, quique proceſſu aetatis Pilis contegitur. Antitragus globulus poſterior eſt, qui infra inferiorem Anthelicis extremitatem exiſtit.

365. Quatuor etiam ibidem anterioris Faciei cavitates numerantur, ſcilicet, Fovea magnae plicae; Foſſula extremitatis ſuperioris umbonis, Foſſula ſive Cavitas Navicularis dicta; Concha, ſive magna cavitas duplex, quae infra umbonem eſt, cujusque fundus ſuperior a fundo inferiore per Helicis in modum Criſtae transverſae continuationem diſtinguitur; Meatus tandem Auris externae, qui in parte inferiore fundi inferioris Conchae exiſtit.

366. Poſterior Auris externae integrae Facies non niſi unam notabilem eminentiam repraeſentat, quae partem convexitatis Conchae conſtituit, altera pars ab Auris in Oſſe Temporum annexione abſconditur. Hic annexus etiam, quo minus cavum Criſtae, quae fundum Conchae in ſuperiorem & in inferiorem dividit, in conſpectum prodeat, impedit.

367. *Structura.* Externam Aurem praecipue a Cartilagine peculiari formari ſupra dixi, quae baſin quaſi omnium reliquarum partium, e quibus componitur, conſtituit. Hae reliquae partes Ligamenta, Muſculi, Tegumenta, Glandulae Sebaceae, Glandulae Ceruminoſae, Arteriae, Venae, Nervi ſunt. Hiſtoriam craſſae cujusdam vicinae Glandulae, quam Graeci ob proximitatem Auris Parotidem vocarunt, hic inſerere congruum non duco. De eadem occaſione Glandularum Salivalium, quarum maxima eſt, verba faciam.

368. *Cartilago Auris.* Eadem fere extenſione, eademque forma qua magna portio ſive portio firma Auris externae integrae gaudet. Non eadem craſſitie praedita eſt, quoniam in duabus Faciebus a Tegumentis communibus involvitur. In Lobulo, id eſt, in parva inferiore atque molli Auris portione plane deſideratur. Omnes in Facie poſteriore eminentias omnesque depreſſiones Faciei anterioris, portione replicata magnae circumferentiae excepta, contrario ſenſu repraeſentat. Tota ab eadem circumferentia uſque ad Meatum Auditorium externum, duabus portionis

repli-

replicatae Helicis extremitatibus exceptis, quae a reliquo inſtar ſegmenti parumper ſeparantur, eique mediantibus Tegumentis adhaerent, ex unica portione conflatur.

369. Cartilaginoſa Meatus Auditorii externi portio integrum circulum non abſolvit. Tubum uno in latere interruptum admodumque brevem format, qui in marginem obliquum atque margini Meatus oſſei mediantibus parvis inaequalitatibus, inſtar ſpeciei commiſſurae dentatae annexum deſinit. Obliquitas haecce, ut margo Meatus Cartilaginoſi inſtar apicis ſive roſtri inferiora verſus excurrat, efficit. Lateralis Meatus Cartilaginoſi interruptio inter partem ſuperiorem atque partem poſteriorem ipſius circumferentiae exiſtit. Duo latera interrupta inſtar lingularum rotunda ſunt. Duae praeterea aut tres in reliquo ipſius circumferentiae inciſurae in modum parvarum rimarum reſpectu Meatus oblique transverſarum adſunt. Anterior harum rimarum quadrangularis quaſi eſt. Lingulae non ſemper e diametro directe ſibi opponuntur; ſuperior enim paulo plus quam poſterior ab Oſſe Temporum diſtat.

370. *Ligamenta.* Auris externa nonſolum Cranio mediante Cartilaginoſa Meatus portione, de qua modo dixi, ſed etiam mediantibus Ligamentis, quorum praecipue duo, unum anterius & unum poſterius, dantur, annectitur. Ligamentum anterius una extremitate radici Apophyſis Zygomaticae Oſſis Temporum, parti anteriori Meatus Oſſei parumper ſuperius, plane in cavita-

tis Glenoïdeae angulo annectitur. Altera extremitate anteriori atque ſuperiori Meatus Cartilalaginoſi parti annectitur.

371. Ligamentum poſterius uno extremo radici Apophyſis Maſtoïdeae, atque altero parti poſteriori convexitatis Conchae annectitur, ita ut e regione & in latere anteriori oppoſito locetur. Species inſuper Ligamenti ſuperioris ibi reperitur, quod non niſi Aponevrotici Muſculorum Frontalium atque Occipitalium Galericuli continuatio eſſe videtur.

372. *Muſculi.* Dantur qui Cartilagines Auris externae Oſſi Temporum annectunt, atque ſunt qui Cartilagines non excedunt. Utrique in diverſis ſubjectis variant, & quandoque adeo tenues exiſtunt, ut pro Ligamentis potius quam pro Muſculis iidem habeantur. Tres ordinarie primae ſpeciei, unus ſcilicet ſuperior, unus poſterior, unusque anterior reperiuntur. Omnes admodum tenues ſunt. Superior convexitati Foſſulae Navicularis Anthelicis iſtique portionis ſuperioris Conchae annectitur. Inde ſupra Squamoſam Oſſis Temporum portionem, in quibusdam magis, in aliis minus, inſtar radiorum ſeſe expandendo, aſcendit, Aponevroſique praecipue ligamentoſae, quae poſteriorem Muſculi Crotaphitis portionem contegit, annectitur.

373. Muſculus anterior parvus, plus minusve inverſus, & ſuperioris quaſi continuatio eſt. Uno extremo ſupra radicem Apophyſis Zygomaticae, & altero extremo anteriori convexitatis Conchae Cartilaginoſae parti annectitur.

374. Muſculus poſterior fere transverſus & mediocriter latus eſt, uno extremo poſteriori convexitatis Conchae parti, & altero extremo Radici Apophyſis Maſtoïdeae inſeritur. Ligamentum poſterius contegit. Diviſio, qua in plures Faſcias diſtinguitur, artificialis tantum aut a diſſectione producta videtur.

375. Parvos Muſculos, qui Cartilaginem non excedunt, quod attinet, Fibrarum quae in utraque Facie Cartilaginum Auris externae inveniuntur, tractus exiſtunt. Fibrae hae in plurimis ſubjectis admodum pallidae ſunt, nullamque Fibrarum Muſcularium ſpeciem habent. Tales iſti, quos Dominus Valſalva in diverſis plicis cavis Faciei poſterioris Cartilaginis detexit, atque iſti, quas Dominus Santorini in Trago & juxta longitudinem convexitatis portionis anterioris Helicis demonſtravit, exiſtunt.

376. *Tegumenta.* Cutis Auris externae in genere iſtius, quae vicinas Regionis Temporalis partes contegit, continuatio exiſtit. Cutis Faciei anterioris Auris non niſi parum admodum a Celluloſo ſive Adipoſo Texto comitatur; unde ibidem omnes eminentias cunctasque hujus Faciei cavitates ad fundum uſque Meatus Auditorii externi exacte exprimit. Dum hic de Cute mihi ſermo eſt, Epidermidem quoque ſimul comprehendo.

377. Poſteriorem quoque Faciem eadem continuatione contegit; quoniam vero plicae ibidem admodum ſtrictae ſunt, non niſi ſupra easdem, portione quadam Conchae, iſta ſcilicet, quae introitum

troitum Meatus Auditorii circumdat, quaeque Oſſi Temporum mediante Celluloſo Texto applicatur, excepta, excurrit. Cavum plicae Anthelicis atque Conchae communis in poſteriore hac Facie non apparet; a Celluloſo Texto repletur, Cutisque ſupra illud excurrit.

378. *Lobulus. Meatus Auditorius.* Lobulus Auris, id eſt, mollis portio, quae infra Tragum, Antitragum atque Meatum Auditorium eſt, e Cute tantum atque e Texto Adipoſo componitur. Meatus Auditorius partim Oſſeus, & partim Cartilaginoſus exiſtit. Portio oſſea longiſſima eſt, fundumque circuitus conſtituit. In Tractatu de Oſſibus Siccis deſcripta eſt. Portio cartilaginoſa, cujus Expoſitionem ſupra inſtitui, breviſſima eſt, externamque ipſius in adultis aperturam format.

379. Duae portiones extremitatibus ſuis invicem conjunctae Canalem octo circiter lineas longum, inaequaliter latum, & pauxillum tortuoſum componunt. Canalis hicce ſive Ductus interius a Cute atque a Membrana Celluloſa, ab apertura portionis cartilaginoſae uſque ad fundum portionis oſſeae inveſtitur. Cutis itaque cum Membrana Celluloſa interruptiones portionis cartilaginoſae ſupplet, Cutaneumque quaſi Tubum ibi in altero Ductu format. Membrana Celluloſa cum Meatus Auditorii Perichondrio atque Perioſtio confunditur.

380. *Glandulae.* Cutis, quae utramque Cartilaginis Faciem contegit, quamplurima Glanduloſa Grana includit, e quibus ſemper unctuoſus

&

& albicans humor, inſtar ſpeciei ſqualoris exudat, qui in vicinia praecipue annexionis Auris in Capite, & infra plicam Helicis colligitur. Grana haec Glandulae Sebaceae ſunt. Cutis quae cavitatem Meatus Auditorii inveſtit, ab alia Granorum Glanduloſorum ſpecie circumdatur. Circum Tubi Cutanei, cujus modo mentionem feci, convexitatem ſubflava atque admodum viſibilia ſunt.

381. Ultima haec Grana eum in modum diſponuntur, ut intervalla eorundem ſpeciem Retis ſive Corporis Reticulati repraeſentent, atque in Cutis craſſitiem parumper procedant. Glandulae Ceruminoſae vocantur, quae materiam ſubflavam atque craſſam, cui nomen Cerae, & in lingua latina Ceruminis imponitur, producunt. Interna Tubi Cutanei ſuperficies Pilis ſubtilibus obſita eſt, inter quos Glandularum Ceruminoſarum pori ſive orificia aperiuntur. Glandulae hae ſtatim in convexitate Tubi Cutanei in magna Tubi Cartilaginoſi interruptione ſub oculos cadunt.

382. *Vaſa Sanguifera.* Arteriae Auris externae anterius ab Arteria Temporali, & poſterius ab Arteria Occipitali, quae unus ex Ramulis Carotidis externae eſt, proveniunt. Hic, quod Arteria Occipitalis cum Arteria Vertebrali hujusque medio cum Carotide interna communicationem alat, annotare refert. Venae ſimiles Venae Jugularis externae Ramuli ſunt. Vena Occipitalis nonſolum cum Vena Vertebrali, ſed etiam immediate cum laterali vicino Durae Matris Sinu communicat.

383. *Nervi.* Poſtquam Dura Nervi Auditorii portio

portio per Foramen Stilo-Maſtoïdeum, eo modo, quem in ſequentibus indicabo, exiit, Ramulum quoque praebet, qui retro Aurem aſcendit, pluraque Fila ſupra poſteriorem Auris externae Faciem mittit. Truncus hujus Ramuli ad Meatum quoque & ad anteriorem Auris Faciem Fila remittit. Nervus ſecundi Paris Vertebralis Ramulum etiam ad Aurem ablegat, qui Ramulus iſtis primi Ramuli Portionis Durae Ramuſculis ſuis obviam fit.

AURIS INTERNA.

384. Admonitionem, quam ſupra dedi, ut nempe ea, quae de oſſea hujus Organi ſtructura in Tractatu de Oſſibus Siccis, a n. 260. uſque ad n. 267. & a n. 393. uſque ad n. 444. expoſui, relegantur atque exacte memoriae mandentur, hic reitero. Eadem hic repetere velle nimis prolixum foret. Aſt admodum neceſſarium eſt, ut de cunctis peculiaribus partium oſſearum circumſtantiis juſtam ideam habeamus, quo ea, quae in Expoſitione reliquarum partium, quae cum iisdem relationem alunt, & de quibus hoc in loco praeciſe ſermo erit, de iisdem dicam, bene intelligi poſſint.

385. Partes hae praecipue Membrana Tympani ſive Pellis Tympani, Perioſtium Capſae, illud Oſſiculorum, Labyrinthi omniumque ipſius cavitatum, Membrana Maſtoïdea interna, Muſculi Oſſiculorum, partesque quae ſtructurae Tubae Euſtachii complementum addunt, Arteriae, Venae, & Nervi ſunt. A Tuba Euſtachii initium facere admo-

admodum congruum imo ob duas rationes neceſſarium eſſe duco: primo, quoniam oſſeae ipſius partes nullam de tota ipſius compoſitione atque de integra ipſius ſtructura cognitionem ſubminiſtrare poſſunt; ſecundo, quoniam mentio illius reſpectu Muſculorum Oſſiculorum facienda eſt.

386. *Tuba Euſtachii.* Eandem in Tractatu de Oſſibus Siccis (n. 261.) ſub nomine Ductus Palatini Auris indicavi. Hacce occaſione, quod in Gallia communiter eidem Aquaeductus nomen imponatur, quodque non cum Aquaeductu Fallopii ex ambiguitate confundi debeat, monui. Fuſius de eodem (n. 403.) ejusdem Tractatus locutus ſum, ubi, quod Canalis ſive Ductus ſit, qui a Capſa verſus poſteriores Foſſarum Naſalium ſive Narium Aperturas, atque verſus Fornicem Palati excurrit, quod in Apophyſi Petroſa juxta longitudinem Ductus Carotidalis inſculptus ſit, quodque poſtea mediante Spinoſa Oſſis Sphenoïdis Apophyſi augeatur, innui.

387. Ductus hic in ſtatu ſuo naturali a cavitate Capſae Tympani uſque ad radicem ſive ſuperiorem Alae internae Apophyſis Pterygoïdeae partem extenditur. E duabus in toto hocce trajectu portionibus, una tota oſſea, & altera cujus diameter ex parte oſſeus, ex parte cartilaginoſus & ex parte membranaceus eſt, componitur. Abſolute neceſſarium, inprimis Tyronibus, ne hic fallantur, exiſtit, ut, quam in Tractatu de Oſſibus Siccis, (n. 186. 187.) ratione methodi,

qua

qua inferiores baſis Cranii partes examinari debent, dedi, admonitionem, quaeque in eo conſiſtit, ut partes hae bene elevatae teneantur, & ab inferiori ſurſum aſpiciantur, &c. ſequantur.

388. Portio tota oſſea juxta totam longitudinem immediate ſupra Rimam cavitatis Glenoïdeae ſive cavitatis Articularis Oſſis Temporum locatur, atque in Apophyſis Spinoſae Oſſis Sphenoïdis cum Apophyſi Petroſa occurſu, id eſt, inter hancce Apophyſin Spinoſam atque inferius Canalis Carotidalis Oſſis Petroſi Orificium finitur.

389. Portio mixta in eadem directione ab hoc loco uſque verſus internam Apophyſis Pterygoïdeae Alam, ſive externum Naris poſterioris marginem extenditur. Quo ideam magis diſtinctam de eadem nobis formare poſſimus, eandem ſecundum totam ſuam longitudinem tanquam in quatuor regiones ſive partes, in duas ſcilicet partes ſuperiores, & in duas partes inferiores, diviſam conſiderare debemus.

390. Duae regiones ſuperiores oſſeae ſunt, harumque duarum interna a latere Apophyſis Petroſae Oſſis Temporum; externa a latere Apophyſis Spinoſae Oſſis Sphenoïdei formatur; ita ut dimidia ſuperior hujus portionis Tubae pars oſſea exiſtat. E duabus regionibus inferioribus interna Cartilaginoſa externaque ſimpliciter Membranacea eſt; ita ut dimidia pars inferior ejusdem hujus portionis Tubae ex parte Cartilaginoſa, in latere ſcilicet Oſſis Sphenoïdei, ex parte vero Membranacea, in latere ſcilicet Oſſis Petroſi exiſtat.

391. Tuba Euſtachii ita formata in latere Auris & in portione ſua Oſſea admodum anguſta eſt. Altera ipſius portio parumper latior, praecipue verſus Narem poſteriorem fit, ubi internum atque Cartilaginoſum Tubae latus in marginem prominentem deſinit, atque latus externum cum pariete Naris vicinae unitur. Cavitas Tubae a Membrana, iſti quae Nares internas inveſtit, cujusque continuatio eſſe videtur, ſimili inveſtitur. Membrana haec in margine prominente peculiari & acceſſoria quaſi craſſitie praedita eſt, ita ut margo hic dimidio ceſticillo aliquo modo ſimilis ſit.

392. Situs duarum Tubarum obliquus eſt. Poſteriores earundem extremitates verſus Aures a ſe invicem diſcedunt; anteriores earundem extremitates verſus Nares ad ſe invicem accedunt, atque margines prominentes ſive dimidii ceſticilli convexitate ſua unus verſus alterum vergit. Aperturae earundem uti etiam earundem Diametri, praecipue iſte portionis mixtae, hic ovales exiſtunt.

393. *Membrana Tympani.* Pellicula tenuis, transparens, parumque plana eſt, cujus margo rotundus exiſtit, fortiterque orbiculari ſulco, qui oſſeum Auris externae Ductum a Capſa Tympani diſtinguit, immittitur. Admodum intenta ſive tenſa eſt, absque ut penitus plana exiſtat; in latere Meatus externi enim concavitate in medio leviter acuminata, & in latere Capſae convexitate gaudet, quae itidem in medio in apicem deſinit, qui ipſius centrum quaſi conſtituit.

394. Membrana haec oblique ſita eſt. Superior

ipſius circumferentiae pars extrorſum, & inferior pars introrſum directioni Sulci oſſei, de quo in Tractatu de Oſſibus Siccis locutus ſum, conformis, vertitur. E pluribus admodum ſubtilibus, arctiſſimeque ſibi invicem agglutinatis Laminis componitur. Lamina externa productio quaſi Cutis atque Epidermidis Meatus Auditorii externi eſt. Invicem ab eadem uti digitus chirothecae ſeparari poſſunt. Interna Lamina non niſi Perioſtii Capſae continuatio eſt. Quaelibet harum duarum Laminarum, praecipue quando Membrana integra in aqua macerata fuit, in plures adhuc alias ſeparari poteſt. Me eandem in ſex Laminas diviſiſſe memini. In prima infantia muculenta admodum craſſa Tela exterius contegitur.

395. Depreſſio centri Membranae Tympani ſive Pellis Tympani ab Oſſiculi, qui Malleus dicitur, annexione oritur, cujus manubrium internae Membranae faciei, a ſuperiore ipſius circumferentiae parte ad centrum uſque, cui extremum manubrii annectitur, fortiter agglutinatur. Manubrium hoc membranaceae ſubtili admodum duplicationi includi videtur, qua mediante Membranae Tympani annectitur, quaeque eidem etiam Perioſtii loco eſt.

396. *Perioſtium internum.* Illud Capſae Oſſiculorum Perioſtium producit; Injectione Anatomica, qua Vaſa Capillaria in Ramuſculos diſtincte admodum in ſuperficie horum Oſſiculorum diviſa cernuntur, quemadmodum in Curſibus meis privatis viſum fuit, ſatis viſibile redditur. Supra duas

duas Feneſtras continuatur; in Ductum Euſtachii ſeſe inſinuat, ubi cum interna hujus Ductus Membrana ſeſe confundendo obliteratur.

397. *Cellulae Maſtoïdeae.* Cavitates admodum irregulares in craſſitie Apophyſis Maſtoïdeae ſunt, quae communicationem inter ſe alunt, atque in latere interno, & parumper ſupra poſteriorem Sulci Orbicularis marginem oſtio communi gaudent. Hae cavitates ſive Cellulae Membrana inveſtiuntur, quae ex parte continuatio Perioſtii Capſae eſt, & ex parte ſtructuram glanduloſam inſtar ſpeciei Membranae Pituitariae prae ſe fert. Oſtium Maſtoïdeum e regione parvi Tubae Euſtachii oſtii & paulo altius eſt.

398. *Ligamenta Oſſiculorum.* Hic quod Deſcriptio, quam de his Oſſiculis in Tractatu de Oſſibus Siccis, (n. 408. &c.) dedi, lecta fuerit, praeſuppono. Incus apice Cruris brevis margini oſtii Maſtoïdei mediante Ligamento brevi atque robuſto annectitur. Parva inter Incudem atque Malleum tenuis admodum Cartilago reperitur. Malleus tota manubrii ſui longitudine internae Membranae Tympani faciei, ea qua modo dixi ratione, annectitur, hic quod circum apicem Manubrii, in craſſitie Membranae, parvum Orbiculare, coloris leviter albicantis ad rubicundum accedentis, Planum microſcopii ope inveniatur, ſolummodo addo.

399. *Muſculi Oſſiculorum.* Malleus tribus Muſculis, uno externo, uno anteriore & uno interno; Stapia unico inſtruitur. Muſculus externus ſive

ſuperior Mallei, Caſſerio attributus, & ab Aquapendente indicatus, tenuis admodum carnoſarum Fibrarum Faſciculus eſt, juxta longitudinem partis ſuperioris Meatus Auditorii Oſſei, inter Perioſtium & reliqua Tegumenta ſitus. Exterius latus eſt, atque ea proportione, qua verſus partem ſuperiorem ſive interruptionem Sulci Orbicularis Capſae procedit, anguſtior evadit, in quem mediante Tendine gracili ſupra Pellem Tympani intrat, atque Collo Mallei prope parvam Eminentiam ſive brevem Manubrii Apophyſin annectitur. Muſculus hic ſaepius adeo pallidus eſt, ut difficulter admodum cognoſci poſſit.

400. Muſculus anterior Mallei, ſive iſte, quem Dominus Duverney externum vocaverat, carnoſus, longus & gracilis eſt. Externum Tubae Euſtachii Parietem comitatur, cui juxta totam longitudinem agglutinatur. Anterior ipſius extremitas dicto parieti ante Spinam Sphenoïdalem annectitur. Poſterior extremitas in Tendinem longum & gracilem deſinit, qui in Articularem ſive Glenoïdeam Oſſis Temporum Fiſſuram & per parvam obliquam hujus Fiſſurae inciſuram in Capſam, toti longitudini Apophyſis longae atque gracilis Mallei ſeſe annectendo repit. Ex parte a Nervo comitatur, qui id, quod Chorda Tympani vocatur, quemadmodum in ſequentibus videbimus, format.

401. Muſculus internus Mallei itidem ſatis carnoſus atque viſibilis eſt. Juxta longitudinem parietis interni Tubae Euſtachii, partim in portione Cartila-

Cartilaginoſa, & partim in portione Oſſea ſitus eſt, ubi Oſſi Petroſo mediante ſua extremitate annectitur. Poſtmodum juxta totam longitudinem cavitatis ſemi-Canalis Oſſei Capſae excurrit, in quo ſemi-Canali includitur, & a ſemi-Vagina membranacea ſive ligamentoſa contegitur, quae, quoniam margini ſemi-Canalis annectitur, integrum cum eodem Tubum format. Imo quo Muſculus nudus conſpici queat, Vagina findi debet.

402. Hic Muſculus internus verſus extremitatem ſemi-Canalis Oſſei, ubi Roſtrum Cochlearis eſt, de quo in Tractatu de Oſſibus Siccis,(n.400.) dixi, in Tendinem deſinit, qui circum oſſeam ſive Ligamentoſam hujus Roſtri transverſam Trabeculam quaſi circum Trochleam incurvatur, atque Collo Mallei ſupra Apophyſin gracilem annectitur, imo etiam verſus latus Manubrii excurrit. Duo hi Muſculi ſuis extremitatibus mixtam Tubae Euſtachii portionem contegendo quandoque ſe tangunt.

403. *Muſculus Stapiae.* Parvus brevis & craſſus Muſculus eſt, in craſſitie parvae Pyramidis Oſſeae fundi Capſae abſconditus. Cavitas, quam occupat, oſſeum portionis durae Nervi Auditorii Ductum proxime attingit. In Tendinem gracilem deſinit, qui per parvum Foramen, quo apex Pyramidis perforatus eſt, ex oſſea cavitate egreditur. Tendo hic e Foramine egrediens antrorſum vertitur, atque Stapiae Collo in latere maximi magiſque incurvati Cruris hujus Oſſis annectitur.

404. *Perioſtium Labyrinthi.* Tres diverſae Labyrinthi partes, id eſt, Veſtibulum, tres Cana-

les ſemi-circulares, atque Cochlea ſubtili admodum Perioſtio inveſtiuntur, quod ſupra omnes earundem cavitatum parietes continuatur, duasque communes Capſae atque Labyrinthi Feneſtras claudit.

405. Canales ſemi-circulares in omnibus, quae examinavi, ſubjectis ſimpliciter Perioſtio Parietibus ipſorum cavitatum agglutinato inveſtitos inveni. Ego nondum peculiares membranaceas Faſcias ibidem reperi. Duo ſemi-Canales Cochleae ita inveſtiuntur, ut Perioſtium duorum laterum Laminae Spiralis Oſſeae ultra marginem hujus Laminae Oſſeae excurrat, atque membranaceam duplicationem formet, quae ad parietem oppoſitum uſque extenditur, ſicque Septum Spirale abſolvat.

406. Spirale hoc Septum duos ſemi-Canales a baſi ad apicem uſque integre ſeparat, ubi Septum parvam aperturam relinquit, qua mediante parvae duorum ſemi-Canalium extremitates invicem communicant. Craſſa ſemi-Canalis externi extremitas mediante inflexione obliqua ad Feneſtram rotundam tendit, quae a continuatione Perioſtii ejusdem hujus ſemi-Canalis clauditur. Craſſa alterius ſemi-Canalis extremitas in Veſtibulum hiat. Duae hae extremitates penitus a ſe invicem per Perioſtii continuationem ſeparantur.

407. Totum Auris internae Perioſtium, praecipue illud Capſae atque Oſſiculorum, mucoſum quaſi in parvis Infantibus exiſtit. Pellis ſive Membrana Tympani craſſa ibidem, opaca eſt, atque lutoſa albicante materia obducitur.

408. *Arteriae. Venae.* Quamplurima in tota Perioſtii

Perioſtii interni Auris, in iſto Oſſiculorum, imo etiam in iſto Canalium ſemi-Circularium, & in illo ſemi-Canalium Cochleae extenſione, nonſolum mediantibus Injectionibus Anatomicis, ſed etiam in inflammationibus Sanguifera Vaſa etiam absque Microſcopio deteguntur; ſine quo eadem in Canalibus ſemi-circularibus & in ſemi Canalibus Cochleae diſtincte admodum oculis ſubjeci. Arteriae partim a Carotide interna, & partim a Vertebrali Baſilari procedunt, cujus Capillares Ramulos Nervum Auditorium in Foramen Auditorium internum comitari videmus. Venae in vicinos Durae Matris Sinus ſe exonerant.

409. *Nervi Auris internae.* Mollis Nervi Auditorii Portio magnam Foraminis Auditorii interni Foſſulam Trunco ſuo petit, ubi Fila hujus Trunci per plura parva foramina baſis Cochleae, partim ad Perioſtium Canalium ſemi-circularium, partim ad Perioſtium internum ſemi-Canalium Cochleae ſe conferunt.

410. Portio dura, quam parvum Nervum Sympathicum vocavi, mox in parvam Foraminis Auditorii interni Foſſulam ſe confert, poſtmodumque per totum Ductum oſſeum, qui Aquaeductus Fallopii dicitur, excurrit, atque per Foramen Stilo-Maſtoïdeum Oſſis Temporum egreditur. In hocce trajectu ſtatim cum Dura Matre in ſuperiore ſive anteriore Apophyſis Petroſae facie, in loco interruptionis Meatus oſſei, de quo in Tractatu de Oſſibus Siccis, (n. 264. 444.) dixi, communicationem alit.

411. Nervus hic in eodem trajectu, retro parvam fundi Capſae pyramidem Filum ad Muſculum Stapiae per parvam aperturam ablegat; poſtmodum paulo antequam per Foramen Stilo-Maſtoïdeum egreditur, aliud magis notabile producit, quod a poſteriori antrorſum in Capſam penetrat, inter longum Incudis Crus atque Manubrium Mallei excurrit, poſtmodumque per totam Capſae latitudinem uſque ad marginem ſive latus oppoſitum paululum oblique excurrit, ubi per eundem locum e Capſa egreditur, per quem Tendo Muſculi anterioris Mallei in eandem intrat.

412. Nomen quod parvo huic Nervo ob ipſius trajectum communiter imponitur, Chorda Tympani eſt, ob quem cum Chorda fundo Capſae militaris ſubtenſa aliqualem ſimilitudinem alit. Poſtquam ex internae Auris cavitate egreſſus eſt, verſus latus baſis Linguae procedit, ubi parvo Nervo Linguali ſeſe aſſociat, ibique pro ſpecie Nervi Recurrentis habetur. Reliquum quod parvum huncce Nervum reſpicit ad Hiſtoriam Linguae relego.

413. Poſtquam dura Nervi Auditorii portio per Foramen Stilo-Maſtoïdeum exiit, ample admodum, uti in Tractatu de Nervis annotavi, diſtribuitur. Diverſae ipſius cum Ramis atque Ramulis Nervorum quinti Paris Medullae Oblongatae, cum Nervo Sympathico medio ſive Octavi Paris, cum ſecundo Pari Nervorum Vertebralium, cum Nervis Sub-Occipitalibus ſive decimi Paris, &c. communicationes bene obſervandae ſunt.

414. *Uſus*

414. *Uſus.* Auris inter omnia Organa illud eſt, cujus ſtructura quam maxime diſtincte evolvi, & in quo magnus numerus partium, ſive potius parvarum machinarum, quae in ipſius compoſitionem intrant, commodiſſime demonſtrari poteſt. Notum eſt, quod in genere Organum Auditus ſit; quando vero uſus cujuslibet ipſius partium bene examinatarum, bene cognitarum, beneque conſideratarum in ſpecie deſcribere volumus, quo ex omnibus iis, quae doctiſſimi Phyſici de eodem dixerunt, pauciſſima revera ita ſe habeant, videbimus.

415. Quod concavitas Auris externae ſonum ſive ſtrepitum colligat, eumque verſus Conchae fundum uſque ad Meatum Auditorium externum in centrum compellat certum eſt. Sola experientia concavitatem hancce cavo manus augendo id demonſtrat. Quod Membrana Tympani, prouti magis minusve tenſa exiſtit, Auditum magis minusve ſenſibilem reddat, pro certo affirmari poteſt. Experientia hoc evincit, quoniam, quando Membrana haecce liquore quodam madeſcit, Auditus eodem momento debilitatur, & poſtquam iterum ſicceſcit, momento poſt iterum reſtituitur. Quod Membrana haec prouti neceſſe eſt, tendi atque relaxari poſſit, ex Muſculis Oſſiculorum demonſtratur. Hoc Examen ad alium Tractatum ſpectat.

OS IN GENERE.

416. Hicce terminus ſive vox hic in duplici

ſenſu intelligi poteſt: primo Rimam transverſam Naſum inter atque Mentum a duabus partibus, quae Labia audiunt, formatam notat. Secundo Cavitatem internam, cujus Rima haec transverſa apertura externa exiſtit, indicat. Hoc ut Os in externum & in internum diſtinguatur, atque partes e quibus Os in genere componitur, in partes externas & in partes internas dividantur, occaſionem ſubminiſtrat. Partes Oſſeae ſunt Oſſa Maxillaria, Oſſa Palati, Maxilla inferior, Dentes. Hiſce Os Hyoïdes addi poteſt, imo primae quoque Colli Vertebrae huc referri poſſunt.

417. Partes Oris externae ſunt, Labia, unum ſuperius & unum inferius; Margines ſive rubicunda Labiorum portio; Anguli ſive Commiſſurae Labiorum; Foſſula Labii ſuperioris, baſis Labii inferioris, Mentum, Jugulus ſive baſis Menti, Cutis, Barba, imo etiam Malae, tanquam partes Oris laterales in genere, iſtaeque Labiorum in ſpecie.

418. Partes Oris internae ſunt, Gingivae, Palatum, Septum Palati, Uvula, Amygdalae, Lingua, Membrana quae totam Oris cavitatem inveſtit, Ductus Salivales, Glandulae Salivales, fundus Oris. Inter haſce Oris partes omnes Muſculi, qui cum eodem relationem habent, uti iſti Labiorum, iſti Uvulae & iſti Septi Palati atque maxima pars eorum Linguae numerari poſſunt. Imo Muſculi Maxillae inferioris atque Oſſis Hyoïdis, quos in Tractatu de Muſculis expoſui, huc referri poſſunt.

COLLUM IN GENERE.

419. (N. *66.*) generalem omnium partium, quae in

in compoſitionem Colli intrant, Expoſitionem in Synoptico Tractatu dedi. Partes hae, quae magnum numerum conſtituunt, quemadmodum in loco citato videre eſt, quoad maximam partem in Tractatibus de Oſſibus, de Muſculis, de Arteriis, de Venis, atque de Nervis naturaliter expoſitae ſunt. Paucae admodum ſunt, quarum Hiſtoria in Tractatu de Pectore traditur.

420. Ex iisdem itaque non niſi Larynx, Pharynx, atque Glandulae Thyroïdeae, cum Muſculo Cutaneo, qui ad Caput pertinet, ſuperſunt. Unde, loco Tractatum peculiarem ex parvo hocce numero componendi, eadem ad Tractatum de Capite detuli, eo magis cum Larynx atque Pharynx tantam cum internis Oris partibus relationem alant, ut de iisdem, inprimis de Larynge, etiam antequam ea, quae Os reſpiciunt, fuſius explicem, verba facere neceſſarium ducam. Peculiarem de hac re notam in Tractatu de Pectore (n. 156.) feci.

LARYNX.

421. *Situs.* Hic illud Tuber, quod in parte ſuperiore anteriore Colli ſentitur, quodque communiter Nodus Juguli, atque Pomum Adami vocatur, conſtituit. Anatomici idem Caput Aſperae Arteriae, cujus ſpecialem Expoſitionem in Tractatu de Pectore (n. 127. &c.) tradidi, appellant, & in Viris craſſior quam in Foeminis exiſtit, magisque prominet.

422. *Structura.* E quinque praecipue Cartilaginibus componitur, en eorundem nomina: Thyroïdes,

roïdes, quae anterior atque maxima eſt: Cricoïdes, quae inferior eſt, reliquarumque baſin communem conſtituit; duae Arytenoïdes, quae poſteriores atque minimae exiſtunt; Epiglottis, quae ſuperiorem omnium locum occupat. Cartilagines hae mediantibus Ligamentis peculiaribus ſibi mutuo adhaerent. Muſculis, Glandulis, Membranis, &c. quemadmodum mox videbimus, dotatur.

423. *Cartilago Thyroïdes.* Magna Cartilago admodum lata atque ita replicata eſt, ut anterius convexitate longitudinali, atque duabus portionibus lateralibus, quae ipſius Alae quaſi exiſtunt, gaudeat. Pars ſuperior ipſius portionis anterioris mediae in modum anguli inciſa eſt. Margo ſuperior cujuslibet Alae arcum refert, ita ut margines cum inciſura media partem ſuperiorem cordis Chartae luſoriae repraeſentent.

424 Inferior cujuslibet harum Alarum margo magis aequalis exiſtit; utriusque margo poſterior admodum planus eſt, atque mediantibus Apophyſibus, quarum ſuperior inferiorem longitudine ſuperat, ſurſum atque deorſum prolongatur. Quatuor haſce Apophyſes Cornua Cartilaginis Thyroïdis appello. Extremitates eorundem rotundae ſunt, atque parva quaſi Capita referunt, quorum duorum inferiorum quodlibet parva faciecula lucenti inſtar eminentiae articularis verſus latus internum inſtruitur.

425. In externa cujuslibet Alae Facie verſus marginem prominens parumper obliqua linea conſpicitur, quae a poſteriori antrorſum deſcendit. Superior

Superior ipſius extremitas prope Apophyſin ſive Cornu ſuperius eſt, atque aeque uti inferior ipſius extremitas, cujus tuber quandoque omnium maxime notabile exiſtit, in parvum tuber deſinit. Inſertiones Muſculares atque Ligamentoſae ſunt. Interna Alarum Facies iſtaque convexitatis portionis anterioris admodum uniformes ſunt. Cartilago haec proceſſu aetatis per gradus in Os mutatur.

426. *Cartilago Cricoïdes.* Speciei Annuli craſſi, inaequalis, in uno latere admodum lati, & in latere oppoſito admodum anguſti, ſive parvae portioni craſſi Tubi, in una extremitate directe & in altera oblique admodum ſciſſi ſimilis eſt. In baſin, in verticem, in faciem anteriorem, in faciem poſteriorem, & in duas facies laterales eandem diſtinguo. Baſis, quando Homo erectus ſtans conſideratur, fere horizontalis eſt. Huic baſi Arteria Aſpera annectitur; ita ut Cricoïdes tanquam ſuperior Aſperae Arteriae extremitas conſiderari poſſit.

427. Portio poſterior Cricoïdis reliquis ſuis portionibus major eſt. Poſterior ſive convexa hujus portionis poſterioris Facies per eminentiam longitudinalem, tanquam per ſpeciem lineae prominentis in duas dimidias facies, quae Inſertiones Muſculares ſunt, dividitur. Vertex ſupra prominentem hancce lineam leviter inciditur, & in quolibet latere in ſpeciem anguli obtuſi deſinit, quem cum margine obliquo utriusque portionis lateralis Cricoïdis conſtituit. Quilibet horum duorum Angulorum ſuperius faciecula articulari parumper convexa admodumque polita inſtruitur.

428. Tota

428. Tota facies poſterior a duabus faciebus lateralibus per duas lineas prominentes diſtinguitur, quarum quaelibet recta fere a parte inferiore facieculae articularis verticis uſque parumper infra medium altitudinis faciei, ubi quaelibet harum linearum in aliam lineam articularem parumper concavam deſinit, deſcendit. Parva in vicinia quatuor harum facieculárum articularium Tubera adſunt, quorum duo ſuperiora Articulationi Cartilaginum Arytenoïdum, quemadmodum in ſequentibus videbimus; atque duo inferiora Articulationi Cornuum ſive Appendicum inferiorum Cartilaginis Thyroïdis inſerviunt.

429. *Cartilagines Arytenoïdes.* Duae parvae Cartilagines pares atque ſymmetricae ſunt, quae invicem unitae roſtro urcei aquarii ſimiles ſunt. In vertice Cartilaginis Cricoïdis ſitae ſunt. In qualibet baſis, cornu, duae facies, una concava atque poſterior, una convexa atque anterior; duo margines, unus internus, & alter externus, qui admodum obliquus eſt, conſiderantur. Baſes earundem latae, craſſae ſunt, atque quaelibet per parvam facieculam articularem, leviter concavam, cavata exiſtit, qua mediante quaelibet Arytenoïdes cum Cricoïde articulatur.

430. Cornua earundem retrorſum atque parumper verſus ſe mutuo incurvantur. Cornua haec quibusdam in ſubjectis admodum mobilia ſunt, atque verae quaſi Appendices eſſe videntur, quae facile ſeparari poſſunt, quemadmodum in Curſibus meis privatis ante octo circiter annos annotavi.

notavi. Speciem rimae invicem internis ſuis marginibus formant. Quilibet earundem marginum externorum ſive obliquorum inferius in angulum craſſum atque prominentem deſinit.

431. *Epiglottis.* Cartilago elaſtica, folio Portulacae fere ſimilis, inferius anguſta atque craſſa, ſuperius tenuis & leviter rotunda, anterius leviter convexa, & poſterius proportionate concava exiſtit. Supra anteriorem ſive convexam Cartilaginis Thyroïdis portionem ſita eſt. Inferior ipſius extremitas mediante Ligamento brevi, pauxillum lato & admodum robuſto mediae marginis ſuperioris hujus Cartilaginis Thyroïdis inciſurae annectitur. A quamplurimis in craſſitie ſua foraminibus, fere inſtar foraminum foliorum Hyperici, quae a Membrana duas ipſius facies contegente abſconduntur, perforatur.

432. *Ligamenta Laryngis.* Thyroïdes Cricoïdi mediantibus pluribus Ligamentis brevibus & robuſtis circum Articulationem duorum ipſius Cornuum inferiorum cum facieculis articularibus lateralibus Cricoïdis annectitur. Apices ipſius Cornuum ſuperiorum poſterioribus magnorum Cornuum Oſſis Hyoïdis extremitatibus mediantibus gracilibus, rotundis, tresque circiter lineas plus minusve longis Ligamentis annectuntur.

433. Saepe in medio cujuslibet horum duorum Ligamentorum Granum Cartilaginoſum figurae ovalis, hiſque Ligamentis multo craſſius reperitur. Thyroïdes quoque Oſſi Hyoïdi mediante brevi, lato atque robuſto Ligamento, cujus una extremitas ſuperiori Thyroïdis inciſurae, at-

que

que altera extremitas inferiori baſis Oſſis Hyoïdis margini adhaeret, annectitur. Duo inſuper in medio ipſius faciei concavae peculiaria Ligamenta, quae Arytenoïdes reſpiciunt, adſunt.

434. Cricoïdes inferiori Thyroïdis parti mediante Ligamento robuſto, & circum laterales ipſius cum inferioribus Thyroïdis Cornibus Articulationes mediantibus Ligamentis ſupra indicatis annectitur. Baſi ſua primo Cartilaginoſo Aſperae Arteriae Circulo, mediante Ligamento iſtis, quae reliquas Arteriae Aſperae Cartilagines invicem combinant, ſimili annectitur. Membranacea ſive poſterior Aſperae Arteriae portio etiam poſteriori baſis Cricoïdis portioni annectitur.

435. *Glottis.* Arytenoïdes Cricoïdi mediantibus Ligamentis, quae circum circa earundem Articulationes cum vertice hujus Cartilaginis ſunt, annectuntur. Anterius baſi cujuslibet Arytenoïdis extremitas Chordae Ligamentoſae inſeritur, cujus altera extremitas medio circiter concavitatis ſive faciei poſterioris portionis anterioris Thyroïdis annectitur. Duo haec Ligamenta ſuis in concavitate Thyroïdis inſertionibus ſe invicem tangunt, parvumque admodum mediantibus ſuis in Arytenoïdibus inſertionibus ſpatium inter ſe relinquunt. Vertici Cricoïdis parumper annecti videntur. Hoc id, quod Glottis appellatur, exiſtit.

436. *Sinus Laryngis.* Infra duas haſce Chordas Ligamentoſas, duae aliae adſunt, quae itidem a poſteriori antrorſum excurrunt. Intervallum Chordae ſuperioris atque Chordae inferioris cujuslibet

libet lateris rimam transverſam, quae parvi Marſupii Membranacei apertura eſt, cujus fundus extrorſum, id eſt, verſus Alam Thyroïdis vergit, lateraliter format. Duo haec Marſupia Ventriculi Veterum ſunt, quorum ideam Dominus Morgagni renovavit, excellentemque eorum deſcriptionem dedit. A continuatione Membranae internae Laryngis potiſſimum formantur, internaque ipſorum fundi ſuperficies quandoque glanduloſa eſſe videtur.

437. *Glandulae Arytenoïdeae.* Parva in anteriori Arytenoidum ſuperficie, quamvis ſuperius convexa exiſtat, inter baſin atque hancce convexitatem depreſſio adeſt. Haecce depreſſio a Corpore Glanduloſo, quod anteriorem cujuslibet Arytenoidis faciem uſque verſus inferiora contegit, ſeſeque ex parte a baſi harum Cartilaginum verſus anteriora, ſupra poſteriorem Chordae Ligamentoſae vicinae extremitatem extendit, quaſi obliteratur. In quibusdam craſſiores magisque viſibiles quam in aliis exiſtunt. A Membrana, quae partes vicinas inveſtit, abſconduntur. Dominus Morgagni easdem luci expoſuit.

438. Ligamenta Epiglottidis, quae eandem inciſurae Thyroidis atque baſi Oſſis Hyoidis annectunt, ſupra expoſita fuerunt. Duo haec Ligamenta occurſu ſuo cum pari Ligamento, quod inferiorem etiam baſis Oſſis Hyoidis marginem eidem inciſurae Thyroidis annectit, triangulare ſpatium latitudine ſua Texto Celluloſo ſive Pingui, parvisque Glandulis repletum invicem formant.

439. Epiglottis praeter haec Ligamenta duobus adhuc lateralibus gaudet, quibus mediantibus Arytenoidibus usque ad earundem apices ſive Cornua adhaeret. In parte anteriori Ligamento Membranaceo gaudet, quod juxta longitudinem mediae partis ipſius anterioris ſive convexae faciei excurrit, eamque radici ſive baſi Linguae annectit. Ligamentum hoc Membranaceum eſt, nec niſi Membranae, a qua contegitur, quaeque ad partes vicinas continuatur, duplicatio exiſtit. Duo adhuc parva Membranacea lateralia dantur, quae eandem prope Corpora Glanduloſa, quae Amygdalae dicuntur, annectunt.

440. Epiglottis non a regularibus tantum foraminibus, de quibus ſupra dixi, perforatur, ſed & variis parvarum ſciſſurarum irregulariumque interruptionum ſpeciebus notatur. Totidem diverſae Lacunae ſunt inter duas Epiglottidis Membranas ſitae, Graniſque Glanduloſis repletae, quorum orificia excretoria praecipue in poſteriore hujus Cartilaginis facie exiſtunt.

MUSCULI LARYNGIS.

441. Larynx magno Muſculorum numero inſertionem praebet. In communes, in proprios, & in collaterales dividi poſſunt. Communes, juxta ordinariam hujus termini ideam, omnes ii ſunt, qui totum Laryngis corpus movent, quique ex parte alibi inſeruntur. Eorundem quatuor, pro quolibet latere duo, numerantur, ſcilicet,

Sterno - Thyroïdei

Thyro - Hyoïdei, ſive Hyo-Thyroïdei.

442.

442. Proprii ii vocantur, qui unice Laryngi annectuntur, ipſiusque Cartilagines ſeparatim movent. Diverſimode diſtribuuntur. Eorundem numerum ad ſequentia Paria reduco:

Crico-Thyro-Hyoïdei.
Crico-Arytenoïdei laterales.
Crico-Arytenoïdei poſteriores.
Thyro-Arytenoïdei.
Arytenoïdei.
Thyro-Epiglottidei.
Aryteno Epiglottidei.
Hyo-Epiglottidei.

443. Per Collaterales eos intelligo, quorum una portio Laryngi annectitur, absque ut, quod ad ipſius motus quidpiam contribuant, appareat. Tales ſunt Muſculi Thyro Pharyngei, Crico-Pharyngei, &c. de quibus alio loco ſermonem inſtituam.

444. Larynx adhuc mediantibus Muſculis, qui eidem non immediate annectuntur, ſed qui aliis partibus inſeruntur, moveri poteſt Tales ſunt Muſculi Mylo-Hyoïdei, Genio-Hyoïdei, Stilo-Hyoïdei, Homo-Hyoïdei, Sterno-Hyoïdei, inprimis Digaſtrici Maxillae inferioris, ob peculiarem ipſorum cum Oſſe Hyoide connexionem. Eos ex Muſculis Pharyngeis, qui baſi Cranii annectuntur, certis in caſibus parvos quosdam motus Laryngi conciliare poſſe videtur.

445. *Sterno-Thyroïdei.* Duo Muſculi longi, plani, anguſti atque tenues, in modum taeniae, inferius latiores quam ſuperius ſunt, juxta longi-

tudinem partis Juguli, inter Cartilaginem Thyroïdem atque Sternum ſiti. A Muſculis Sterno-Hyoïdeis conteguntur, atque immediate ante Glandulas Thyroïdes, quae ab iisdem cooperiuntur, procedunt.

446. Inferiore ſua extremitate partim portioni ſuperiori faciei internae ſive poſterioris Sterni, partim Ligamento atque portioni vicinae Claviculae, imo etiam portioni Cartilaginoſae primae Coſtae inſeritur. Quandoque admodum inferius primae hujus Oſſis parti annectitur, ubi vicinae amborum Fibrae ſeſe decuſſant. Inde juxta longitudinem Arteriae Aſperae ad latus ſui paris aſcendit, ante Glandulas Thyroïdes ſupra Cartilaginem Cricoïdem excurrit, ſuperioreque ſua extremitate partim inferiori faciei lateralis Cartilaginis Thyroïdeae parti, & partim juxta totam longitudinem hujus faciei inſeritur. Duplicem atque naturaliter in duos ſeparatum eundem inveni, quorum unus baſi atque alter lateraliter inſerebatur.

447. *Thyro-Hyoïdei, ſive Hyo-Thyroïdei.* Etiam duo Muſculi plani & tenues ſunt, unus ad latus alterius inter & ſupra praecedentes ſiti. Quilibet extremitate ſuperiore partim baſi Oſſis Hyoïdis & partim vicinae magni Cornu ejusdem Oſſis portioni inſeritur. Inferior cujuslibet extremitas parti inferiori faciei lateralis Cartilaginis Thyroïdis immediate ſupra ſuperiorem Sterno-Thyroïdei extremitatem inſeritur. Extremitas ſuperior Sterno-Thyroïdei atque extremitas inferior Hyo-Thyroïdei paululum in occurſu ſuo cum Thyro-Pharyngeo

ryngeo inferiori, de quo in ſequentibus dicam, confunduntur.

448. *Crico-Thyroïdei.* Duo parvi Muſculi ſunt, in inferiore Cartilaginis Thyroïdis parte oblique admodum locati. Anteriori Cartilaginis Cricoïdis portioni unus prope alterum extremitatibus ſuis inferioribus annectitur; & extremitatibus ſuis ſuperioribus lateraliter margini inferiori Cartilaginis Thyroïdis, unus ab altero dimotus, annectuntur. Duo hi parvi Muſculi ſitu hocce obliquo V Romanum repraeſentant.

449. Quilibet horum parvorum Muſculorum duplex quaſi eſt, quoniam ſuperior ipſius extremitas, quae parti inferiori Thyroïdis lateraliter annectitur, quibusdam in ſubjectis admodum lata, & in duas quaſi portiones, quarum una anterior, altera magis lateralis, imo etiam magis obliqua eſt, dividitur. Imo ambo hi duo Muſculi hoc modo facili negotio a ſe invicem ſeparari poſſunt, exindeque Crico-Thyroïdeus anterior ſive internus, atque Crico Thyroïdeus lateralis ſive externus formari poteſt.

450. *Crico-Arytenoïdei poſteriores.* Hi duo Muſculi poſterius in magna portione ſive poſteriori Cartilaginis Cricoïdis portione ſiti ſunt. Duas longitudinales hujus portionis facieculas fere replent, atque per lineam prominentem, quae duas facieculas, quemadmodum ſupra innui, ſeparat, a ſe invicem diſtinguuntur. Quilibet oblique aſcendit, ſuperioreque extremitate parti poſteriori baſis Cartilaginis Arytenoïdis vicinae, prope angulum hujus baſis inſeritur.

451. *Crico-Arytenoïdei laterales.* Hi duo Muſculi parvi ſunt, magisque lateraliter quam praecedentes locantur. Quilibet uno extremo lateri partis latae Cartilaginis Cricoïdis, atque altero extremo parti inferiori lateris Arytenoïdei vicini inſeritur.

452. *Thyro-Arytenoïdei.* Hi duo Muſculi admodum lati ſunt, quilibetque in latere ſuo inter Cartilaginem Thyroïdem atque Cartilaginem Cricoïdem lateraliter locatur. Quilibet eorum faciei internae Alae ſive portionis lateralis Cartilaginis Thyroïdis late admodum annectitur. Inde Fibrae ab anteriori retrorſum & ab inferiori ſurſum verſus vicinam Arytenoïdem Cartilaginem oblique colliguntur, ibique anterius a Glottide uſque ad angulum baſis inſeruntur. Totum fere Glottidis latus in quibusdam ſubjectis contegit.

453. *Arytenoïdei* Parvi Muſculi ſunt, qui poſteriorem atque cavam Cartilaginum Arytenoïdearum faciem occupant. Dominus Douglaſſius Medicinae Doctor Londinenſis in prima ſui Tractatus Editione, eosdem in duas ſpecies diſtinxit, dum Arytenoïdeum majorem atque Arytenoïdeum minorem ſub duobus peculiaribus Titulis collocavit. Parva eorum in quibusdam ſubjectis varietas exiſtit. Ea quae frequentius atque evidentius obſervavi, ſcilicet, quod duo Arytenoïdei decuſſati unusque transverſus dentur, retineo.

454. Quilibet Arytenoïdeorum decuſſatorum ab unius Cartilaginis Arytenoidis baſi verſus partem mediam, atque ſupra hancce partem alterius

Carti-

Cartilaginis Arytenoidis oblique excurrit, iſteque lateris ſiniſtri illum lateris dextri contegit, quemadmodum Dominus Morgagni in primis ſuis *Adverſariis* indicavit.

455. Hoſce duos ceu Crico Arytenoïdeos ſuperiores conſidero, quoniam eosdem partim ſuperiori vicinae Cartilaginis Cricoidis portioni, nec aliter inſertos inveni Arytenoideus transverſus plus minusve directe mediantibus duabus ipſius Fibrarum extremitatibus utrique Cartilagini Arytenoidi annectitur. Hunc verum Arytenoideum appello.

456. *Thyro Epiglottidei.* Duo hi Muſculi Muſculos Thyro-Arytenoideos decuſſant. Laterali internae Cartilaginis Thyroidis Faciei atque Epiglottidi lateraliter inſeruntur.

457. *Aryteno-Epiglottidei.* Parvi Faſciculi carnoſi ſunt, quorum quilibet una extremitate capiti unius ex Cartilaginibus Arytenoidibus, & altera extremitate vicino Epiglottidis margini inſeritur.

458. *Hyo-Epiglottidei.* Occaſio eosdem in ſubjectis admodum carnoſis examinandi mihi defuit, unde, an Fibrae quae a convexitate baſis Oſſis Hyoidis ad convexitatem Epiglottidis excurrunt, verae carnoſae Fibrae ſint, non adeo certus ſum.

459. *Uſus.* Larynx inprimis, quo libere inſpirare & exſpirare poſſimus, inſervit. Soliditas ipſius partium, ne nonſolum res externae, ſed etiam fruſta dura, quae deglutimus, tranſitum turbent, impedit. Glottis, cum rima anguſta, aërem quem reſpiramus, modificat, & ob facilitatem qua anguſtari atque

 dilatari

dilatari poteſt, ex parte diverſos vocis tonos, hocque praecipue mediantibus diverſis Muſculis, qui Cartilaginibus Arytenoidibus inſeruntur, quorum reliqui Laryngis Muſculi auxiliatores ſunt, nonſolum ii qui proprii vocantur, ſed etiam ii qui communes audiunt, format.

460. Integer Larynx quoque deglutitioni, quemadmodum ſupra dixi, inſervit, & quidem ob ſuam cum Oſſe Hyoide connexionem, cui Digaſtrici Maxillae inferioris Muſculi, qui Laryngem conjunctim cum Oſſe Hyoide toties attollunt, quoties deglutitio inſtituitur, inſeruntur. Videatur Tractatus de Muſculis (n. 1133. 1134. 1135.) Poſt Expoſitionem Pharyngis atque Linguae diſtinctius de eodem dicam.

461. Facilitas harum toni variationum harumque mutationum a mollitie & a flexibilitate Cartilaginum, e quibus Larynx componitur, dependet. Ea proportione qua ad ſenectutem accedimus, evaneſcit, quoniam Cartilagines tunc, in quibusdam magis & citius, in aliis minus atque tardius oſſeae evadunt; id quod ordinarie non ſolum Cartilagini Thyroidi, ſed etiam Cricoidi atque Cartilaginibus Arytenoidibus accidit.

462. Muſculi Sterno-Thyroidei, quorum functio in genere Cartilaginem Thyroidem cum toto Larynge deorſum trahere exiſtit, auxiliatores quoque Muſculorum Sterno-Hyoideorum, de quibus in Tractatu de Muſculis (n. 1151.) dixi, eſſe poſſunt. Eadem actione Glandulam Thyroideam, de qua poſtmodum ſermonem inſtituam, com-

primere

primere valent. Thyro-Hyoidei ſive Hyo-Thyroidei reciproce, prouti opus erit, Cartilaginem Thyroidem cum Larynge ſurſum verſus Os Hyoides, atque Os Hyoides deorſum verſus Cartilaginem Thyroidem trahere poſſunt.

463. Crico-Thyroidei ita diſponuntur, ut eorundem uſum determinare difficile ſit. Aut Cricoidem retrorſum, aut Thyroidem antrorſum, & quidem ab inferiori ſurſum & ab anteriori retrorſum oblique magis ferre poſſunt. Hacce actione inferiora Thyroidis Cornua atque parvae Cricoidis facieculae articulares lubrice ſupra ſe invicem moventur.

464. Crico-Arytenoidei, tam laterales quam poſteriores, Cartilagines Arytenoides a ſe invicem dimovere, hocque modo Glottidem, aſt diverſimode, aperire poſſunt. Laterales haſce Cartilagines oblique antrorſum dimovent, eodemque tempore parietes Glottidis laxos reddunt. Poſteriores easdem has Cartilagines oblique retrorſum dimovent, eodemque tempore parietes Glottidis tendunt. Quando laterales atque poſteriores aequaliter invicem agunt, Cartilagines has directe dimovent.

465. Quando Muſculi Arytenoïdei invicem agunt, duas Cartilagines Arytenoïdes antrorſum trahere, & per conſequens Glottidem laxam aut ad parvos mediante voce tremores aptam reddere videntur. Sinus quoque ſive Ventriculos Laryngis Contractione ſua premere, imo Glandulas etiam Arytenoïdeas comprimere poſſe videntur.

466. Arytenoïdei Cartilagines Arytenoïdes, easdem ad ſe mutuo arctando, appropinquant. Hae ita actione Arytenoideorum junctae Cartilagines eodem tempore aut mediantibus Thyro-Arytenoideis antrorſum inclinari, aut mediantibus Crico-Arytenoideis poſterioribus retrorſum reclinari poſſunt. Hocce medio Glottis clauſa & relaxata, aut clauſa & tenſa eſſe poteſt. In ultimo caſu penitus clauſa eſt, id quod contingit, quando Reſpiratio, quo vires noſtras intendamus, inhibetur, quemadmodum fuſius alibi explicabo.

467. Epiglottis in genere ad Glottidem inſtar ſpeciei tecti cooperiendam inſervit, quod, ne quicquam in Glottidem labatur, quando edimus & quando bibimus, impedit, quibus in caſibus eo, quem poſtea explicabimus modo, deprimitur. Ad aërem quem reſpiramus, ne directe & uno ordine quaſi in Glottidem impingat, quae eundem, ut ita dicam, findit, impediendum inſervit, illumque, ut per latera in eandem intret, cogit. Muſculos quod attinet, Epiglottidi non abſolute neceſſarii eſſe videntur. In Deglutitione a ſola Linguae baſi deprimi poteſt; proprio ſuo elatere ſeſe in priſtinum ſtatum reſtituere valet. Muſculi Thyro-Epiglottidei atque Aryteno Glottidei ad laterales aperturas, quae, quando a baſi Linguae deprimitur, remanere poſſent, bene conſtringendas inſervire poſſunt. Hyoglottidei eandem in magna Reſpiratione, verbi gratia, quando ſuſpiria ducimus, oſcitamus, &c. parumper antrorſum trahere poſſunt.

PHARYNX.

468. *Situs.* Nomen hocce ſpeciei Sacci Muſculoſi atque Glanduloſi imponitur, cujus ſuperficies externa agglutinatur ſuperficiei internae totius ſpatii, quod in fundo Oris, retro Nares poſteriores, retro Uvulam & retro Laryngem, a magna Apophyſi ſive anteriore Oſſis Occipitalis Apophyſi uſque ad Oeſophagum exiſtit, qui illius continuatio eſt; quod ſpatium poſterius a Muſculis, qui Corpora primarum Vertebrarum Colli contegunt, atque lateraliter a ſuperiore utriusque Venae Jugularis internae portione, ab iſta utriusque Carotidis internae, ab Apophyſibus Spinoſis Oſſis Sphenoidis, ab extremitate Oſſium Petroſorum, ab Oſſe Sphenoide, immediate ſupra internam Apophyſis Pterygoideae Alam, & a vicinis utriusque Muſculi Pterygoidei cujuslibet lateris portionibus limitatur.

469. *Conformatio.* Ex hiſce limitibus & ex hiſce Pharyngis adhaeſionibus, quanam figura ipſe gaudere poſſit, fere intelligitur. Lata quaſi ſpeciei infundibuli cooperti pars, cujus Tubus Oeſophagus exiſtit, atque Tentorium quaſi Oeſophagi eſt, qui revera ipſius continuatio exiſtit. In tres partes, unam ſuperiorem, quae Fornix Pharyngis eſt, unam mediam, quae ipſius Corpus ſive magnam cavitatem conſtituit, unamque inferiorem, quae ipſius fundus, fretum & Sphincter quaſi exiſtit, dividi poteſt. Tres quoque aperturae, iſta Fornicis verſus Nares, iſta Corporis ſive magnae cavitatis verſus Os, iſtaque fundi verſus Oeſophagum in eodem conſiderantur.

470. For-

470. Fornix Pharyngis latiſſima ipſius portio eſt. In quolibet latere verſus Foſſulas Jugulares baſis Cranii in angulum ſive apicem deſinit. Magna cavitas poſtmodum inter latera parumper, absque ut reliquae dimenſiones imminuantur, coarctatur. Retro Laryngem denuo in utroque latere, parvum admodum ſpatium nihilominus inter eundem atque Cartilaginem Cricoïdem relinquendo, latior fit. Portionis inferioris extremitas admodum anguſta eſt, ejusdemque Cartilaginis Cricoidis baſin amplectitur.

471. *Structura.* Pharynx partim ex pluribus diverſis Faſciis carnoſis, quae ipſius capacitatem formant, quaeque ceu totidem diverſi Muſculi conſiderantur, partim ex Membrana, quae hancce capacitatem in tota ſua extenſione interius inveſtit, quaeque iſtius Narium internarum, uti etiam iſtius Palati continuatio eſt, componitur.

472. *Membrana.* Membrana haec tota Glanduloſa eſt, atque in Fornice & in media Pharyngis cavitate craſſior quam in fundo inferiore exiſtit. Immediate ſupra primam Vertebram plures rugas longitudinales, admodum craſſas ſive profundas, aſt breves format, inter quas muci congeries in mortuis ordinarie reperitur. In magna ſua cavitate, in qua, uti in Fornice, Muſculis arcte adhaeret, rugis deſtituitur. Inferius, ubi poſteriorem quoque Laryngis partem inveſtit, & ubi tenuis, inaequaliter plicata & admodum laxa eſt, tenuior exiſtit. In utroque latere inter margines Pharyngis ſeſe parumper immergit.

MUS-

MUSCULI PHARYNGIS.

473. Quamvis Muſculoſae ſive carnoſae Faſciae, e quibus Pharynx componitur, quoad maximam partem unicum Saccum ſive Receptaculum continuum invicem forment, nihilominus nonſolum per diverſas ipſarum inſertiones, ſecundum quas peculiaria iisdem nomina imponuntur, ſed etiam per diverſas ipſarum Fibrarum directiones atque occurſus admodum a ſe invicem diſtinguuntur. Faſciae hae quoad maximam partem ceu Muſculi Digaſtrici, quorum Tendines intermedii poſterius in eadem linea longitudinali reperiuntur, quae in quibusdam ſubjectis diſtincte admodum inſtar ſpeciei lineae albae apparet, conſiderari poſſunt.

474. In genere ad tres Claſſes rationem earundem connexionum habendo referri poſſunt, ſecundum quas dantur, qui baſi Cranii annectuntur, ſcilicet,

Cephalo-Pharyngei.
Petro-Pharyngei.
Spheno-Pharyngei, ſive Spheno-Salpingo-Pharyngei.
Pterygo-Pharyngei.
Stilo-Pharyngei.

Dantur quorum annexus in latere Oris ſunt, ſcilicet,

Periſtaphylo-Pharyngei.
Gloſſo-Pharyngei.
Hyo-Pharyngei.
Genio-Pharyngei.

Tan-

Tandem ſunt, qui in lateralibus Laryngis partibus ſuas annexiones habent, ſcilicet:

Syndeſmo-Pharyngei.
Thyro-Pharyngei.
Crico-Pharyngei.
Oeſophagaeus.
Adeno-Pharyngeus.

475. Cephalo-Pharyngei faciei inferiori Apophyſis Baſilaris ſive magnae Apophyſis Oſſis Occipitis, in medio circiter partis poſterioris hujus faciei annectuntur. Inde lateraliter a ſe invicem diſcedunt, & quandoque aſcendendo Stilo-Pharyngeis ſeſe aſſociant. Linea alba Pharyngis a media horum Muſculorum inſertione initium ſumit.

476. Petro-Pharyngei parti inferiori extremitatis Oſſis Petroſi; Spheno-Salpingo-Pharyngei partim Oſſi Sphenoidi, directe ſupra internam Apophyſis Pterygoideae Alam, & partim vicinae atque Cartilaginoſae Tubae Euſtachii portioni; Pterygo-Pharyngei margini ejusdem Alae internae Apophyſis Pterygoideae annectuntur. Hi tres utriusque lateris Muſculi mediantibus quibusdam ipſorum Fibrarum ſe mutuo parumper contegentes oblique retrorſum excurrunt, ſibique in linea alba obviam fiunt. Muſculi hi magnam cavitatem ſive mediam Pharyngis portionem ſurſum trahere poſſunt.

477. Stilo-Pharyngei interius Apophyſi ſive Epiphyſi Stiloideae una extremitate annectuntur. Inde quilibet eorum juxta longitudinem partis lateralis Pharyngis, Muſculos contegendo illosque decuſſan-

decuſſando oblique deſcendit. Ea proportione qua deſcendit, latior fit, duasque praecipue portiones, unam ſuperiorem, quae anguſta manet, unamque inferiorem, quae lata exiſtit, format. Portio anguſta inter Fibras Muſculares ſupra Cartilaginem Thyroideam diſpergitur. Portio lata lateri Cartilaginis inſeritur. Muſculus itaque Stilo-Pharyngeus dictus ex parte verus Muſculus Stilo-Thyroideus exiſtit. Muſculi hi Pharyngem praecipue mediantibus ipſorum portionibus Thyroideis lateraliter ſurſum trahere poſſunt. Communiter, quod Pharyngem dilatent, dicitur; aſt hoc cum eorundem ſitu atque directione minus convenire videtur.

478. Periſtaphylo-Pharyngei duo parvi Muſculi ſunt, qui inter Uvulam atque inferiorem Alae internae Apophyſis Pterygoideae extremitatem annectuntur, & ſupra latera Pharyngis oblique retrorſum excurrunt. Difficulter admodum in macilentis ac admodum juvenilibus ſubjectis inveniuntur. Cum iſtis, quos Dominus Santorini Hyo-Pharyngeos ſive Palato-Pharyngeos vocat, conveniunt. Gloſſo-Pharyngei Fibrae ſunt, quae juxta utriusque marginis lateralis Linguae longitudinem excurrunt, poſtmodumque ab eadem retrorſum abſcedunt, atque ſupra latera Pharyngis infra Stilo-Pharyngeos deſcendunt.

479. Hyo-Pharyngei in genere ii ſunt, qui in utroque latere Oſſi Hyoidi annectuntur. In quolibet latere in tres, ſcilicet, in Baſio-Pharyngeos, in parvos Cerato-Pharyngeos & in magnos Cerato-Pha-

to-Pharyngeos, ſecundum peculiares ipſorum in baſi, in parvis cornibus & in magnis Oſſis Hyoidis cornibus annexus diſtingui poſſunt.

480. Quod Mylo-Pharyngeos Domini Douglaſſi Medici attinet, me eosdem non diſtincte vidiſſe, fateor. Eorundem loco Muſculoſam revera a Muſculo Genio-Gloſſo ablegatam, atque diſtincte admodum lateri Pharyngis annexam portionem inveni. Eandem Muſculum Genio-Pharyngeum appellavi, quoniam cum Genio-Gloſſo ad ipſum Mentum uſque unitus erat.

481. Syndeſmo-Pharyngei ejusdem Domini Douglaſſi faſciculi Fibrarum Muſculoſarum ſunt, qui diſtincte admodum una extremitate juxta totam longitudinem Ligamentorum, quibus mediantibus ſuperiora Cartilaginis Thyroidis cornua extremitatibus ſive apicibus magnorum cornuum Oſſis Hyoidis adhaerent, annectuntur. Inde retrorſum excurrunt, ſibique infra Lineam albam occurrunt. Quo, absque ut cum iſtis vicinorum Muſculorum confundantur, conſpici poſſint, Saccus Pharyngeus goſſypio explendus eſt, quo conveniens eidem convexitas concilietur, ipſiusque parietes firmentur, qui absque hoc auxilio collabuntur, plicantur, atque, quin directio atque diſtinctio unius Muſculorum Pharyngeorum partis clare conſpici poſſint, impediunt.

482. Thyro-Pharyngei admodum lati ſunt, atque quilibet faciei externae Alae Cartilaginis Thyroidis juxta totam longitudinem, inter marginem hujus Cartilaginis atque lineam obliquam, cui in

utroque

utroque latere Muſculi Thyro-Hyoïdei inſeruntur, annectitur. Cum Muſculis Crico Hyoïdeis parumper confunduntur. Inde oblique retrorſum aſcendunt, atque etiam infra Lineam albam ſibi obviam fiunt, imo quandoque etiam unicum tantum Muſculum, absque ut a Tendine intermedio interrumpatur, conſtituere videntur. Interim in ſuperiores & inferiores quandoque diſtinctos eſſe mihi viſi fuere, quoniam ſuperior eorundem portio retrorſum aſcendebat, cum e contrario inferior ipſorum portio transverſim magis ibidem excurrebat.

483. Quilibet Crico-Pharyngeorum inferius lateri Cartilaginis Cricoïdis annectitur. Non niſi Thyro Pharyngeorum continuatio ſunt, ita ut nullam aliam diſtinctionis notam niſi annexiones atque directionem paululum diverſam ſuppeditent, quoniam retrorſum excurrentes parumper deſcendunt. Id quod, ut duos hos Muſculos quandoque pro unico habuerim, eumque Thyro- Crico Pharyngeum appellaverim, mihi anſam ſuppeditavit.

484. Quam maxime inferiores harum Fibrarum integrum circulum poſteriora verſus ab uno latere baſis Cartilaginis Cricoïdis uſque ad alterum latus deſcribunt, qui circulus initium Oeſophagi conſtituit, atque quibusdam, ut tanquam Muſculum peculiarem, ſub nomine Muſculi Oeſophagaei eundem conſiderarent, occaſionem dedit. Faſciculum Fibrarum a Muſculo Thyro-Pharyngeo abſcedere, atque Glandulae Thyroïdeae lateraliter inſeri vidi. Muſculum Thyro-Adenoïdaeum eundem vocavi.

 485. Specia-

485. Speciales omnium horum Muſculorum Uſus difficulter admodum determinari poſſunt. Quod iſti portionis mediae atque portionis inferioris Pharyngis praecipue deglutitioni inſerviant, certum eſt. Ii portionis ſuperioris atque ex parte ii portionis mediae inter alios uſus etiam iſto vocem modificandi, quemadmodum Dominus Santorini autumat, gaudere poſſunt.

PALATUM, SEPTUM PALATI, UVULA, MUSCULI, &c.

486. Nomen Palati Fornici Oris, id eſt, toti concavitati ſpatii, quod a margine Alveolato & ab omnibus Dentibus Maxillae ſuperioris circumdatur, quodque ad magnam uſque Pharyngis aperturam extenditur, impoſitum fuit. Fornix hic ex parte firmus atque ſtabilis, & ex parte mollis atque mobilis exiſtit. Portio firma iſta eſt, quae praeciſe a Dentibus limitatur, & a duobus magnis Oſſibus Maxillaribus & a duobus Oſſibus, quae Oſſa Palati dicuntur, formatur. Portio mollis atque mobilis iſta eſt, quae poſterius magis exiſtit, retrorſum magis inclinat, atque ſpecies quaſi veli margini Oſſium Palati annexi eſt, quod partim a communi totius Fornicis Membrana, & partim a pluribus Faſciculis Muſculoſis, &c. formatur.

487. Membrana quae totam hancce extenſionem inveſtit, iſti, quae Fornicem atque magnam Pharyngis cavitatem obducit, ſimilis eſt. Granis Glanduloſis, quorum orificia ordinarie non ita in ſenſus incurrunt, quemadmodum in Pharynge

& in

& in rugis ipſius Fornicis, ubi Dominus Heiſterus orificium notabile, atque Canalem huic orificio proportionatum vidit, per quem mediante tubo ventum facili negotio introduxit, maximopere obſita eſt. Methodus quam maxime ſecura eſt, haſce examinis ſpecies ordiri, praecipue ſi ab initio tubus tantum proxime admovetur, nec ſtatim introducitur. Immerſio in aquam claram eo modo quem in genere propoſui, etiam bona methodus parva orificia Microſcopiorum ope detegendi exiſtit. Similes Ductus juxta longitudinem lineae mediae ſive Suturam referentis Fornicis Palati, & juxta longitudinem marginis Alveolati ob quorundam parvorum apicum ſive Tuberculorum praeſentiam ſuſpicari poſſent.

488. *Septum.* Membrana haec conjunctim cum iſta Narium poſteriorum ſuperficiem anteriorem atque ſuperficiem poſteriorem portionis mollis, ſive Septi Palati, mediante continuatione non interrupta, format, ita ut carnoſum hujus portionis Textum in duplicatione Membranae Glanduloſae exiſtat. Textum carnoſum Septi e Muſculis quorum Expoſitionem in ſequentibus videbimus, componitur.

489. *Uvula.* Septum, quod etiam Velum, imo Valvula quoque Palati vocari poteſt, inferius in marginem liberum atque fluctuantem deſinit, qui arcum peculiarem ſupra baſin ſive Radicem Linguae transverſim ſitum repraeſentat. Portio quam maxime elevata, ſive vertex hujus arcus parvum Corpus Glanduloſum, molliuſculum atque irregulariter conicum ſuſtinet, cujus baſis ar-

cui annectitur, atque apex liber deorſum pendet. Hoc eſt id, quod communiter Uvula appellatur.

490. *Columnae Septi.* Quatuor dimidii arcus Muſculoſi, in quolibet Uvulae latere duo ſunt, cum qua omnes ſuperioribus ſuis extremitatibus uniuntur. Ita diſpoſiti ſunt, ut inferiores duorum lateralium ejusdem lateris extremitates parumper a ſe invicem diſtent, atque e duobus dimidiis Arcubus lateralibus unus anterior atque alter poſterior ſit, qui triangulare oblongum intervallum, cujus apex ad latus baſis Uvulae eſt, inter ſe relinquunt.

491. Duo dimidii Arcus unius lateris eorundem cum duobus dimidiis Arcubus alterius lateris occurſu integrum marginis Septi Arcum formant. Dimidii Arcus poſteriores extremitatibus ſuis ſuperioribus directe magis quam dimidii Arcus anteriores verſus craſſitiem Uvulae excurrunt. Dimidii Arcus anteriores cum lateribus baſis Linguae, atque dimidii Arcus poſteriores itidem cum lateribus Pharyngis continuantur. Duo inferius in intervallo dimidiorum Arcuum lateralium utriusque lateris Faucium Corpora Glanduloſa, quae Amygdalae dicuntur, includuntur, de quibus ut & de Glanduloſo Uvulae Corpore poſtmodum in Expoſitione Glandularum Oris ſermo erit.

492. *Muſculi.* Dimidii Arcus praecipue ex diverſis Faſciis carnoſis, eodem fere modo uti corpus Septi componuntur. Membrana eosdem inveſtiens reliquo ipſius in Palato, in Pharynge & in Lingua continuationis tenuior exiſtit. Omnes

hae

hae Faſciae totidem Muſculi peculiares ſunt, qui quoad maximam partem una extremitate in craſſitie Septi atque in iſta dimidiorum Arcuum, atque altera extremitate in aliis partibus finiuntur.

493. Quoniam olim ii, qui tunc cogniti erant, citra mentionem Septi ad Uvulam referebantur, a quibusdam in genere Ptery-Staphilini, & ab aliis Periſtaphylini vocati fuere. Ultima pars harum duarum vocum, quae Graecae originis ſunt, Uvulam denotat; prima pars termini Ptery-Staphylini, compendium Pterygoïdeorum eſt, quo horum Muſculorum inſertiones indicare voluerunt; iſta nominis Periſtaphylini non niſi terminus eſt, qui circum, in vicinia, &c. ſignificat.

494. Lubenter termino Periſtaphylini, in nominibus Muſculorum qui Septo tantum deſtinati ſunt, tanquam termino generali uterer, atque diverſos terminos e quibus Recentiores nomina haec componunt, adderem. Aſt ne novum loquendi modum affectare videar, ordinarium retinebo, admonendo, quod terminus Staphylinus in nominibus hiſce compoſitis non praeciſe Uvulam denotet, ſed illius viciniam tantum indicet. Si nomina partim ex Graeca, partim ex Latina Lingua compoſita fabricare vellemus, exempli gratia loco Gloſſo-Staphylini, Gloſſo-Palatini &c. dicere poſſemus. Iſtos qui immediate ad Uvulam tendunt, ſimpliciter Staphylinos ſive Epiſtaphylinos vocabo, ſecundum termini Graeci ſignificationem enim parvo racemo admodum ſimilis eſt. En juxta hancce ideam horum Muſculorum nomina:

Gloſſo-Staphylini.
Pharyngo-Staphylini.
Thyro-Staphylini.
Pterygo-Salpingoïdei.
Spheno-Salpingo Staphylini, Periſtaphylini externi communiter dicti.
Pterygo-Staphylini ſuperiores.
Pterygo-Staphylini inferiores.
Petro-Salpingo-Staphylini, Pteryſtaphylini interni vocati.
Staphylini ſive Epiſtaphylini.

495. Gloſſo-Staphylini duo parvi Muſculi ſunt, quorum quilibet inferius laterali baſis Linguae parti annectitur, atque inde oblique retrorſum juxta longitudinem dimidiorum Arcuum anteriorum Septi Palati aſcendit, ſenſimque in utroque latere verſus Uvulam finitur, ubi quaedam ipſorum Fibrarum in latitudine Septi expanduntur. Duo hi Muſculi craſſitiem praecipue dimidiorum Arcuum anteriorum formant.

496. Pharyngo-Staphylini itidem duo parvi Muſculi ſunt, quorum quilibet una extremitate laterali Muſculorum Thyro-Pharyngeorum parti, quaſi portiones ab iisdem ablegatae eſſent, annectitur Inde juxta longitudinem duorum dimidiorum Arcuum poſteriorum Septi oblique antrorſum aſcendunt, & in hocce Septo ſupra Uvulam, ubi ſibi obviam fiunt, atque per ſpeciem unionis reciprocae ipſorum Fibrarum integrum Arcum formare videntur, finiuntur. Duo hi Muſculi craſſitiem dimidiorum Arcuum poſteriorum Septi formant.

497. Thy-

497. Thyro-Staphylini duo parvi Muſculi ſunt, qui Pharyngo-Staphylinos in toto ipſorum decurſu, excepto quod poſterioribus ſuis extremitatibus Cartilagini Thyroïdi prope reliquos annectantur, arcte admodum comitantur. Itidem ad craſſitiem dimidiorum Arcuum poſteriorum Septi ſymbolam contribuunt, cui eodem fere modo uti reliqui inſeruntur. Duo haec Muſculorum Paria ceu unicum conſiderari, atque Thyro-Pharyngo-Staphylini vocari poſſunt.

498. Spheno-Salpingo-Staphylini. Quilibet horum duorum Muſculorum una extremitate partim Sphenoïdeo portionis oſſeae Tubae Euſtachii lateri, partim portioni molli vicinae ejusdem Tubae annectitur. Inde verſus externam Apophyſis Pterygoïdeae Alam ſe confert, ubi portio hujus Muſculi huic Alae inſeritur; altera portio ad extremitatem Alae uſque deſcendit, circum parvum ejusdem Alae roſtrum ſive hamulum, uti circum apicem Trochleae ſeſe circumvertit, poſtmodumque Septo Palati verſus Uvulam inſeritur.

499. Duas haſce portiones tanquam duos Muſculos peculiares conſidero, quorum unus non niſi ad Tubam dilatandam, portio ſcilicet quae Apophyſi Pterygoïdeae annectitur, quaeque Pterygo-Salpingoïdaeus vocari poſſet, inſervire videtur. Altera portio verus Spheno-Staphylinus eſt, atque etiam reſpectu aliqualis in Tuba inſertionis Spheno-Salpingo-Staphylinus ſive Salpingo-Staphylinus externus appellari poteſt. Is iſte eſt, qui communiter Periſtaphylinus externus vocatur.

500. Pterygo-Staphylinus ſuperior non niſi externa Muſculi, quem modò expoſui, portio eſt, cuique nomen hocce etiam ideo convenit, quoniam ſuperiori Apophyſis Pterygoïdeae parti poſt ipſius in parte Sphenoïdali portionis Oſſeae Tubae inſertionem, parumper annectitur. Pterygo-Staphylinus inferior cujuslibet lateris parvus admodum Muſculus eſt, qui uno extremo hamulo Pterygoïdeo, atque altero Septo verſus Uvulam inſeritur. Haec Obſervatio Domini Heiſteri eſt.

501. Petro-Salpingo-Staphylini ſive Salpingo-Staphylini interni ii ſunt, qui communiter Periſtaphylini interni vocantur. Quilibet horum duorum Muſculorum una ſuarum extremitatum partim lateri interno, id eſt, petroſo portionis oſſeae Tubae lateri, partim juxta longitudinem portionis Cartilaginoſae ejusdem Tubae annectitur. Inde pauxillum infra mollem ſive Membranaceam portionem & prope Ceſticillum Tubae excurrit, atque deinde verſus Septum ſeſe vertit, in cujus marginem extremitate ſua, atque mediante certa ſuarum Fibrarum expanſione poſteriori ſive ſuperiori Septi faciei inſeritur. Duo hi Muſculi etiam Pteryſtaphylini interni appellati fuere.

502. Staphylini ſive Epiſtaphylini duo parvi Funiculi carnoſi valde ſibi invicem agglutinati ſunt, acſi unicum tantum conſtituerent, interim quibusdam in ſubjectis per lineam albam admodum ſubtilem a ſe invicem diſtinguuntur. Una ſuarum extremitatum communi marginis poſterioris Oſſis Palati apici annectuntur. Inde juxta longi-

longitudinem partis mediae Septi Palati retrorſum deſcendunt, fereque juxta totam longitudinem in medio craſſitiei Uvulae decurrunt. Nomen quoque Azygos Morgagni, qui eosdem ceu unicum & per conſequens imparem invenit, iisdem imponitur. Pterygo-Staphylini inferiores, de quibus ſupra dixi, ad hanc ſpeciem pertinent. Optime Staphylini ſive Epiſtaphylini laterales vocari, hique Staphylini ſive Epiſtaphylini medii appellari poſſent.

503. *Uſus.* Septum Palati ad Lympham Lacrymalem Mucculentamque Lympham quae continue in Palati fornice accumulantur, in Pharyngem deducendam inſervit. Valvulae loco eſt, dum ne ea, quae deglutiuntur, inprimis potulenta, per Nares regurgitent, impedit. Uſus diverſorum ipſius Muſculorum, neque etiam diverſi motus, quos inſtituere valet, quemadmodum videri poteſt, quando per tempus quoddam fundus Oris bene aperti in perſona, quae bene valet, conſideratur, nondum diſtincte ſatis cogniti ſunt. Alibi prolixior de his ero.

L I N G U A.

504. *Situs. Figura.* Quod Lingua Corpus illud carnoſum atque molliuſculum ſit, quod in cavitate Oris intervallum totius Arcus marginis Alveolati Maxillae inferioris atque totius ſeriei Dentium hujus Maxillae occupat, atque adhuc ulterius retrorſum extenditur, omnibus notum eſt. Hocce ſpatium itaque longitudinis latitudinisque Lin-

guae typus quaſi atque menſura eſt. Ipſius craſſities ipſiusque figura quoque eidem fere reſpondent.

505. *Diviſio.* In Baſin, in Apicem, in Faciem ſuperiorem ſive partem ſuperiorem, in Faciem inferiorem ſive partem inferiorem, & in portiones laterales ſive Margines diſtinguitur. Baſis poſteriorem ipſius atque craſſiſſimam partem conſtituit. Apex anterior ipſius atque tenuiſſima portio eſt. Superior Facies convexitas admodum plana, per lineam depreſſam admodum ſuperficialem, quae Linea Mediana Linguae dicitur, in duas dimidias laterales partes aequaliter diſtincta eſt. Margines ſive latera reliquo tenuiora, atque itidem uti apex parumper rotunda ſunt. Inferior Facies non niſi a dimidio longitudinis Linguae uſque ad ipſius apicem excurrit.

506. *Structura.* Lingua praecipue ex Fibris carnoſis admodum molliuſculis, Texto Medullari peculiari immiſtis, & varie admodum diſpoſitis, quarum plures a maſſa Linguae, absque ut ulterius extendantur, limitantur, reliquaeque Muſculos ſeparatos formant, qui vario modo ex eadem egrediuntur, aliisque partibus inſeruntur, compoſita eſt. Tota Faciei ſuperioris extenſio a craſſa Texti diverſis Papillis ſive Mamillis praediti Membrana, & praeterea Membrana admodum ſubtili, inſtar ſpeciei Epidermidis, quae inferiorem quoque faciem aſt ſimpliciter & absque Papillis contegit, inveſtitur.

507. *Papillae.* Tres in ſuperiore Linguae Facie Papillarum ſpecies diſtingui poſſunt, Papillae ſcilicet

licet nodoſae ſive capite inſtructae; Papillae ſemi-lenticulares & Papillae Villoſae. Iſtae primae ſpeciei craſſiſſimae ſunt, & inſtar Capitum ſive Fungorum parvo Collo ſive pediculo admodum brevi impoſitorum, ſive inſtar nodulorum apodum ſe habent. In baſi Linguae in parvis foſſulis ſuperficialibus parumper depreſſae & nidulatae quaſi inveniuntur.

508. Hae primae ſpeciei Papillae parvae quaſi Glandulae conglomeratae, baſi admodum anguſtae impoſitae ſunt, & quaelibet quandoque parva in medio ſuae ſummitatis ſive convexitatis depreſſione notatur. Superficiem totius baſis Linguae occupant, in qua una prope alteram huncque in modum invicem ſitae ſunt, ut quam maxime anteriores diſpoſitione ſua angulum forment. Papillae Glanduloſae, totidemque parvae Glandulae Salivales ſive Mucculentae ſunt, quae in reliquarum Glandularum Salivalium, de quibus poſtmodum ſermo erit, ordinem referri poſſunt.

509. *Foramen Glanduloſum.* In medio hujus loci Linguae ſaepiſſime peculiare plus minusve profundum Foramen conſpicitur, cujus ſuperficies interna tota glanduloſa atque parvis nodulis Papillis iſtis primae ſpeciei ſimilibus repletur. Foramen caecum Morgagni, quoniam ab hocce illuſtri Auctore primum luci expoſitum fuit, vocatur. Dominus Vaterus ulterius progreſſus eſt, atque Ductus in eodem indicavit, qui Salivales eſſe viſi ſunt. Dominus Heiſterus duos ex hiſce Ductibus, quorum orificia in fundo Foraminis caeci unum ad

ad latus alterius erant, diſtincte admodum detexit. Quod Ductus hi, a ſe invicem parumper diſcedendo retrorſum excurrant, invenit, quodque alteruter eorum per parvam oblongam Veſiculam, cujus fundus in latere parvi Cornu Oſſis Hyoïdis erat, finiatur, invenit.

§ 10. Papillae ſecundae ſpeciei ſive Papillae ſemi-lenticulares, parvae eminentiae orbiculares, convexitate complanata praeditae ſunt, quarum margo circularis a ſuperficie Linguae non ſeparatur. Quando in Lingua ſana boni Microſcopii ope examinantur, tota earundem convexitas parvis foraminibus ſive poris, fere uti convexitas digitalis ſive umbo vaſis irrigationi inſervientis, notata reperitur.

§ 11. Mediam atque anteriorem Linguae partem plus minusve occupant, & quandoque verſus latera harum partium magis quam alibi conſpici poſſunt. Admodum politae oculo ſolo, Microſcopio non armato ſaepius in vivis etiam eſſe videntur. Facile poſt mortem ſuam firmitatem perdunt, ita ut, quando reiteratis vicibus fricantur, prolongari atque inſtar parvarum molliuſcularum laterique incumbentium pyramidum reddi poſſint.

§ 12. Papillae tertiae ſpeciei ſive Papillae Villoſae omnium minimae atque numeroſiſſimae ſunt. Totam extenſionem ſuperficialem Faciei ſuperioris Linguae etiam in reliquarum Papillarum intervallis occupant. Melius Papillae Conicae, ſecundum conformationem quam, quando Microſcopii ope in aqua clara examinantur, exhibent,

quam

quam Papillae Villoſae vocantur. Naturaliter molliuſculae ſunt, aſt poſt mortem flaccidae admodum fiunt, ita ut easdem contrectando ex longis atque tenuibus, quales ſunt, facili negotio breves atque craſſae reddantur.

513 *Muſculi Intrinſeci.* Ita carnoſas ſive Muſculoſas Fibras e quibus maſſa Linguae componitur, quaeque ex parte ab hac maſſa, absque ut ulterius extendantur, limitantur, voco: Spigelius iisdem Muſculorum Lingualium nomen dedit. In genere tres Fibrarum ſpecies in eadem reperiuntur, Fibrae ſcilicet longitudinales, transverſales, verticales; & in qualibet trium harum ſpecierum Fibrae partim directe, & partim oblique, & quidem per diverſos gradus plus minusve tales exiſtunt. Fibrae longitudinales baſin & apicem Linguae reſpiciunt, atque ex parte Muſculorum Stilo-Gloſſorum, Hyo-Gloſſorum atque Genio-Gloſſorum, de quibus poſtmodum ſermo erit, expanſiones eſſe videntur. Verticales itidem ex parte ab iisdem Genio-Gloſſis, quemadmodum Transverſales a Mylo-Gloſſis produci videntur.

514. Praeter intermixtas haſce productiones peculiare Fibrarum longitudinalium Planum, quae in ſuperficie prope ſuperiorem Linguae faciem excurrunt, atque peculiare Fibrarum transverſalium Planum infra primum reperitur; quae Fibrae ex parte ſibi invicem implicantur, ſuisque extremitatibus quaedam verſus Linguae margines, reliquaeque verſus baſin atque apicem, absque ut maſſam ſive corpus Linguae relinquant, finiuntur.

Imme-

Immediate ſupra iſtas, quae ad Genio Gloſſos pertinent, exiſtunt. Quo diverſae hae Fibrae, diverſique earum directionis gradus conſpici poſſint, Lingua praecipue quando cocta, aut diu in aceto forti macerata fuit, ſecundum longitudinem atque transverſim diſcindenda eſt.

515. *Muſculi Extrinſeci.* Ii ſunt, qui una ſuarum extremitatum in corporis Linguae compoſitionem intrant, poſtmodumque extra Linguam uſque ad alias partes, quibus alteris ſuis extremitatibus inſeruntur, extenduntur. Quatuor eorundem Paria communiter inveniuntur, quorum nomina ſequentia ſunt:

Mylo-Gloſſi.
Stilo-Gloſſi.
Hyo-Gloſſi.
Genio-Gloſſi.

516. Muſculi qui Os Hyoïdes in ſpecie movent, quorumque Expoſitionem in Tractatu de Muſculis Oſſibus unice annexis tradidi, itidem ad Linguam pertinent, primariique motuum ipſius Directores ſunt. Hic eosdem nominando in memoriam revocare ſufficit, ſcilicet:

Mylo-Hyoïdei.
Genio-Hyoïdei.
Stilo-Hyoïdei.
Homo-Hyoïdei.
Sterno-Hyoïdei.

517. Mylo-Gloſſi duo parva Plana carnoſa ſunt, unum in uno latere & alterum in altero latere, inter Ramum Maxillae inferioris atque Linguae

guae baſin transverſim ſita. Eorundem in Maxilla inſertio immediate ſupra dimidium poſteriorem Muſculi Mylo-Hyoïdei partem, inter lineam prominentem obliquam faciei internae Maxillae, infra Dentes Molares contingit. Inde ad latus baſis Linguae ſe conferunt, ibique ad latus Gloſſo-Pharyngei obliterantur. Saepius non apparent.

§ 18. Stilo-Gloſſi duo Muſculi longi & graciles ſunt, qui ab Apophyſibus ſive Epiphyſibus Stiloïdeis deſcendunt, quorumque quilibet portionem partis lateralis Linguae format. Quilibet eorum externo Apophyſis Stiloïdeae lateri mediante Tendine longiuſculo inſeritur. E tribus Muſculis qui Stilo Oſſis Temporum annectuntur, quique conjunctim id, quod hic communiter Sertum Riolani vocatur, formant, ſuperior eſt. Stilo-Hyoïdeus e tribus inferiorem, atque Stilo-Pharyngeus medium quaſi inter eosdem locum poſterius occupat.

§ 19. E regione fere lateris interni Anguli Maxillae inferioris deſcendendo, lateraliter Ligamentum Aponevroticum parumper latum aſt breve de ſe ſpargit, quod angulo adhaeret, & quo mediante in hoc ſui trajectus loco quaſi ſuſpenditur aut frenatur. Inde ad latus baſis Linguae excurrit, ubi mox cum laterali Muſculi Hyo-Gloſſi portione arcte unitur, poſtmodumque cum hac portione notabilem partem lateris Linguae conſtituit.

§ 20. Hyo-Gloſſorum quilibet tribus vicinis Oſſis Hyoïdis portionibus, baſi ſcilicet ſive primariae hujus Oſſis parti, baſi ſive radici magni

Cornu

Cornu, atque Symphyſi hujus Cornu cum Baſi Oſſis annectitur. Id quod, ut Muſculi hi pro duobus aut tribus Muſculis peculiaribus, ſub Baſio-Gloſſi, Cerato-Gloſſi & Chondro-Gloſſi nominibus haberentur, occaſionem ſubminiſtravit. Quibusdam in ſubjectis ſatis diſtincti, ſibique invicem ſimpliciter quaſi agglutinati eſſe apparent. Ne vero memoria praeter neceſſitatem oneretur, ſub generali Hyo-Gloſſi nomine comprehendi poteſt.

521. Itaque unicus tantum Muſculus eſt in interno Stilo-Gloſſi latere, magisque quam hic inferius ſitus, cum quo lateralem Linguae partem format. Portio, quae baſi Oſſis Hyoïdis annectitur, magis anterior eſt, duasque reliquas portiones volumine ſuperat. Iſta quae Symphyſi Cartilaginoſae Cornu cum baſi adhaeret, minima exiſtit; iſtaque quae Cornu adhaeret, maxime retrocedit, ſive poſtrema eſt. Muſculus hic a Mylo-Hyoïdeo, ceu a cingula ex parte ſuſtinetur. Anterior Portio a reliquis per Nervos quinti Paris & Arterias, quae ibidem tranſeunt, diſtinguitur.

522. Genio-Gloſſi Muſculi ſunt, quorum unus ad latus alterius juxta longitudinem faciei inferioris Linguae locatur. Quilibet eorum faciei internae ſive poſteriori Symphyſis Maxillae inferioris, immediate ſupra Genio-Hyoïdei annexum inſeritur. Inde retrorſum verſus Os Hyoïdes excurrit, cui Fibrae quam maxime inferiores per Membranam ligamentoſam tranſeundo adhaerent. Cunctas ſuas Fibras in hocce trajectu in craſſitie Linguae modo ſingulari expandit.

523.

523. Ex cunctis hiſce Fibris quaedam recta verſus Os Hyoïdes uſque ad baſin Linguae excurrunt. Quaedam anteriora verſus incurvantur, & in Linguae apice diſtribuuntur. Reliquae Radiorum inſtar antrorſum, ſurſum & retrorſum in Linguae craſſitie diſperguntur. Ex cunctis hiſce Fibris mediae lateraliter etiam verſus latera Linguae expanduntur.

524. Duorum Genio-Gloſſorum unus alteri applicatur, atque unicam quaſi maſſam invicem formant; aſt per Celluloſam admodum tenuem Membranam, quae intermedium inter hos duos Muſculos Septum conſtituit, imo etiam profunde admodum inter duas dimidias laterales Linguae partes, dextram ſcilicet atque ſiniſtram penetrat, dividuntur. Membranaceum hoc Septum in eodem plano & in eadem directione quam Mediana faciei ſuperioris Linguae linea conſtituitur.

525. Quando duorum horum Muſculorum extremitates a Mento ſeparantur, ita abbreviantur, ut eaedem hae extremitates, quae in naturali ſuo ſtatu infra apicem Linguae ſunt, mox infra medium ſeſe locent. In hocce ſitu perturbato & contra naturam Muſculi hi in Figuris a Viris admodum doctis evulgatis, & ab Artificibus ceterum dexterrimis delineatis atque exſculptis repraeſentati conſpiciuntur. Id quod interim, ne & verum & pulchrum eorundem mechaniſmi intelligi queat, impedit.

526. Duo hi Muſculi poſterioribus ſuis atque rectis ad baſin excurrentibus Fibris Linguam ex-

tra Os protrahere poſſunt. Anterioribus ſuis atque incurvatis, ad apicem tendentibus Fibris eandem retrahere aut reducere valent. Linguam ſucceſſive aut ſimul & ſemel juxta longitudinem inſtar imbricis cavam reddere poſſunt. Eodem tempore laterali ipſorum Fibrarum mediarum expanſione Linguam abbreviare valent. Plures alios motus, quos duo hi Muſculi exerere poſſunt, quique quondam in Curſibus meis privatis me eo induxerunt, ut Muſculos hos Polychreſtos eſſe, id eſt, pluribus uſibus gaudere dixerim, hic omitto.

527. Dum Stilo-Gloſſi ſeſe contrahunt, quilibet Linguam verſus Genam vertere, atque alimenta inter Dentes Molares ſuperiores & inferiores pellere poteſt. Quando hi Muſculi cum portionibus lateralibus Plani carnoſi ſuperioris maſſae Linguae conjunctim agunt, Linguam oblique ſurſum inter Dentes Maxillae ſuperioris verſus Genam vertere poſſunt, ut alimenta, quae poſt maſticationem quandoque ibidem remanent, ex loco quaſi expellamus. Quando cum lateralibus Hyo-Gloſſorum portionibus conjunctim agunt, Linguam deorſum inter Dentes inferiores atque Genam vertere poſſunt.

528. Hyo-Gloſſi ſimultanea omnium ipſorum portionum actione Linguam abbreviare poſſunt. Ipſius extremitatem ſive apicem quoque inter Dentes atque Labium inferius vertere, eamque ſupra hocce Labium elevare valent. Carnoſum ſuperius maſſae Linguae Planum eandem ſurſum verſus Palatum incurvare poteſt. Ipſa illius auxilio Labium

bium ſuperius lambere poteſt. Mylo-Gloſſi unum baſis Linguae latus frenare poſſunt, dum apex ipſius verſus alterum latus vertitur. Ligamenta ſuſpenſoria Stilo-Gloſſorum eidem uſui inſervire, imo Mylo Gloſſorum defectum ſupplere poſſunt.

§ 29. Praeter Membranas Linguae, quarum Expoſitionem ſupra tradidi, de tertia quadam, quam Membranam Reticulatam vocant, quamque communiter in Linguis Boum atque Vervecum coctis monſtrant, ſermonem inſtituere ſolent. Imo, quod in Homine eandem demonſtraverint, contenderunt. Fateor me hoc praeſtare non potuiſſe. Quod iſta quae a Linguis Bovinis atque Vervecinis coctis detrahi poteſt, minime vera Membrana ſit; quod ſpecies materiae ſive ſubſtantiae mucculentae & clarae inter Membranam mamillanam atque Membranam externam ſive Epidermoïdem expanſae ſit, quae materia coctione alba fit, tantamque firmitatem acquirit, quo notabiles portiones detrahi queant, quodque foramina, quae eandem reticulatam reddunt, a parvis Papillis pyramidalibus in eadem effingantur, ante valde longum tempus monſtravi.

§ 30. *Inſertiones. Ligamenta.* Lingua nonſolum mediantibus Muſculis in Ore firmatur, ſed & mediantibus Ligamentis, quae quoad maximam partem Membranacea ſunt, ibidem annectitur. Primarium horum Ligamentorum illud eſt, quod Frenum Linguae vocatur. Prominens Plica eſt, quae ſtatim ſub Lingua, dum apex Ore aperto parum attollitur, apparet, quaeque non niſi con-

tinuatio & laxa quaſi Membranae, qua inferior Oris cavitas inveſtitur, duplicatio exiſtit. Plica haec curvaturam portionis anterioris Muſculorum Genio Gloſſorum ab apice Linguae uſque infra medium Dentium Inciſorum inferiorum intervallum contegit.

531. Reliqua Ligamenta Linguae ſunt, parva Plica Membranacea, quae juxta longitudinem partis mediae convexitatis Epiglottidis uſque ad baſin Linguae excurrit, atque plicae membranaceae, quae dimidios Arcus inferiores Septi Palati involvunt. Tres hae plicae itidem Membranae, quae partes vicinas contegit, continuatio exiſtunt. Ligamenta Aponevrotica Muſculorum Stilo-Gloſſorum ceu vera lateralia Linguae Ligamenta conſiderari poſſunt. Inferiori Muſculi Pterygoïdei interni ſive anterioris parti paululum agglutinantur.

532. *Vaſa Sanguifera.* Haec praecipue ea exiſtunt, quae adeo diſtincte ſub Lingua, aut ut melius me explicem, in inferiore Linguae Facie in quolibet latere Freni apparent. Quatuor adſunt, Arteria atque Vena, quae in quolibet latere ſe mutuo comitantur. Venae atque Arteriae Sublinguales ſive Arteriae & Venae Raninae appellantur. Venae in latere Freni, & Arteriae in latere Venarum locantur. Quaelibet harum Arteriarum ſecundi Rami interni ſive anterioris Arteriae Carotidis externae Ramulus eſt, & cum primi Rami externi ſive poſterioris ejusdem Carotidis Ramulis communicationem alunt, &c. Venae ordinarie Rami Venae Jugularis externae anterioris, craſſi

craſſi ſcilicet Rami, de quo in Tractatu de Venis (n. 79.) dictum fuit, Ramuli exiſtunt.

533. *Nervi Linguae.* Quatuor Nervorum Funiculi diſtincte admodum ad baſin Linguae excurrere, ibique iter ſuum juxta totam longitudinem in ipſius craſſitie ad apicem uſque continuare cernuntur. Duo ex hiſce Funiculis Ramuli Nervorum Maxillarium inferiorum, id eſt, Ramuli tertii Rami quinti Paris Nervorum Medullae Oblongatae ſunt. Duo reliqui Nervi noni Paris ſunt. In Tractatu de Nervis priores parvos Linguales ſive parvos Hypogloſſos atque alteros magnos Nervos Linguales ſive Nervos Hypogloſſos magnos appellavi. Magni inferiores atque interni ſunt. Parvi ſuperiores & externi ſive laterales ſunt. Parva portio ſive primus Ramus Nervi Sympathici medii ſive octavi Paris Nervum quoque peculiarem in quolibet Linguae latere producit.

534. Magnus cujuslibet lateris Nervus Lingualis antrorſum inter Muſculum Mylo-Hyoïdeum & Muſculum Hyo-Gloſſum, ſub Muſculo Genio-Gloſſo repit, & in cunctis Fibris carnoſis uſque ad apicem Linguae, mediantibus plurimis parvis Filis cum parvo Linguali imo etiam cum iſto octavi Paris communicando diſtribuitur. Reliquae ipſius diſtributiones atque communicationes in Tractatu de Nervis videantur.

535. Parvus Lingualis cujuslibet lateris Nervus a Nervo Maxillari inferiori in tranſitu, & quandoque ante tranſitum hujus Nervi inter duos Muſculos Pterygoïdeos ablegatur. Poſtmodum ma-

gis magisque ab eodem ſecedit, atque infra lateralem Linguae partem, & ſupra Glandulam ſublingualem, de qua poſtmodum ſermo erit, excurrit. Vicinis Linguae portionibus in tranſitu proſpicit, tandemque in ipſius craſſitiem ſe inſinuat, atque verſus ipſius apicem finitur, poſtquam plura in toto hocce decurſu Fila ad Tunicam mamillanam ablegavit. Cum magno & cum parvo Nervo octavi Paris, uti ſupra dictum fuit, communicationem alit.

536. Nervus hicce Lingualis, parumper poſt ipſius a Nervo Maxillari inferiore ſeceſſionem, parvum Nervum peculiarem generat, qui verſus Articulationem Maxillae inferioris retrorſum aſcendit, Tendinem Muſculi lateralis Mallei Auris internae comitando, Capſam inter Manubrium Mallei atque Crus longum Incudis, ſub nomine Chordae Tympani percurrit, poſtmodumque per poſteriorem Capſae parietem penetrat, ubi cum dura Nervi Auditorii portione unitur, quemadmodum antea in Expoſitione partium Auris internae dixi.

537. Parva haecce Chorda Nervea ab Anatomicis tanquam ſpecies parvi Nervi Recurrentis Nervi Lingualis conſiderata fuit; aſt quoniam quibusdam in ſubjectis cum Nervo Linguali ſimpliciter Angulum acutum, cujus apex antrorſum vertitur, conſtituere, Nervusque Lingualis poſt huncce Angulum parumper craſſior eſſe videtur, eundem potius a Capſa venire & cum Nervo Linguali uniri, quam ex hocce Nervo oriri, & ab eodem ad Capſam aſcendere cenſendum eſt. Dantur ſubjecta

in

in quibus parvi hujus Nervi cum Nervo Linguali unio plexiformis quaſi exiſtit, & difficulter admodum evolvitur. Videatur Tractatus de Aure.

538. Lingualis octavi Paris Medullae Oblongatae Nervus, ſive primus Ramus hujus Paris, ſtatim in interno Muſculi Digaſtrici Maxillae inferioris latere excurrit, Muſculisque Genio-Hyoïdeis, Muſculis baſi Linguae vicinis, iisque Pharyngis proſpicit. Poſtmodum Ramuſculos atque communicationes in Tractatu de Nervis expoſitas format, tandemque in inferiorem Linguae partem ſe confert, ibique cum Linguali quinti Paris Ramulo, & cum Linguali noni Ramulo communicationem alit.

539. *Uſus Linguae.* Praecipue Organo Senſus peculiaris, qui Guſtus vocatur, & quidem mediantibus ſuis Papillis, inprimis Papillis Villoſis ſive Pyramidalibus inſervit. In quantum & quomodo Papillae ſemi-lenticulares ad eundem contribuant, nondum evidens eſt. Quod Papillas nodoſas ſive Capite inſtructas attinet, tanquam Salivalium diſperſarum Glandularum ſpecies conſiderari poſſunt.

540. Unum quoque ex praecipuis inſtrumentis Loquelae atque articulationis Vocis eſt. Riolanus in ſua Anthropographia ſe infantem quinque annos natum vidiſſe dicit, qui poſtquam Linguam per Variolas malignas amiſerat, Uvula integra remanſa, non aut admodum parum uſu Loquelae privatus fuit. Sine dubio baſis Linguae ibi ſuperſtes manſerat. Dominus de Juſſieu Obſervationem

nem in Actis Academiae Regiae Scientiarum de filiola quadam, quae loquebatur, licet absque Lingua nata fuerit, in cujus locum non niſi ſpecies parvae eminentiae aderat, inſeruit.

541. Ad fruſta inſuper, quae maſticantur, colligenda, ad eadem hinc & illinc vertenda, ad detergendum id quod Palato adhaeret, ad ſpuendum, ad ſugendum, &c. inſervit. Multum quoque adjuvantibus Muſculis Digaſtricis ad deglutitionem confert, qui contractione ſua, eodem tempore quo reliqui Muſculi Maxillam inferiorem Maxillae ſuperiori admotam tenent, Os Hyoïdes attollunt, illudque in convenienti altitudine figunt, qua Muſculi Stilo-Gloſſi & Hyo-Gloſſi Linguae Baſin retrorſum contra fruſtum volvunt, ſicque ut eadem fruſtum hocce in Pharyngem intrudat, efficiunt, cujus tunc immediate ſupra fruſtum exiſtentes portiones mox ſeſe contrahunt, illudque verſus Oeſophagum propellunt.

MALAE. LABIA. GINGIVAE.

542. Malae atque Labia parietes atque introitum cavitatis Oris conſtituunt. In genere a connexione plurium Segminum carnoſorum, plus minusve latorum, circum convexitatem duarum Maxillarum annexorum, exterius a Cute atque Texto pingui tectorum, & interius Membrana Glanduloſa inveſtitorum componuntur. Labia praeter hancce compoſitionem ſpongioſo quodam atque molliuſculo Texto, quod certis in occaſionibus, absque concurſu actionis Muſcularis eorundem portionum carnoſarum intumeſcit atque detume-

detumeſcit, gaudere videntur. Adipoſo Texto intermixtum eſt.

543. Textum quod rubicundum Labiorum marginem format, quam maxime a vicinae Cutis Texto differt. Craſſities ipſius congeries Papillarum villoſarum, longiuſcularum, admodum ſubtilium, ſibique invicem arctiſſime agglutinatarum, pellicula admodum ſubtili, quae reciproca Epidermidis atque Pelliculae ſupra Glanduloſam cavitatis Oris Membranam extenſae continuatio eſſe videtur, contectarum exiſtit. Textum hoc admodum ſenſibile exiſtit, quod quando minima tantum portio ipſius Epidermidis ablata eſt, multa incommoda parit. Interna Labii ſuperioris Membrana parvum frenum intermedium ſupra priores Dentes Inciſores format.

544. Textum illud coriaceum & rubicundum quod duas facies totius marginis Alveolati utriusque Maxillae contegit, inter omnes Dentes continuatur, collare cujuslibet Dentis in ſpecie circumdat, ibique mediante quam intima adhaeſione annectitur, Gingivas vocant. Gingivae itaque externae atque Gingivae internae non niſi unum idemque continuum conſtituunt, totidemque invicem foramina atque aperturas, quot Dentes adſunt, conſtituunt.

545. Textum hocce Gingivarum ſtructura valde ſingulari gaudet, atque fere inſtar materiei Pilei quam maxime conſtrictae & elaſticae ſeſe habet. Non immediate Oſſi Maxillarum annectitur; ſed mediante Perioſtio, cum quo plane unitum eſt,

& a Membrana ſubtili, robuſta, cujusque ſuperficies aequalis eſt, contegitur, quae Membrana itidem Texto arcte admodum adhaeret, & nihilominus Membranae tenuis, quae ad Labia atque Malas tendit, iſtiusque quae ad Linguam ſe confert, continuitas eſſe videtur.

546. Arteriae quae Labia, Malas atque Gingivas petunt, Arteriae Carotidis externae, & praecipue Rami, quem Arteriam Maxillarem externam in Tractatu de Arteriis, (n. 55.) vocavi, atque iſtius, quem Arteriam Maxillarem internam (n. 58.) appellavi, Ramuſculi ſunt. Iterum iterumque, ut harum Arteriarum diſtributiones diverſaeque communicationes in locis citatis relegantur, ſuadeo. Venae quae Sanguinem ex iisdem revehunt, Venae Jugularis externae anterioris Ramuſculi ſunt, (n. 72. &c.).

547. Nervi harum partium praecipue a Nervo Maxillari ſuperiori, & a Nervo Maxillari inferiori, qui duo Rami quinti Paris Medullae Oblongatae ſunt, proveniunt. A dura quoque Nervi Auditorii ſive parvi Nervi Sympathici portione, cujus Ramuſculi admodum ample in tota harum partium extenſione diſperguntur, procedunt; atque cum Nervis quinti Paris pluribus in locis modo admodum peculiari, quemadmodum in Tractatu de Nervis videre eſt, communicationem alunt.

MUSCULI LABIORUM.

548. Tantae in hiſce Muſculis in diverſis ſubjectis variationes occurrunt, ut Deſcriptiones, quas Anatomici de iisdem dederunt, adeo inter ſe differre,

differre, minime mirandum ſit. Dantur Subjecta, in quibus Muſculorum portiones deficiunt; alia in quibus fere impoſſibile eſt, ut ob ſummum Fibrarum pallorem atque tenuitatem diſtincte ſatis evolvi queant. Dantur, in quibus revera faſciculi peculiares reperiuntur, qui in aliis plane non inveniuntur. Ante quindecim circiter annos vetulam diſſecui, in qua ſola multa peculiaria, quae in magno aliorum ſubjectorum numero, quamvis diſſectioni magis apta fuerint, non inveni, mihi occurrerunt. Muſculi Faciei in genere in fœmina hacce praeter conſuetudinem multiplicati atque bene diſtincti erant. Inter alias Obſervationes peculiares de iisdem ſermonem inſtituam.

549. Muſculi Labiorum ordinarie in communes atque proprios dividuntur. Communes ii vocantur, qui Angulos ſive Commiſſuras duorum Labiorum attingunt. Proprii ii ſunt, qui non niſi eorundem alterutri ſive ſuperiori, ſive inferiori inſeruntur, hincque in Proprios Labii ſuperioris, & in Proprios Labii inferioris dividuntur. Omnibus hiſce Muſculis nomina peculiaria imponuntur, quorum quaedam a peculiari quadam conformatione, alia a loco inſertionis ſive ſitus, & plura ab uſibus, qui iisdem attribuuntur, deſumta ſunt.

550. Hic eorum quos demonſtrare poſſum expoſitionem ſuppeditabo. De iis, quos nondum inveni, imo nondum vidi, nihil dicam, quamvis horum illuſtrium Anatomicorum, qui eorundem deſcriptionem divulgaverunt, quique inſuper in-

dubitata

dubitata teſtimonia ſubminiſtrant, quod in Operibus ſuis veritati ſtudeant, accurationem neutiquam ſuſpectam habeam. Nomina ab uſibus atque functionibus deſumta ſummo ſtudio evito, partim quo me ad ea, quae alibi de functionibus Muſculorum in genere dixi, conformem, partim ob meam ſuper quibusdam functionibus quas hiſce in ſpecie attribuunt incertitudinem, partimque quo Anatomicos, imo etiam Tyrones, quique me melius hariolari poſſunt, incitem.

551. En eorum, intra quos ego ſubſiſto, enumerationem:

Communes.
Semi-Orbiculares.
Supra-Semi-Orbiculares.
Buccinatores.
Zygomatici majores.
Proprii Labii ſuperioris.
Zygomatici minores.
Canini.
Inciſores Laterales.
Inciſores Medii.
Proprii Labii inferioris.
Triangulares.
Collaterales Triangularium.
Quadratus.
Inciſores inferiores.
Platismamyoïdes ſive Cutanei.

552. Labium ſuperius etiam quandoque actione Muſculorum Naſi, praecipue eorum qui Pyramidales vocantur, movetur. Duo Labia ſimul

ſimul, uti etiam alterutrum eorum ſeparatim ſuctione absque concurſu ipſorum Muſculorum moveri poſſunt.

553. *Semi-Orbiculares.* Communiter pro unico Muſculo, qui duo Labia circumdat, cuique Orbicularis nomen imponitur, habentur; quando vero Anguli Labiorum bene examinantur, Fibras Labii ſuperioris Fibras Labii inferioris ibidem decuſſare apparebit, Muſcularisque unius Labii Arcus a Muſculari Arcu alterius diſtinguitur. Unde duos conſtituo, quos in genere Semi Orbiculares, & in ſpecie unum Semi-Orbicularem ſuperiorem, & alterum Semi-Orbicularem inferiorem voco. Convenientius Semi-Ovales appellarentur.

554 Semi-Orbicularis ſuperior ſaepius inferiore latior eſt. Inſuper hoc peculiare habet, quod non omnes ipſius Arcus Fibrae ad Oris angulum tendant, ſed per gradus inter medium atque extremitates hujus Arcus, fere uti Semi-Ovales Palpebrae ſuperioris Fibrae finiantur. Semi-Orbicularis inferior ordinarie magis in Fibrarum ſuarum diſpoſitione uniformis eſt.

555. *Supra-Semi-Orbiculares.* Fibrae ſunt, quae ſuperius latitudinem duarum portionum lateralium Semi-Orbicularis ſuperioris augent, atque primo intuitu continuationem Arcus uti hicce Semi-Orbicularis formare videntur; aſt quando bene examinantur, vicinas earundem extremitates per parvum intervallum diſtinctas, Gingivis e regione marginum Foſſulae cutaneae, quae a Septo Naſi uſque verſus medium marginis Labii ſuperioris

rioris deſcendit, annexas reperies, reliquaeque extremitates cum iſtis Semi-Orbicularis ſuperioris confunduntur.

556. *Buccinatores.* Duo ſunt, quorum quilibet transverſim inter poſteriorem duarum Maxillarum partem atque angulum Oris locatur. Inſtar trianguli aut potius Trapezii poſterius lati, anterius minus lati ſunt, atque utramque Malam ex parte formant. Quandoque etiam Muſculi Malae vocantur. Quo diſtinctam de iisdem ideam nobis formare poſſimus, peculiare in quolibet latere Ligamentum, quod Ligamentum Inter-Maxillare voco, quoniam connexionem duarum Maxillarum conſtituit, quodque poſterioribus Fibrarum Buccinatoris extremitatibus inſertionem praebet, nobis cognitum eſſe debet.

557. *Ligamenta Inter-Maxillaria.* Duo ſunt, in quolibet latere unum. Ligamentum hoc robuſtum, & mediocriter latum eſt. Uno extremo externae Maxillae ſuperioris faciei ſupra ultimum Dentem Molarem, & ad latus Apophyſis Pterygoïdeae annectitur, ubi Muſculo Pterygoïdeo inferiori ſive interno quaſi agglutinatur. Altero extremo extremitati poſteriori ſive ſuperiori Lineae prominentis obliquae faciei externae Maxillae inferioris, infra ultimum Dentem Molarem annectitur. Ad Maxillam inferiorem frenandam, ipſiusque depreſſionem, quando Os aperitur, limitandam quoque inſervit. Hoc quando apice digiti Ori immiſſo ibidem tangitur, inprimis quando Os multum aperitur, quis in ſe ipſo experiri poteſt.

558. Qui-

558. Quilibet Buccinatorum poſterius tribus locis annectitur. Fibrae mediae Ligamento Inter-Maxillari transverſim annectuntur, atque directe verſus Oris angulum excurrunt. Superiores juxta totam longitudinem ab Alveolis Maxillae Superioris per gradus quaſi procedunt, & verſus Oris angulum pauxillum oblique deſcendunt. Inferiores eodem modo a Maxilla inferiori, aſt aſcendendo, veniunt. Omnes hae Fibrae Commiſſuram Labiorum petendo pedetentim colliguntur, ubi retro extremitates atque unionem Muſculorum Semi-Orbicularium, qui easdem contegunt, quibusque fortiter annectuntur, repunt. Magnum hic inter huncce Muſculum atque Maſſeterem cavum adeſt, quod cavum a pinguedine repletur.

559. *Zygomatici majores.* Duo ſunt, quorum unus in latere dextro, & alter in latere ſiniſtro inter Os Zygomaticum atque Oris angulum locatur. Quilibet horum duorum Muſculorum gracilis, longus, obliquus exiſtit, una extremitate Oſſi Malae, margini ſcilicet inferiori portionis, quae cum Apophyſi Zygomatica Oſſis Temporum conjuncta eſt, annectitur. Inde a poſteriori oblique admodum antrorſum deſcendit, multaque ordinarie in hocce trajectu pinguedine circumdatur. Commiſſuram duorum Labiorum, Buccinatori, qui eundem contegit, fortiter adhaerens petit. Quandoque, imo ſaepiſſime, compoſitus exiſtit.

560. *Zygomatici minores.* Duo parvi Muſculi admodum graciles ſunt, ſupra Zygomaticos majores

jores ſiti, atque cum illis fere paralleli. Superior eorundem extremitas ablegatio & continuatio quaſi Fibrarum inferiorum Muſculi Orbicularis Palpebrarum, a quo nihilominus diſtingui poteſt, eſſe videtur. Inferior eorundem extremitas cum Muſculo Inciſore vicino unitur. Pinguedine quaſi ſepelitur, unde ſaepius non apparet.

561. *Canini.* Quilibet horum duorum Muſculorum una extremitate Maxillae ſuperiori, ſupra Alveolum Dentis Canini, in depreſſione infra inferiorem Orbitae marginem verſus Os Malae late annectitur. Inde inferiorem Zygomatici majoris extremitatem, qui eundem hoc in loco contegit, decuſſando parumper oblique deſcendit. Poſtmodum extremitatem Arcus Semi-Orbicularis ſuperioris attingit, magisque inferius mediantibus quibusdam Fibris cum Triangulari communicationem alit. Unde huncce Muſculum quondam pro neutro, id eſt, neque pro proprio Labii ſuperioris, neque pro communi duorum Labiorum habui.

562. *Inciſores laterales.* Quilibet horum duorum Muſculorum Biceps quaſi eſt, cum ſuperius duabus portionibus inſtruatur, quae inferius invicem redadunantur. Una harum portionum ſive extremitatum ſuperiorum alteram magnitudine ſuperat. Major Oſſi Maxillari ſub intermedio Muſculi Orbicularis Palpebrarum Tendine annectitur, & mediantibus quibusdam Fibris cum Fibris vicinis ejusdem hujus Muſculi communicare videtur. Inde juxta longitudinem Apophyſis Naſalis, parumper oblique verſus Malam atque

cum

cum Pyramidali Naſi Muſculo confuſus, Naribusque Fibras quasdam largiens deſcendit. Poſtmodum Muſculo Myrtiformi ſive Transverſali Naſi adhaerens ſupra eundem excurrit, & cum altera portione unitur.

563. Portio haec ſuperius lata eſt, ubi immediate infra marginem Orbitae, Oſſi Maxillari, prope unionem hujus Oſſis cum Oſſe Malae, & paululum quoque Oſſi Malae inſeritur. Imo hoc in loco ab inferiore Muſculi Orbicularis Palpebrarum portione, cum qua quandoque ſpeciem communicationis alit, contegitur. Inde verſus Naſum oblique deſcendit, atque cum prima portione unitur.

564. Duae ita redadunatae portiones mediante extremitate anguſtiore retro Muſculum Semi-Orbicularem Labii ſuperioris invicem excurrunt, huicque Muſculo e regione Dentis Canini lateralis inſeruntur. Parvum quandoque Fibrarum faſciculum ad Muſculum Caninum ablegat, qui faſciculus tanquam Acceſſorius ſive Socius Muſculi Canini conſiderari, atque Caninus minor appellari poteſt.

565. *Inciſores medii.* Ordinarie Inciſores minores Cowperi, ſive Inciſores minores ſuperiores vocantur. Duo hi parvi Muſculi admodum breves ſunt, quorum unus ad latus alterius infra Septum Naſi ſitus eſt. Inſeruntur una extremitate Oſſi Maxillari ſupra Alveolos priorum Dentium Inciſorum, retro Semi-Orbicularem Labii ſuperioris, alteraque extremitate parti mediae atque ſuperiori craſſitiei Labii, prope Nares, quibus

itidem annectuntur. Quandoque Fibras lateraliter ad Semi-Orbicularem ablegant.

566. *Triangulares.* Quilibet horum duorum Muſculorum una extremitate lata faciei externae baſis Maxillae inferioris, a Muſculo Maſſetere uſque ad Foramen Mentale annectitur. Inde in modum trianguli parumper incurvati ſeſe coarctando aſcendit, inter extremitates Buccinatoris atque Zygomatici majoris, quibus fortiter agglutinatur, repit; & in Commiſſura duorum Labiorum, partim in Semi-Orbiculari ſuperiori, partim, & quandoque minus, in Semi-Orbiculari inferiori finitur. Quandoque continuatio quaſi Canini majoris eſſe videtur.

567. *Quadratus*, ſive Mentalis. Ille Menti craſſitiem ſub Labio inferiori format. Admodum compoſitus eſt, & ob ſuarum Fibrarum cum multa pinguedine ſive Texto membranaceo Tegumenti Adipoſi implicationem difficulter admodum evolvi poteſt. Mox anteriori Maxillae inferioris faciei annectitur, ubi duas latas Foſſulas, quae ad latera Symphyſis ſunt, ex parte occupat. Inde in utroque latere Fibras cuti quam maxime vicinas juxta longitudinem Symphyſis decuſſando aſcendit, atque inferiori Semi-Orbicularis Labii inferioris parti late inſeritur. Directio reliquarum Fibrarum e quibus ipſius craſſities componitur, in diverſis ſubjectis varie variat. Mediantibus quibusdam Fibris cum Cutaneis communicationem alit.

568. *Inciſores inferiores &c.* Duo parvi Muſculi

ſunt,

ſunt, qui Inciſores quoque inferiores Cowperi vocantur. Quilibet ſuperiore ſua extremitate ſupra Alveolos Dentium Inciſorum lateralium Maxillae inferioris annectitur. Inde ad ſe invicem accedendo deſcendunt, atque parti inferiori mediae portionis Muſculi Semi-Orbicularis Labii inferioris invicem inſeruntur.

569. Ad externum inſertionis ſuperioris cujuslibet horum parvorum Muſculorum latus Faſciculus Fibrarum reperitur, qui prope Dentem Inciſorem ab iisdem abſcedere videtur. Hicce Faſciculus in modum arcus lateraliter ab iisdem diſcedit, atque cum Fibris Muſculi Semi-Orbicularis inferioris, cum quo facillime confunditur, unitur. Aut pro Acceſſorio Semi-Orbicularis inferioris, aut pro collaterali Inciſoris minoris haberi poteſt.

570. *Platismamyoïdes ſive Cutanei.* Duo hi Muſculi ſpeciem Membranae carnoſae invicem formant, quae totam anteriorem Juguli atque Colli partem a Malis atque Mento uſque infra Claviculas contegit, quaeque Expanſioni membranaceae ſive chlamydi Aponevroticae, cujus Expoſitionem ſupra (n. 196. 197.) dedi, fortiter adhaeret. Expanſio haec portioni anteriori baſis Maxillae inferioris, fere uti parti inferiori Zygomatis peculiari modo adhaeret; atque ſupra omnes Muſculos, qui circumferentiam Colli formant, & ſupra ſuperiorem Pectoralium majorum, Deltoïdum atque Trapeziorum portionem extenditur.

571. Fibrae cujuslibet Muſculi Cutanei oblique ab inferiori ſurſum, verſus anteriorem Juguli

atque Colli partem excurrunt, ubi iſtae unius illis alterius mediantibus angulis acutis, ſeſeque quaſi decuſſantes, a Mento uſque ad Sternum obviam fiunt. Cuti mediante Celluloſo Membranae Adipoſae Texto fortiter annectuntur. Muſculi hi a Claviculis uſque ad ſuperiorem Colli partem valde tenues exiſtunt. Poſtmodum ea proportione, qua ad baſin Maxillae accedunt, craſſities earundem praecipue a Maſſetere ad Mentum uſque augetur.

572. Quilibet inferiori Maſſeteris portioni iſti Triangularis, iſtique Quadrati agglutinatur. Carnoſae eorundem Fibrae in Maſſetere & in Buccinatore Aponevroticae fiunt. In Triangulari magis continuantur, atque cum Fibris hujus Muſculi ad Commiſſuram Labiorum uſque confunduntur. Paululum quoque ſupra vicinam Quadrati portionem procedunt.

573. Portio horum Muſculorum quae baſi Muſculi Triangularis reſpondet, in duas quaſi Laminas carnoſas dividitur, quarum externa illa eſt, quae ſupra Triangularem atque Quadratum excurrit; atque interna ipſi Maxillae Oſſi ſeparatim annectitur. Portionem adhuc extremitatis carnoſae lateris dextri ante Symphyſin Menti ſupra ſimilem extremitatis carnoſae lateris ſiniſtri portionem, eandem contegendo, excurrere, hancque e contrario infra alteram incedere, & ab eadem proportionate abſcondi aut contegi vidi.

574. *Uſus.* Muſculi, qui communes appellantur, aut duos Oris Angulos eodem tempore, aut

aut unum tantum & quidem ſecundum diverſam eorundem Fibrarum directionem trahunt. Ii qui Proprii vocantur, diverſas Labii portiones, cui inſeruntur, trahunt. Buccinatores in ſpecie ad alimenta in Maſticatione movenda inſervire poſſunt. Integer Tractatus de innumeris fere diverſorum motuum omnium horum Muſculorum combinationibus ſecundum diverſas hominis paſſiones, atque ſecundum diverſas Oris indecoras compoſitiones, quas, quemadmodum alibi dicam, inſtituere poteſt, conſcribi poſſet. Muſculi Cutanei ſoli tales quam maxime permoventes, praecipue quando flemus, & quidem mediantibus ſuis in Muſculis Triangularibus, &c. inſertionibus producere poſſunt. Aſt ſua in ipſo Oſſe Maxillae inferioris inſertione, inferiorem Tegumentorum Colli portionem, imo etiam vicinam eorum Pectoris portionem ſurſum trahunt. Motibus Maxillae non inſerviunt. Horum duorum Muſculorum ſub Mento & ſupra Collum decurſus in decrepitis & in macilentis apparet.

GLANDULAE SALIVALES.

575. Humor, quo tota Oris cavitas atque Lingua in ſtatu ſuo naturali continue irrigantur, in genere Saliva vocatur. Humor hic praecipue a Glandulis, quae ob hancce rationem Glandulae Salivales appellantur, & quarum tria Paria communiter, duae ſcilicet Parotides, duae Maxillares, & duae Sublinguales numerantur, ſuppeditatur. Revera earundem craſſiſſimae, quaeque habito reſpectu maximam quantitatem largiuntur, exiſtunt,

aſt magnus aliarum volumine minus notabili praeditarum numerus adeſt, quae harum auxiliares quaſi aut ſubſidiariae ſunt. Generale itaque Glandularum Salivalium nomen omnibus hiſce fontibus imponi poteſt; en earundem enumerationem:

Parotides.
Maxillares.
Sublinguales.
Molares.
Buccales.
Labiales.
Linguales.
Amygdalae.
Palatinae.
Uvulares.
Arytenoïdeae.
Thyroïdea.

576. *Parotides.* Duae craſſae Glandulae albicantes, inaequaliter oblongae, & inaequaliter gibbae ſunt, quarum quaelibet inter Aurem externam atque poſteriorem ſive aſcendentem Maxillae inferioris Ramum locatur, parumque ſupra vicinam Maſſeteris portionem procedit. Superior Glandulae Portio ante Cartilaginoſum Auris Meatum eſt, atque Zygomaticam Oſſium Temporum Apophyſin attingit. Glandula antrorſum atque retrorſum infra Lobulum Auris uſque ad Apophyſin Maſtoïdeam extenditur.

577. Ex portione ſuperiore Parotidis mediante plurium parvorum Tuborum, ceu totidem radicum redadunatione, Canalis Membranaceus atque

que albus anterius oritur, qui ſupra externam Maſſeteris faciem a poſteriori oblique antrorſum excurrit, poſtmodumque Buccinatorem e regione interſtitii ſecundi atque tertii Dentis Molaris, mediante Foramine ſive Orificio, inſtar urcei aquarii, ab exteriori introrſum perforat.

578. Canalis hicce Ductus Salivalis Stenonis ſive Ductus Salivalis ſuperior appellatur. Ipſius diameter lineam circiter & ultra adaequat; & quibusdam in ſubjectis ex parte a Granis glanduloſis plus minusve cumulatis, quae cum eodem uniuntur, contegitur atque circumdatur. Arteria atque Vena, quae Angulares vocantur, ſupra Ductum aſcendunt. Per Glandulam ipſam portio dura Nervi Auditorii excurrit, atque Fila etiam a ſecundi Paris Vertebralis Nervis accipit.

579. *Maxillares*. Duae hae Glandulae minus craſſae atque Parotidibus rotundiores exiſtunt. Quaelibet in latere faciei internae Anguli Maxillae inferioris, prope Muſculum Pterygoïdeum inferiorem ſita eſt. Quaelibet e facie ſua interna, ſive latere quod lateralem Muſculi Hyo-Gloſſi portionem reſpicit, Ductum eodem modo uti Parotides, aſt tenuiorem atque longiorem, qui Ductus Salivalis Warthoni, ſive Ductus Salivalis inferior appellatur, producit.

580. Quilibet horum Ductuum ad latus Muſculi Genio-Hyoïdei, juxta totam longitudinem faciei internae, & verſus ſuperiorem Glandulae Sublingualis marginem, uſque verſus marginem Freni ſive Fili Linguae procedit, ubi in parvum

orificium inſtar Papillae ſive parvi Ceſticilli deſinit. Duo Ductus ordinarie mediantibus duobus ſeparatis orificiis & quandoque unico orificio communi aperiuntur.

581. *Sublinguales.* Itidem duae numero ejusdemque ſpeciei, ſed minores, pauxillum oblongae & complanatae, inſtar amygdalarum excorticatarum ſunt. Infra anteriorem Linguae portionem, in quolibet latere una, prope Maxillam inferiorem ſitae ſunt, atque lateralibus Muſculi Mylo-Hyoïdei portionibus, qui iisdem cingulae loco eſt, imponuntur. Earundem extremitatum una antrorſum & altera retrorſum vertitur. Margines earundem oblique introrſum & extrorſum ſpectant.

582. Hae Glandulae ſuperius a Membrana admodum tenui, quae iſtius, quae inferiorem Linguae faciem inveſtit, continuatio eſt, conteguntur. Lateraliter plures parvos Ductus admodum breves producunt, qui in latere Gingivarum per totidem orificia in eadem linea diſpoſita, in parva a Freno ſive Filo Linguae diſtantia atque parumper magis poſterius aperiuntur. Non adeo diſtincte in Homine, uti in pluribus Animalibus, Ductus peculiares harum Glandularum, iſtis Glandularum Maxillarium ſimiles reperiuntur. Muſculi Genio-Gloſſi in intervallo duarum Glandularum Sublingualium, uti etiam inter duos Ductus Maxillares ſunt.

583. *Molares.* Duae Glandulae ejusdem fere ſpeciei quam praecedentes ſunt, quarum quaelibet

bet in latere ſuo inter Muſculum Maſſeterem atque Muſculum Buccinatorem ſita eſt. Facile in quibusdam ſubjectis pro duobus peculiaribus pinguedinis Glomeribus haberentur. Parvos Tubos producunt, qui Buccinatorem perforant, atque in Oris cavitatem e regione circiter ultimorum Dentium Molarium hiant. Id quod Dominum Heiſterum, qui easdem primus luci expoſuit, ut easdem Glandulas Molares vocaverit, impulit.

§ 84. *Buccales. Labiales. Linguales.* Tota interna Genarum ſuperficies a multis Granis Glanduloſis, quae Glandulae Buccales dicuntur, in latere Oris obſita eſt, quae mediantibus parvis foraminibus ſive orificiis per internam Oris Membranam aperiuntur. Membrana quae internam Labiorum faciem inveſtit, quaeque non niſi iſtius Malarum continuatio eſt, itidem à quamplurimis parvis foraminibus, quae totidem Granis Glanduloſis, Glandulis Labialibus dictis, reſpondent, perforatur. Glandulae Linguales iſtae Foraminis Lingualis ſive Foraminis Caeci baſis Linguae ſunt, de quibus in Articulo de Lingua jam verba feci.

§ 85. *Palatinae. Arytenoïdeae. Uvulares.* Supra Glandularum Palatinarum, id eſt, earum Fornicis atque Septi Palati Expoſitionem dedi. Occaſione Laryngis quoque de Glandulis Arytenoïdeis dixi. Glandulae Uvulares non niſi Membranae Palati, parvum racemum referentis, continuatio ſunt. Inter Glandulas Salivales iſtae quoque Fornicis Pharyngis, quarum itidem occaſione hujus

 partis

partis mentionem feci, uti etiam Glanduloſa Membranae Pituitariae Naſi atque Sinuum, quae iisdem reſpondent, Grana, referri poſſunt.

586. *Amygdalae.* Duo Corpora Glanduloſa, rubicunda ſunt, quorum quodlibet interſtitium dimidiorum arcuum lateralium Septi Palati, unum in latere dextro & alterum in ſiniſtro baſis Linguae latere occupat. Ob inaequalem ſuam atque perforatam quaſi ſuperficiem convexitati Putaminis Amygdalae, quoniam a parvis foraminibus, craſſae aciculae caput facile admittentibus, penitus perforatur, ſimiles ſunt.

587. Foramina haec, quae cribri ſive retis ſpeciem repraeſentant, in qualibet Amygdala ſinui ſive cavitati irregulari, ſaepiſſime humore plus minusve viſcoſo repletae, quem fundus cavitatis ſive ſinus ſubminiſtrat, quique ea proportione qua colligitur, per foramina in Fauces depluit, reſpondent. Quo vera Amygdalarum conformatio bene conſpici queat, in aqua clara, ſecundum methodum quam compluries jam propoſui, examinandae ſunt. Aſt antea in aqua tepida, absque ut incondite contrectentur, bene lavari debent.

588. *Glandula Thyroïdea.* Craſſa maſſa glanduloſa, albicans eſt, quae convexitatem Laryngis anterius contegit. Primo intuitu e duabus quaſi Glandulis ſive portionibus oblongis, extremitatibus ſuis inferioribus infra Cartilaginem Cricoïdem invicem unitis formata eſſe videtur; ita ut figuram ſemiluna-

lunarem, ſive ſpeciem Lunae creſcentis, cujus cornua ſurſum atque medium deorſum ſpectat, incondite admodum repraeſentent. Mediocriter craſſa, atque uti Cartilago Thyroïdea, a qua nomen accepit, in lateribus incurvatur. Duae portiones laterales Muſculis Thyro-Hyoïdeis ſive Hyo-Thyroïdeis applicantur, atque portio media ſive inferior Muſculos Crico-Thyroïdeos amplectitur. Muſculi Thyro-Pharyngei inferiores carnoſas ſupra hancce Glandulam Fibras ablegant. Iidem hi Muſculi in utroque latere cum Muſculis Sterno-Thyroïdeis & cum Hyo-Thyroïdeis mediantibus carnoſis quibusdam Fibris communicationem alunt.

589. Ejusdem ſpeciei quam priores Glandulae Salivales eſſe videtur, aſt firmior exiſtit. Ductum, quo mediante ſeſe exonerat, inveniſſe ſibi perſuaſerunt, aſt Vas Sanguiferum erat, quod eosdem fefellit. Comitatus quandoque inſtar ſpeciei Funiculi Glanduloſi ibidem occurrit, qui ante Cartilaginem Thyroïdeam excurrit, & ante baſin Oſſis Hyoïdis diſparet.

590. Glanduloſa haec Chorda e medio baſis communis portionum lateralium Glandulae Thyroïdeae procedit, atque inter Muſculos Sterno-Hyoïdeos, retro baſin Oſſis Hyoïdis, quaſi inter baſin hujus Oſſis atque baſin Epiglottidis obliteratur. Parvas quoque in privatis meis Curſibus aperturas in latere Ligamenti anterioris Epiglottidis, quo mediante baſi Linguae annectitur, mon-

monſtravi. Una harum aperturarum inſtar parvae Papillae perforatae oculis ſe objecit. Chordam Glanduloſam non niſi ad hunc uſque locum proſequi potui.

GLANDULAE LYMPHATICAE.

591. Inferiori cujuslibet priorum Glandularum Salivalium ſupra expoſitarum, id eſt, Parotidum parti, verſus Apophyſin Maſtoïdeam, parva peculiaris alius ſpeciei Glandula, & ab his ratione figurae, coloris, Ductus excretorii, atque materiei ſecretionis quam maxime diverſa annectitur. Rotunda eſt, ſuperficie aequali gaudet, umbonibus caret, atque prima ſive quam maxime ſuperior ex quamplurimis aliis ejusdem ſpeciei, quae partim infra intervallum Parotidis atque Glandulae Maxillaris, & partim per intervalla juxta longitudinem Venae Jugularis internae ad inferiorem Colli partem reperiuntur, exiſtit. Plura inter haſce Glandulas, imo etiam ſuper hacce Vena pellucida, & a quamplurimis Valvulis quaſi interrupta Vaſa conſpiciuntur. Liquor quem continent clarus, leviter mucculentus eſt, atque Lympha appellatur.

592. Vaſis hiſce itidem in genere Vaſorum Lymphaticorum atque Glandulis Glandularum Lymphaticarum nomen imponitur. Glandulae hae non omnes eadem craſſitie, neque eadem rotunditate praeditae ſunt. Oblongae, complanatae, craſſae, parvae dantur. Vaſa Lymphatica alternatim ex una Glandula mediante una extremitate

mitate exeunt, atque in vicinam Glandulam mediante altera extremitate intrant. Extremitates hae, tam iſtae quae exeunt, quam illae quae intrant, in Ramuſculos dividuntur. Truncus ordinarie ſimplex tantum exiſtit, Valvulaeque ibidem ita diſponuntur, ut liquor inibi contentus, non niſi verſus Pectus delabi, non vero verſus Caput iterum aſcendere queat.

593. Haec Glandularum ſpecies haecque peculiaria Vaſa non tantum hic locorum inveniuntur. Nonſolum in aliis Capitis locis, ſed etiam ſuper pluribus, tam externis quam internis, Pectoris, Abdominis, Extremitatum ſuperiorum atque Extremitatum inferiorum partibus reperiuntur. Glandulae Maxillares Salivales uti etiam Parotides ab iisdem comitantur. Plures in partibus lateralibus, & in poſteriore Colli parte in Membrana Adipoſa, prope Muſculos diſperguntur.

594. Glandulae Lymphaticae in cavitate Pectoris per intervalla in latere & retro Oeſophagum, praecipue eo in loco, qui quintae Dorſi Vertebrae reſpondet, locantur. Quaedam in anteriore Diaphragmatis portione in latere Mediaſtini inveni. Circum baſin Cordis, in Pinguedine hujus baſis aliquae reperiuntur. Dantur quoque in craſſitie faciei internae Membranae Adipoſae, quae Pectus contegit, praecipue in vicinia Clavicularum, & in celluloſis Muſculorum Thoracem circumdantium Interſtitiis.

595. Glandulae hae in cavitate Abdominis in magno

magno numero adſunt; circum ſuperius ſcilicet orificium, & ſuper duabus Ventriculi curvaturis; ſuper Capſula Sinus Venae Portae; ſuper celluloſo Veſiculae Fellis Ligamento; verſus Ductus Cyſtici initium; ſuper Epiploï in Liene annexione; ſuper ipſius in Colo annexionibus; in tota Meſenterii extenſione; in Meſocoli annexibus; retro harum duarum Membranarum in Lumborum Vertebris annexiones; prope Furcam extremitatis inferioris Aortae; juxta longitudinem Vaſorum Iliacorum. Extra cavitatem Abdominis quoque in craſſitie atque interna Tegumentorum Adipoſorum facie tales reperiuntur.

596. Glandulae hae in ſuperioribus Corporis Extremitatibus praecipue infra Oſſis Humeri cum Scapula articulatione, eo in loco, qui communiter Cavum Axillae vocatur, inveniuntur. Quam maxime notabiles earum extremitatum inferiorum verſus inferiorem Inguinum partem ſitae ſunt, atque communiter Glandulae Inguinales appellantur, quibus Faſcia Lata ſive Aponevroſis Cruralis ſpeciem Capſulae duplicis largitur, quae quasdam earum fere ſuperficiales, id eſt, Cuti proximas, reliquasque profundiores magis reddit.

597. Quoniam omnes Glandulae Lymphaticae ſitu magis quam volumine atque figura inter ſe differunt, enumeratio earundem ſecundum loca in quibus reperiuntur, inſtituitur, & ab iisdem hiſce locis, eae exempli gratia, quas modo indicavi,

cavi, quarumque nomina ſequentia ſunt, appellantur:

Parotidum Lymphaticae.
Maxillarium Lymphaticae.
Jugulares.
Cervicales.
Occipitales.
Claviculares.
Axillares.
Thoracicae.
Oeſophageae.
Mediaſtinae.
Cardiacae.
Ventrales externae; internae.
Stomachicae.
Hepaticae.
Cyſticae.
Epiploïcae.
Meſentericae.
Lumbares.
Iliacae.
Inguinales.
Crurales, &c.

598. *Vaſa Lymphatica.* Tres ſpecies Vaſorum nomen Lymphaticorum gerentium dantur. Olim non niſi Vaſis hiſce pellucidis atque Valvulis inſtructis, de quibus ſupra (n. 592.) dixi, quaeque Glandulas Lymphaticas comitantur, imponebatur. Primae earundem origines difficulter admodum detegi poſſunt. Eorundem in Corpore Huma-

no diſtributio nondum ſatis perluſtrata eſt, ut peculiaris hic de iisdem Expoſitio tradi queat; eandem ad alium Tractatum reſervo. Quod finem eorundem attinet, Ductum Thoracicum ſive magnum Ductum Chyliferum quoad maximam partem petunt.

599. Non in Glandularum indicatarum comitatu tantum Vaſa Lymphatica Valvulis inſtructa reperiuntur; in diverſorum quoque Viſcerum ſuperficie absque ulloGlandularum quarundamLymphaticarum vicinarum veſtigio inveniuntur. Omni momento, exempli gratia, maximo in numero in externa Hepatis Membrana in Homine, & in ſuperioris membranacei Ligamenti hujus Hepatis duplicatione deteguntur, quemadmodum in Articulis Viſceris hujus Expoſitionem ſpectantibus annotavi. Inventa quae ſuper hac re in Animalibus facta fuerunt, ſilentio hic praetermitto, quoniam in Corporis Humani Expoſitione in praeſenti Opere tantummodo ſubſiſto.

600. Reliqua Vaſa quae itidem Lymphatica cognominantur, adeo anguſtae Arteriolae atque Venulae ſunt, ut vix niſi ſeroſae maſſae Sanguinis portioni tranſitum in ſtatu naturali concedant. Vaſa haec ab iſtis primae ſpeciei ratione parvitatis diametri conformationis atque ſitus differunt. Arteriolae atque Venulae omnes ſimplices, omnes valde anguſtae, & habito reſpectu anguſtiores quam maxima Lymphaticorum Valvulis inſtructorum pars, absque tamen

ut

ut tenuiores ſint, exiſtunt. Priora Lymphatica cuncta multis Valvulis inſtructa ſunt, omnia admodum tenuia, aſt non omnia aequaliter anguſta ſunt. Lymphatica Arterioſa atque Venoſa ſuper partibus quae naturaliter albae ſunt, exempli gratia ſuper Cute, ſuper albo Oculi, &c. reperiuntur, moxque ab eorundem origine facile deteguntur. Lymphatica Valvulis inſtructa in interiori Corporis tantum conſpiciuntur, atque in diverſis partibus, cujuscunque coloris etiam eaedem hae partes ſint, occurrunt; primitivae vero eorundem origines non adeo facile nec adeo diſtincte deteguntur.

GLANDULAE IN GENERE.

601. Praeter ea quae in Tractatu Synoptico (n. 21. 22. 23.); in Tractatu de Abdomine, occaſione Hepatis, & in Tractatu de Capite, reſpectu Corticalis Cerebri Subſtantiae de iisdem dixi, hic monere ſat habeo, quod, quo generalem Glandularum, quae in Corpore Humano reperiuntur, enumerationem habeamus, Salivalibus atque Lymphaticis omnes Glandulas peculiares omniaque Viſcera Glanduloſa, de quibus in Tractatuum Abdominis, Pectoris atque Capitis curſu verba feci, addere, ſufficiat.

602. Ceterum, veterum Glandularum diviſionem in Conglobatas, ſub quibus Lymphaticas comprehendo, & in Conglomeratas, ad quas omnes reliquas refero, easdem in ſimplices & in compoſitas ſubdividendo retineo. Reliquum

quod internam Glandularum Corporumque Glanduloſorum ſtructuram concernit, illud ad peculiare Scriptum, quod Epiſtolae Domini Helvetii fini ſuarum de Sanguine Pulmonali Explicationum ſubjunctae, reſponſionis loco erit, adhuc differre cogor.

ERRATUM.

Pag. 239. Lin. 2. dimidium, leg. dimidiam.

EXPLICATIO
FIGURARUM.
TABULA CC.
quae XLI. Euſtachii eſt.

EXPLICATIO DN. LANCISII.
FIGURA I.

a. a. Muſculi frontales bifurci, (id quod non ſemper reperitur.)
b. b. Segmenta ſuperiora Muſculorum orbicularium Pa pebrarum.
c. c. Inferiora horum Muſculorum ſegmenta.
d. Muſculus elevator Auris.
e. Muſculus tempora is.
f. Muſculus Maſſeter.
g. Margo inferior Zygomatis.
h. Portio Maxillae inferioris.
i. Extremitas ſuperior Muſculi depreſſoris Alae Narium; qui in Figura III. *a.* integer conſpicitur.
l. Muſculi Pyramidales alarum narium.
m. m. Muſculi Zygomatici majores.
n. Muſculus Zygomaticus minor.
o. o. Muſculi canini.
p. Muſculus quadratus ſive Mentalis.
q. Triangularis. Hic in Archetypo error eſſe videtur.
r. Muſculus orbicularis Labiorum. Videatur Fig. III. *b.*
s. Muſculus Buccinator. Videatur Fig. III *c.*

EXPLICATIO SUPERADDITA.

t. t. Parvi Muſculi Palpebrarum.
u. Parvus Muſculus Zygomaticus.
x. Muſculus Inciſorius major.
y. Parvus Columinis Narium Muſculus.

EXPLICATIO

FIGURA II.

Hancce uti etiam ſextam & ſeptimam figuram ex Homine deſumptam eſſe, intuitu non apparet.

a. Muſculus Sterno-Thyroïdeus dexter

A. Muſculus Hyo-Thyroïdeus dexter in ſitu.

b. Sterno-Hyoïdeus dexter.

FIGURA III.

a. Muſculus depreſſor Narium integer praeſentatus.

b. Muſculus orbicularis Labiorum.

c. Muſculus Buccinator.

d, d. Muſculi Canini.

FIGURA IV.

Muſculus Temporalis ſeparatus

FIGURA V.

a. a. Muſculi Sterno-Hyoïdei.

b. Muſculus Coraco-Hyoïdeus ſive Anchora-Hyoïdeus. (Homo-Hyoïdeus.)

c. Intermedius hujus Muſculi tendo.

d. Mylo-Hyoïdeus, qui hic Genio-Hyoïdeus externus ſive obliquus vocatur.

e. Genio-Hyoïdeus, qui hic Genio-Hyoïdeus internus ſive rectus appellatur.

f. Stilo-Hyoïdeus dexter.

g g. Cerato-Gloſſi, ſive Hyo-Cerato-Gloſſi.

h. h. Stilo-Gloſſi.

i. Os Hyoïdes.

k. Glandulae Sublinguales.

l. Glandula Thyroïdea.

m. Appendix ejusdem Glandulae.

ADDITIO.

n. Muſculus Sterno-Thyroïdeus.

FIGURAE VI. & VII.

Fere uti II. ſe habent.

FIGURA VIII.

a Arteria aſpera.

b. Oeſophagus.

c. Muſculus longus colli.

d. Glandula Thyroïdea, quae hic in duas diviſa eſſe videtur.

e. Appen-

e. Appendix hujus Glandulae ſecundum Dn. Morgagni.
f. f. Muſculi Crico-Thyroïdei.
g. Cartilago Thyroïdes.
h. Thyro-Pharyngeus.
i. Stilo-Pharyngeus ſiniſter.
k. Tendo atque Annexio communis hujus Muſculi.
l. l. Baſio-Gloſſi. (Iſte lateris dextri hic inſtar Genio-Gloſſi apparet.
m. Os Hyoïdes
n Genio-Hyoïdeus obliquus, melius Genio-Gloſſus appellatur.
o. Genio Hyoïdeus dexter. (Hic inſtar Portionis Baſio-Gloſſi apparet.
(*p.* Cerato-Gloſſus, ſecundum Dn. Albinum.)
q. Stilo-Gloſſus.

FIGURAE IX. & X.

Oſſicula auditus, e quibus Stapia, uti etiam Muſculus Mallei ab Euſtachio detecti fuere.

FIGURA XI.

a. a. Muſculi Baſio-Gloſſi. (Iſte lateris dextri hic Genio-Hyoideus eſſe videtur.)
b. Cerato-Gloſſus ſiniſter.
c. Stilo-Gloſſus ſiniſter.
d Stilo-Pharyngeus ſiniſter.
e. Oeſophagaeus (Potius Thyro-Crico-Pharyngeus ſeparatus atque inverſus eſſe videtur.)
f. Stylo-Hyoïdeus ſiniſter.
g. Crico-Thyroïdeus ſiniſter.
h. Arteria Aſpera.
i. Truncata Oeſophagi portio.

ADDITIO.

k. Ligamentum Muſculi Stilo-Gloſſi.
l. Cerato-Pharyngeus.
m. Syndeſmo-Pharyngeus. Hi duo mediam Stilo-Pharyngei portionem contegunt.
n. Portio inferior Stilo-Pharyngei, partim Cartilagini Thyroïdeae, atque pauxillum Cornu Oſſis Hyoïdis annexa.

o Baſis Oſſis Hyoïdis.
p. Siniſtrum hujus Oſſis Cornu.
q. Cartilago Thyroïdea.

FIGURA XII.

a. Baſis Oſſis Hyoïdis.
b. Latus ſiniſtrum Cartilaginis Thyroïdeae.
c. Muſculus Hyo-Thyroïdeus ſiniſter.
d. Muſculus Sterno-Thyroïdeus ſiniſter.

ADDITIO.

e. Parvus quidam Muſculus peculiaris.
f. Alius.
g. Baſis Oſſis Hyoïdis.
h. Magnum Cornu ſiniſtrum.
i. Parvum Cornu, ſive Appendix ſiniſtra.

FIGURA XIII.

a. Muſculus Pterygoïdeus internus.
b. Muſculus Pterygoïdeus externus.
c. Muſculus Longus ſuperior Colli, ſiniſter, alias Rectus anterior vocatus.
d. Longus inferior Colli, lateris dextri.

ADDITIO.

e. Muſculus Salpingo-Staphylinus, ſive potius Ptery-Salpingoïdeus.
f. Obliquus anterior dexter.
g. g. Recti minores, ſive Laterales anteriores.
h. h. Maxilla inferior in Mento diviſa.

FIGURA XIV.

In Homine non reperitur.

TABULA C.

quae XLI. Euſtachii eſt.

EXPLICATIO DN. ALBINI.

FIGURA I.

Exhibet Muſculos primos poſt integumenta communia.

A. Attollens Auriculam. (ſuperior Auris externae.) *α. α.* principium ex Epicranio (Galericulo aponeyrotico Muſculorum Frontalium & Occipitalium) naſcens.

B. Tem-

B. Temporalis. (Crotaphites.) *α.α.* prima origo a Cranio.

C. Zygoma. (Arcus Zygomaticus.)

D. Maſſeter. *α. α.* principium ejus oriens a Zygomate.

E. E Frontales. *α. α.* primum initium quo Frontalis caro ex Tendine medio Epicranii (Galericuli aponevrotici) naſcitur. *β.* Frontalium conjunctio. *γ.* pars per Dorſum Naſi (Pyramidales Naſi) excurrens.

F. F: F. F. Orbiculares Palpebrarum.

G. Compreſſoris Naris (Transverſalis ſive inferioris Naſi, ſive Muſculi Myrtiformis) extremum.

H. Levator Labii ſuperioris alaeque naſi (portio magna Inciſorii lateralis & Obliqui ſive lateralis.)

I. K. Levator Labii ſuperioris, (altera portio Inciſorii lateralis) duobus capitibus *I. K* incipiens. *α.* hujus Levatoris & Levatoris Labii ſuperioris alaeque naſi extremum commune.

L. Zygomaticus minor; *α.* ortus ejus ab Oſſe Juguli. *β.* pars quae ſe adjungit ad imum marginem orbicularis palpebrarum.

M. Levator anguli Oris. (Caninus.)

N. Zygomaticus major; *α.* origo ejus ab Oſſe Juguli.

O. Buccinator.

P. Depreſſor anguli Oris. (Triangularis.) *α α.* principium a Maxilla inferiore oriens. *β.* continuatus hac parte Zygomatico majori.

Q. Q. Q. Depreſſores Labii inferioris; (portiones Quadrati.)

R. R. Orbicularis Oris. (Semi-Orbiculares, Acceſſorii Semi-Orbicularis inferioris & Supra-Semi-Orbiculares ſimul.)

S. An Naſalis Labii ſuperioris?

T. Levator Labii ſuperioris. (ſiniſter, dexter eſt *I. K.*)

V. Zygomaticus major (lateris ſiniſtri.)

W. Depreſſor anguli Oris (ſiniſter, dexter eſt *P.*)

EXPLICATIO

FIGURA II.

Simiae haud dubie.

a. b. In illa enim (Simia) lata oblonga Apophyſis *a.* inferiorem partem oſſis *v.* literam referentis efformat, quae deorſum adeo producitur, ut inſtar Clypei gutturis cartilagini, quae ſcuto ſimilis eſt *b.* obducatur. v. Euſtach. Oſſium Exam.

c. Muſculus Hyothyreoïdeus.

d. Sternothyreoïdeus.

FIGURA III

Muſculos intimos una cum aliquot primis exhibet.

A. Temporalis (Crotaphites) *α. α.* prima origo a Cranio.

B. Zygoma (Arcus Zygomaticus.)

C. Maſſeter, *α. α.* principium ejus oriens a Zygomate.

D. Buccinator.

E. Levator Anguli Oris (Caninus)

F. Compreſſor Naris (*G.* Fig. I.) cum depreſſore Alae Naſi (Inciſorio medio) ut videtur conjunctus in unum. Pars certe per Naſum excurrens, ad compreſſorem Naris pertinet.

G. G. Orbicularis Oris. (v. Fig. I. *R. R.*)

H. Levator Anguli Oris ſiniſter (Caninus ſiniſter) eſſe videtur.

FIGURA IV.

a. Temporalis, (Crotaphites.)

b. An pars carnea tenuis, oriens a ſuperficie interiori membranae tendinoſae, qua Temporalis extrinſecus veſtitus?

FIGURA V.

a. Mylohyoïdeus dexter, *α. β.* principium ejus quo a Maxilla oritur, *γ. δ.* extremum Hyoidi inſertum.

b. Geniohyoideus ſiniſter, *α.* principium quo a Maxilla oritur, *β.* extremum inſertum Hyoidi.

c. Glandula Sublingualis.

d. d. Stilo-Gloſſi, *α.* origo a proceſſu Stiliformi

e. e. Hiogloſſi. Videtur Ceratogloſſum & Baſiogloſſum non diſtinxiſſe, quam ob rem Hyogloſſi nomine hic utor.

f. f. Li-

f. f. Ligamenta a proceſſibus Stiliformibus ad Os Hyoides pertinentia.

g. Proceſſus Stiliformis

h. Stilo-Pharingeum refert, *α.* principium ejus a proceſſu Stiliformi oriens.

i. Stilohyoideus, *α.* extremum ad Os Hyoides pertinens.

k. Os Hyoides

l. l. Coracohyoideus (Homoplat-Hyoideus) *α.* principium quo a Scapula oritur, *β.* tendo medius, *γ.* extremum Oſſi Hyoidi affixum.

m. Sternohyoideus (ſive Sterno-Cleido-Hyoideus,) *α. α.* ejus principium, *β.* extremum affixum Oſſi Hyoidi.

n. n. n. Sternothyreoidei, *α. α.* principium, *β.* extremum inſertum Cartilagini Thyreoideae.

o. Hyothyreoideus (ſive Thyro-Hyoideus) *α.* origo (inſertio extremitatis ſuperioris ab oſſe Hyoide, *β.* extremum (annexus extremitatis inferioris) inſertum Cartilagini Thyreoideae.

p. p. Cartilago Thyreoidea.

q. Faſciculum quendam e fibris conſtantem refert, qui ab Oſſe Hyoide ad Glandulam Thyreoideam pertinet.

r. Glandula Thyreoidea.

s. Aſpera Arteria.

FIGURA VI.

a. Os Hyoides.

b. b Cartilago Thyreoidea.

c. Hyothyreoideus.

d. Sternothyreoideus duabus partibus *e. f.* ad Cartilaginem Thyreoideam pertinens.

FIGURA VII.

Canis uti videtur.

a. b. c. c. Os Hyoides, *a.* Baſis, *b.* cornu, *c c.* additamenta, quae cum proceſſibus Stiliformibus Oſſium Temporum conjunguntur, aliquot oſſicula habentia.

d. Cartilago Thyreoidea.

e. Hyothyreoideus
f. Muſculus a Pectore procedens & in duo extrema abeuns, quorum alterum *g*. ad Thyreoideam pertinet, alterum *h*. ad Hyoides.

FIGURA VIII.

A. Maſſeter.
B. Proceſſus Stiliformis.
C. Foramen quo Sinus lateralis Durae Matris exit, poſt abeuns in Venam Jugularem internam.
D. Rectus lateralis Capitis (primus Transverſarius anterior) *α*. origo a proceſſu transverſo Atlantis, *β* extremum quod ad Cranium pertinet.
E. Rectus internus minor capitis (Rectus minor anterior, ſive Rectus anterior brevis,) *α*. origo ab Atlante.
F. Stilopharyngeus, *α* origo a proceſſu Stiliformi.
G. Ligamentum a proceſſu Stiliformi deductum ad Os Hyoides
H. Styloglоſſus, *α*. origo a proceſſu Stiliformi.
I. Ceratogloſſus, *α*. *α*. origo a Cornu Oſſis Hyoidis.
K. Baſiogloſſus, *α*. origo a Baſi oſſis Hyoidis & a Cornu.
L. Genioglоſſus ſiniſter
M. Geniohyoideus ſiniſter, *α* principium quo oritur a Maxilla, *β*. extremum quo ſe Oſſi Hyoidi inſerit.
N. Mylohyoideus dexter, Baſi Oſſis Hyoidis inſertus.
O. Oſſis Hyoidis baſis, *P*. Cornu.
Q. Conſtrictor medius Pharyngis (Hyo-Pharyngeus & ex parte Cephalo-Pharyngeus.)
R. Conſtrictor inferior Pharyngis, (Thyro-Pharyngeus & Crico-Pharyngeus conjunctim) *α*. *α*. oriens a Cartilagine Thyreoidea.
S. *S*. Cartilago Thyreoidea.
T. Faſciculus ab Oſſe Hyoide ad Glandulam Thyreoideam pertinens.
V *V*. *V*. Cricothyreoidei.
W. Cartilago Cricoidea.
X. Glandula Thyreoidea.
Y. Aſpera Arteria truncata. In ea Glandulae indicatae.

Z. Oe-

Z. Oeſophagus truncatus.

a. Rectus internus major Capitis (Rectus major anterior, Rectus anterior longus.)

b. c. d. e. f. g. h. h. Septem Colli Vertebrarum proceſſus transverſi.

FIGURA IX.

Ad Epiſtolam de organis Auditus pertinens, tria oſſicula in caverna Oſſis Petrae ſimilis recondita, Muſculum motioni eorum praefectum oſtendit, vid. Euſtach. Explic. Tab. VII. Fig. parv.

a. Oſſiculum Incudi ſimile.

b. Oſſiculum Malleum referens.

c. Oſſiculum Stapedi vocatae comparatum, a Veſalio praetermiſſum.

d. Muſculus nemini Anatomicorum non incognitus, qui in majorem proceſſum, Oſſiculi Malleum referentis, inſeritur. Oritur a ſubſtantia Ligamentis ſimili, qua parte os, quod cuneum imitatur, cum temporali Oſſe committitur, indeque carneus evadens redditur ſenſim ad medium uſque aliquanto latior; deinde vero anguſtior effectus tendinem *α.* gracillimum producit, qui in majorem Apophyſin Oſſiculi Malleo comparati fere e regione minoris apophyſis ejusdem inſeritur *β.* (Dn. Winslow eundem internum Mallei; Dn. Albinus Tenſorem Tympani vocat.)

FIGURA X.

Eadem ab altera parte.

FIGURA XI.

A. Genioglоſſus dexter, *α* principium quod oritur a Maxilla.

B. Genioglоſſus ſiniſter, *α.* principium quod oritur a Maxilla.

C. An Lingualis? (An Fibrae longitudinales in §. 573. Tractatus de Capite deſcriptae, quae huncce Muſculum conſtituunt?)

D. Baſioglоſſus truncatus.

E. Ceratoglоſſus truncatus.

F. Sti-

F. Styloglоſſus, *α.* oriens a proceſſu Styliformi, *β.* principium alterum ab angulo Maxillae oriens.
G. Maſſeter.
H. Proceſſus Styliformis.
I. Stylopharyngeus, *α.* oriens a proceſſu Styliformi.
K. Stylohyoideus alter, *α.* oriens a proceſſu Styliformi (Dn. Winslow nullibi hujus Muſculi mentionem injicit, eumque in explicatione hujus Figurae cum Dn. Lanciſio pro Stilo-Hyoideo primo ſive ordinario habet.)
L. Conſtrictor medius Pharyngis (Fig. VIII. *Q.*) *α.α.* origo, a cornu Oſſis Hyoidis.
M. Cornu Oſſis Hyoidis, *N.* Baſis.
O. Cartilago Thyreoidea, *α. α.* Locus unde oritur conſtrictor inferior Pharyngis (Fig. VIII. *R.*)
P. Commune extremum Stylopharyngei & Palatopharyngei (Thyro-Pharyngo-Staphylini, & Periſtaphyli-Pharyngei) *α.* pars Thyreoideae inſerta, *β* pars in membranam Pharyngis evaneſcens.
Q. Conſtrictor medius Pharyngis, (Fig VIII. *R.*) a Cartilagine Thyreoidea & a Cricoidea reſectus & in latus reflexus, *α, β.* pars principii, qua oritur a Thyreoidea, *β. γ.* pars qua a Cricoidea.
R. Pharyngis Membrana nuda.
S. S. Cricothyreoidei, *α. α.* origo a Cartilagine Cricoidea, *β β* extremum inſertum Thyreoideae.
T. Cartilago Cricoidea.
V. Aſpera Arteria truncata.
W Oeſophagus truncatus.
X. X. &c. Proceſſus transverſi Vertebrarum Colli.

FIGURA XII.

A. B. Os Hyoides, *A.* Baſis. *B* Cornu ſiniſtrum.
C. Extremum Ligamenti, quod a proceſſu Styliformi oſſis Temporis pertinet ad os Hyoides.
D. Cartilago Thyreoidea.
E. Hyothyreoideus ſiniſter, *α.* principii pars oriens a Baſi Oſſis Hyoidis: *β.* pars a Cornu, *γ. γ.* extremum Cartilagini Thyreoideae inſertum.

F. Car-

F. Cartilago Cricoidea.

G. Sternothyreoideus ſiniſter (Fig. V. *n.* Fig VI. *d.*) α α. principium ejus, β. extremum Cartilagini Thyreoideae inſertum, γ. portio ad cornu oſſis Hyoidis excurrens, δ. eique inſerta.

H. Aut proceſſus (Cornu) ſuperior Cartilaginis Thyreoideae, aut Ligamentum ab eo ad extremum Cornu Hyoidis pertinens, aut utriusque rudis figura.

FIGURA XIII.

Γ. Pterygoideus internus (ſive major) α. ſuo principio oriens ex cavo Pterygoideo, β. extremo inſertus Maxillae.

Δ. Δ. Pterygoidei externi (ſive minores) α. origo ab Oſſe Maxillari ſuperiore, β. extremum inſertum collo Maxillae.

Θ. Circumflexus Palati (Spheno-Salpingo-Staphylinus) α. α. principium ab Oſſe Petroſo procedens, β. Tendo inflectens ſe ad hamulum proceſſus Pterygoidei, poſt truncatus.

Λ. Λ. Recti laterales Capitis (primi Transverſarii anteriores) α. α. Origo a proceſſu transverſo, β. Extremum inſertum ad poſteriorem marginem foraminis (Fig. VIII. *C.*) quo Sinus lateralis exit. v. Euſtach. de Motu Capit.

Ξ. Ξ. Recti interni minores Capitis (Recti anteriores breves, ſive minores) α. α. Origo, a corpore Atlantis, β. β. extremum inſertum Oſſi Occipitis, v. Euſt. de Motu Capit.

Π. Rectus internus major Capitis (Rectus anterior longus, ſive major) α. Extremum Oſſi Occipitis inſertum, β. β. portiones quibus incipit.

Σ. Σ. Longi Colli, α. pars altera quae extremis ſuis pertinet ad corpora Vertebrarum Colli, β. quintae a Dorſo, γ. ſextae, δ. ſeptimae, ε. pars altera pertinens ad proceſſus transverſos. v. Euſtach. de Motu Capit.

a. a. Maxillae inferioris, in Mento diſſectae partes

duae

duae in latera reclinatae: Dentes infixi apparent.

b. b. Proceſſus Coronoidei Maxillae.

C C. Proceſſus Condyloidei Maxillae.

d. Introitus Canalis, quo Arteria, Venaque & Nervus intrant.

e Naſi rudis figura.

f. f. Oſſis Frontis rudis figura.

g. g. Suturae communes Oſſis Frontis cum Jugalibus.

h. h Oſſa Jugalia (Malae)

i. i. Suturae communes Oſſibus jugalibus & Maxillaribus ſuperioribus.

k. k. Suturae Oſſium Maxillarium ſuperiorum propriae.

l. l. Exitus Canalium, qui per fundum foraminum oculorum deducti.

m. m Oſſa Maxillaria ſuperiora: in quibus Dentes infixi apparent.

n. n. Proceſſus laterales maximi oſſis multiformis.

o. o. o: o. o. Oſſa ſquamoſa: quorum cum proceſſibus lateralibus maximis Oſſis multiformis communes ſuturae indicatae.

p. p. Oſſium Maxillarium ſuperiorum partes ad Palatum pertinentes.

q. q. Suturae Oſſium Maxillarium propriae in Palato. v. Euſt. Oſſium Ex.

r. Foramen a Palato ad Naſum pertinens.

ſ. s. Oſſium Maxillarium ſuperiorum partes ad Septum Narium pertinentes.

t. Sutura communis partium palatinarum Oſſium Maxillarium ſuperiorum. v. Euſt. Oſſium Exam.

u. u. Oſſa Palati.

v. Sutura communis Oſſium Palati.

w. w. Suturae communes Oſſibus Palati & Maxillaribus ſuperioribus in palato.

x: x. x. Suturae partibus Oſſium palati illis quae inſertae extremis proceſſibus Pterygoideis Oſſis multiformis communes cum proceſſibus illis extremis.

y. Vomer.

y. Vomer.
z. Sutura facta e connexione Vomeris cum multiformi.
A. A. Suturae communes Vomeri cum Oſſibus Palati in ſuperiore parte Narium.
B. B. Suturae quae fiunt ex connexione Oſſium Palati cum baſi multiformis.
c. c. Foramina poſteriora Naſi Oſſei.
D. Os multiforme
E, F : *E. F.* Proceſſus Pterygoidei Oſſis multiformis, *E.* Lamella exterior, *F.* Hamulus, (parvum Cornu) in quem lamella interior deſinit.
G. Conjunctio Oſſis multiformis cum Oſſe Occipitis.
H. H. Foramina Oſſis multiformis, quibus exeunt tertii Rami quinti Paris Nervorum Cerebri.
I. I. Foramina quibus intrant Arteriarum Carotidum externarum Rami ad Duram Matrem.
K. K. Extrema partium oſſearum Tubarum Euſtachianarum. Euſt. de Audit. Org.
L. L. Rimae inter Oſſa Squamoſa & Petroſa.
M. M M. Connexio Oſſium Petroſorum cum multiformi.
N. N. Oſſa Petroſa.
O. O. Connexio Oſſium Petroſorum cum Oſſe Occipitis
P. P. Introitus Canalium, per quos Arteriae Carotides internae Nervique Intercoſtales penetrant in Cranium.
Q. Q. Proceſſus Stiliformes.
R. R. Foramina Caeca exitus aquaeductuum Fallopii.
S. S. Oſſei Aurium introitus.
T. T. Proceſſus Mamillares.
V. V. Suturae communes Oſſibus Squamoſis cum Oſſibus verticis.
W. W. Oſſa Verticis.
X. X. Additamenta ſuturae lambdiformis.
Y. Y. Foramina quibus exeunt Sinus laterales Durae Matris in Venas Jugulares internas abeuntes.

Z. Z. Z.

Z. Z. Z. Z. Z. Os Occipitis.
1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Septem Colli Vertebrae cum Ligamentis inter Corpora earum intercedentibus. 8. 8. &c. proceſſus earum transverſi.
9. 9: 10. 10. Foramina proceſſuum transverſorum 9 9. Atlantis. 10. 10. Epiſtrophaei.

FIGURA XIV.

Larynx cum Oſſe Hyoide & Pharynge, atque Oeſophagi & Aſperae Arteriae principio a latere ſiniſtro.
a. b. c. d. e. Oſſis Hyoidis additamenta quae cum Apophyſi Stiloidea conjunguntur, qualia in quibusdam animalibus inveniuntur.
f. Os Hyoides. *g.* Cornu eſſe videtur.
h. Cartilago Thyreoidea.
i. Cartilago Cricoidea.
k. Aſperae Arteriae principium.
l. Pharynx cum principio Oeſophagi.
m. Muſculus a Cartilagine Cricoidea oriens, & Pharyngem ambiens.
n. Muſculus ab Oſſis Hyoidis additamento oriens, & Pharyngem ambiens.

TABULA DD.

quae XLII. Euſtachii eſt.

EXPLICATIO DN. LANCISII.

FIGURA I.

a. Epiglottis pauxillum elevata.
b. b. Duo Vertices ſive Cartilaginum Arytenoidearum Capitula.
c. Ala ſive ſiniſtra Cartilaginis Thyroideae portio, extra ſitum.
d. Apophyſis ſive Cornu ſuperius hujus Cartilaginis.
e. Apophyſis ſive Cornu inferius.
f. Ala ſive portio dextra in ſitu
g. Muſculus Thyro-Arytenoideus ſiniſter.
h. Muſculus Crico-Arytenoideus lateralis.
i. Muſculus Crico-Arytenoideus poſterior.

k. k. Muſ-

k. k. Muſculus Arytenoïdeus.
l. Aſpera Arteria
m. Portio Oeſophagi. Muſculus hic potius Membranacea Aſperae Arteriae portio eſſe videtur.

ADDITIO.

n. Cartilaginis Cricoïdis parva faciecula articularis, cum qua inferior Cartilaginis Thyroidis Apophyſis articulatur.

FIGURA II.

a. Interna Epiglottidis Facies.
b. b. Muſculi Arytenoïdei.
c. c. Crico-Arytenoïdei poſteriores.
d. d. Poſterior & inferior Cartilaginis Cricoïdis facies.

ADDITIO.

e. Poſterioris Cricoïdis Faciei linea prominens.
f. f. Muſculus Ary-Arytenoïdeus.
g. g Capita Cartilaginum Arytenoïdearum.
h. h. Superiora Thyroïdis Cornua.
i. i. Inferiora.

FIGURA III.

a. Rima Laryngis.
b. Muſculus Hyo-Thyroïdeus ſiniſter.
c. Sterno-Thyroïdeus ſiniſter.
d. Pharynx.
e. Oeſophagus.

ADDITIO.

Figura haecce extraordinaria reſpectu Hominis eſſe videtur.

FIGURA IV. & VI.

a. Linguae apex.
b. Linguae baſis.
c. c. & d. d. Stilo-Gloſſi truncati, ſecundum Dn. Lanciſi; aſt videatur *t. t.*
e. e. & f. f. Stilo-Pharyngei.
g. g. Cephalo-Pharyngei, qui mediante linea alba invicem uniuntur.

h. h. Muſculus Oeſophageus (potius Cerato-Syndeſmo-Pharyngeus.)
i. Apertura Pharyngis.
k. k. Oeſophagus.
l. l. Aſpera Arteria.

ADDITIO.

m. Muſculus Hyo-Crico-Pharyngeus.
n n Gloſſo-Pharyngei.
o. Portio Stilo-Pharyngei.
p. p. p. p. Velum Palatinum (Septum Palati.)
q. q. Fornix Pharyngis, hujusque Fornicis rugae.
r. r. Petro-Pharyngei.
s. Parvus Stilo-Pharyngeus Santorini.
t. t t t. Periſtaphylini externi.

FIGURA V.

a. Lingua.
b. Epiglottis.
c. Ligamentum Epiglottideum Morgagni, ſive Gloſſo-Epiglottideum.
d. Ligamentum Hyo-Epiglottideum ſiniſtrum.
e. Os Hyoïdes.
f. Glandulae baſis Linguae.

FIGURA VII.

Cartilago Cricoïdes ab anteriori ſpectata.
a Portio anterior.
b. Portio poſterior.
c. c. Capitula ſive Vertices articulares.

FIGURA VIII.

Cartilago Articularis a latere ſpectata. (Hic parva faciecula articularis in Figura I, notata deſideratur)
a. Portio anterior ſive inferior.
b. Portio poſterior ſive ſuperior.
c. Portio lateralis (in qua parva faciecula articularis Fig. I. *n* notata deeſt)

FIGURA IX.

a. Dextrum Cartilaginis Thyroïdeae latus.
b. Dextrum Cartilaginis Cricoïdis latus.

c. Epi-

c. Epiglottis.
d. Superius dextrum Cartilaginis Thyroïdis Cornu.
e. Cornu ſuperius ſiniſtrum.
f Cornu inferius dextrum.

FIGURA X.

Poſterior Cricoïdis facies.
a. Linea prominens.
b. b. Facies laterales
c. c. Eminentiae ſive Capitula articularia.

FIGURA XI.

a. Epiglottis.
b. Superius dextrum Thyroïdis Cornu.
c. Portio ſuperior ſive Caput Cartilaginis Arytenoïdis dextrae.
d. d Orificium Ventriculi dextri Laryngis.
e. Dextra Cricoïdis portio.
(*f.* Sectio Thyroïdis)
g. Sectio anterior Cricoïdis.
h. Sectio poſterior.

FIGURA XII.

Una ex Cartilaginibus Arytenoïdeis Muſculis ſuis exuta.

ADDITIO.

a. b. Baſis hujus Cartilaginis.
b. Angulus internus Baſis.
c. Cavitas Articularis Baſis.
d. Appendix ſive hujus Cartilaginis Capitulum.

TABULA D.

quae XLII. Euſtachii eſt.

EXPLICATIO DN. ALBINI.

FIGURA I.

Larynx cum principio Aſperae Arteriae a latere ſiniſtro. Cartilaginis Thyreoideae pars ſiniſtra in priora flexa eſt, ad patefaciendos Muſculos quos tegit.

A. B. B. B. Cartilago Thyreoïdea ex interiore parte. *A.* Pars ſiniſtra. *B. B. B.* dextra.

C. D. Epiglottis. *C.* Pars gibba. *D.* Concava.

E. Fiſtulae laryngis Pars lateralis membranacea.

F. F. Summitates cartilaginum Arytaenoidearum.

G. G. G. Arytaenoïdeus tranſverſus.

H. Arytaenoïdeus obliquus dexter. (Arytenoïdeus cruciatus ſive Crico-Arytenoïdeus ſuperior.) *α.* inſertus Cartilagini Arytaenoïdeae ſiniſtrae.

I. I. Arytaenoïdeus obliquus ſiniſter, *α.* ortus ejus a baſi Arytaenoïdeae ſiniſtrae.

K. Thyreo-Arytaenoïdeus ſiniſter; (Thyro-Arytaenoïdeus & Thyro-Epiglottideus conjunctim) *α. α.* oriens a Cartilagine Thyreoïdea, *β.* Inſertus Arytaenoïdeae ſiniſtrae.

L. Crico-Arytaenoideus lateralis ſiniſter. *α. α.* ortus a Cartilagine Cricoidea. *β.* inſertio, baſi Arytaenoideae ſiniſtrae.

M. Pars baſis Cartilaginis Arytaenoideae ſiniſtrae.

N. Cricoarytaenoideus poſticus ſiniſter. *α. α.* prima origo a Cartilagine cricoidea, *β.* inſertio, baſi arytaenoïdeae ſiniſtrae.

O. Cartilago Cricoidea.

P. P. P. Q. Q. R. Aſpera Arteria. *P. P. P.* Tres primi annuli cartilaginei. *Q. Q.* Spatia inter annulos illos media. *R.* Aſperae Arteriae pars poſterior tota membranacea.

FIGURA II.

Larynx a parte poſteriore.

A. Epiglottidis pars poſterior concava.

B. B. Cartilaginis Thyreoideae pars interior.

C. C. Proceſſus. (Cornua) ſuperiores qui illigantur Ligamentis ad Oſſis Hyoidis extrema pertinentibus.

D. D. Proceſſus inferiores, quibus continet Cartilaginem Cricoideam.

E. E. Summitates Cartilaginum Arytaenoidearum.

F. F. F. F. Arytaenoideus transverſus (Fig. I. *G. G. G.*)

G. Ary-

G. Arytaenoideus obliquus dexter. (Fig. I. *H.*)
H. H. Arytaenoideus obliquus ſiniſter (Fig. I. *I. I.*) *α.* origo ejus a baſi arytaenoideae ſiniſtrae.
I. Pars Baſis Cartilaginis Arytaenoideae ſiniſtrae. (Fig. I. *M.*)
K. K. Cricoarytaenoidei poſtici, *α. α.* ortus primus a Cartilagine Cricoidea, *β.* inſertio, baſi Arytaenoideae
Z. Cartilago Cricoidea.

FIGURA III.

Haec ita reſpondet Veſalii Figurae ſecundae, Capitis XXI. Libri III. de Humani Corporis Fabrica, ut inde huc translata videatur.

FIGURA IV.

Pharynx a poſteriore parte, una cum Palato molli (velo palati) & Lingua a ſuperiore.
A. Lingua a ſuperiore parte.
B. Palati mollis pars ſuperior. *C. C.* ejusdem a poſtica parte oſſium palati reſecti margo.
D. E : D. E. Circumflexi Palati mollis (Tab. C. Fig. XIII. Θ.) *D.* Pars carnea. *E.* Tendo flectens ſe circum hamulum proceſſus Pterygoidei.
F. F. Levatores Palati mollis; (Petro-Salpingo-Staphylini, ſive Salpingo-Staphylini interni) *α.* extremis ſuis Palato molli convenientes.
G. G. Stilo-Pharyngaei, *α. α.* principia quibus oriuntur a proceſſibus ſtiliformibus Oſſium Temporum.
H. H. Conſtrictores ſuperiores Pharyngis. (Mylo-Gloſſi, Gloſſo-Pterygo-Genio-Petro-Pharyngei) *α. β.* extrema quae in media poſtica parte Pharyngis conveniunt.
I. I. Conſtrictores Pharyngis medii (Tab. XLI Fig. II. *L.*) Dexter nudus. Siniſter tectus inferiore. *α.* extrema, quibus conveniunt.
K. Conſtrictor Pharyngis inferior (Tab. XLI. Fig. VIII. *R.*) *α. α.* extremum quo cum pare ſui convenit.
L. Commune extremum Stilopharyngei & Palatopharyngei

ryngei (Tab. XLI. Fig. XI. *P.*) *α. α. α.* in membranam Pharyngis evaneſcens & Cartilagini Thyreoideae inſertum.

M. Pharyngis Membrana.

N. Oeſophagus truncatus.

O. Cartilaginis Thyreoideae proceſſus inferior dexter.

P. P. P. Aſpera Arteria truncata.

FIGURA V.

Lingua cum Epiglottide & Oſſe Hyoide a latere ſiniſtro.

A. Lingua.

B. C. Epiglottis. *B* Dorſum. *C.* Pars concava.

D E: F. G. Os Hyoides. *D* Baſis. *E.* Cornu ſiniſtrum. *F.* Dextrum. *G.* Additamentum graniforme (Perla oblonga.)

H. An fibrae quae a Radice Linguae ad Epiglottidis Dorſum pertinent? an Ligamentum Epiglottidis?

I. Glandulae in Dorſo radicis Linguae.

FIGURA VI.

Pharynx una cum Palato molli & Lingua, uti Figura IV.

A. Linguae dorſum

B. B. Palati mollis pars ſuperior. *C. C.* margo ejuſdem a poſtica parte oſſium palati reſecti.

D. E: D. E. Circumflexi Palati mollis (Tab. C. Fig. XIII. Θ.) *D.* Pars carnea, *E* Tendo flectens ſe circum hamulum proceſſus Pterygoidei.

F. F: F. Levatores Palati mollis (v. Fig IV. *F F.* *α. α.* extremis ſuis convenientes in Palato molli.

G. Uvula.

H. H. Faucium concavum.

I. I. I. Margo inciſae Membranae Faucium: ſupra quem quicquid Membranae faucium in nares pertinet, non exhibitum, quo in fauces inſpici ab hac parte poſſit.

K. Membrana faucium ſive Pharyngis nuda.

L. Salpingo-Pharyngeus.

M. N.

M. N. M. N. Palato-Pharyngei (Tab. XLI. Fig. XI. *P.*) *N.* Pars ex palato molli veniens, truncata.

O. O. Stilopharyngei. *α.* principium a proceſſu Stiliformi oriens.

P. Commune extremum Stilopharyngei, Palato-Pharyngei, Salpingo-Pharyngei, *α. α. α.* quod partim cum pare ſui convenit, partim evaneſcit in inferiorem partem membranae Pharyngis, *β.* Partim Cartilagini Thyreoideae ſe inſerit.

Q. Commune extremum Stilopharyngei & Palatopharyngei (Fig. IV. *L.*) *α. α. α.* ad poſtremum & cum pare ſui conveniens & per inferiorem partem membranae Pharyngis evaneſcens, *β.* & cartilagini Thyreoideae ſe inſerens.

R. R. R. Cartilago Thyreoidea. *S. S.* ejus proceſſus inferiores.

T. Pharyngis Membrana nuda.

V. Oeſophagus truncatus.

W. W. W. Aſpera Arteria truncata.

FIGURA VII.

Cartilago Cricoidea a parte priore.

a. a. Capitula (Facieculae articulares) quibus Cartilagines Arytaenoideae mobilibus inſident articulis

b. Pars interior.

FIGURA VIII.

Cartilago Cricoidea a latere dextro.

FIGURA IX.

Syntaxis Cartilaginum Laryngis a latere dextro.

a. Epiglottis

b. c. c. d. Cartilago Thyreoidea. *c. c.* proceſſus ſuperiores *d.* proceſſus inferior Cricoideam comprehendens.

e. Cartilago Cricoidea.

FIGURA X.

Cartilago Cricoidea a parte poſteriore.

a. a. Capitula (Facieculae articulares) quibus Cartilagines Arytaenoideae mobilibus articulis inſident.

 b. b. Si-

b. b. Sinuatae partes, a quibus Cricoarytaenoidei poſtici oriuntur, inter quas eminet *c*.

FIGURA XI.

Laryngis mediae per longitudinem aequaliter diſſectae pars dimidia dextra, ex interiore parte exhibita.

a. a. b. c. Cartilago Thyreoidea. *b.* proceſſus ſuperior, *c.* hac parte ſecta eſt.

d. e. e. Cartilago Cricoidea. *e. e.* his partibus ſecta.

f. Epiglottis.

g. g. Membrana quae latera fiſtulae Laryngis & Glottidis efficit.


h. Cartilago Arytaenoidea membrana modo dicta veſtita.

i. Ventriculus Laryngis dexter.

FIGURA XII.

Cartilago Arytaenoidea.

FINIS.



TAB. CC

b. (

I


a. a

d. e
f. I
g. g


b. (

i. V


(



TAB. C.



TAB. DD.



TAB D

COUNTWAY LIBRARY OF MEDICINE
QM
21
W73 L3
1753, v.3
RARE BOOKS DEPARTMENT